M. T. CICERONIS
AD M. BRVTVM ORATOR,
illuſtratus Iacobi Lodoici Rhemi Commentariis.



PARISIIS, M.D.XXXVI.

Apud Michaelem Vaſcoſanum, in vico D. Iacobi, ſub ſigno Fontis: Cum gratia & priuilegio in triennium.

Priuilegii tenor.

CAutumeſt, ne quiſquam Commentarios Iacobi Lodoici Strebæi Rhemenſis in M. T. Ciceronis Oratorem ad M. Brutum, triennio proximo rurſus imprimere audeat, aut alibi impreſſos vendere, ſub pœna confiſcationis librorum ſic impreſſorum, & arbitraria, præter Michaelem Vaſcoſanum, cui chirographum noſtrum in huius rei fidem conceſſimus. Pariſiis M.D.XXXVI, decimo quinto Calendas Auguſti.

I I. De Meſmes.

IACOBI LODOICI STREBAEI RHE-
menſis in M. T.Ciceronis Oratorem Commen-
taria,ad Gabrielem Venatorem,Eburo-
nicum Epiſcopum deſignatum.

SAepe veritus ſum Deſignate Pōtifex, ne me plerique temeritatis arguendum putarent, ſi quod opus diuinus author M. Cicero, omnium difficillimum iudicaſſet,ſi quod homines eruditi temporibus noſtris intelligi non poſſe confirmaſſent, hoc & difficultatibus explicare,& commentariis illuſtrare contēderem. Perſpicuum eſt Oratoris eximii iudicium, qui quum multas atque præclaras abſoluiſſet orationes, & quum multa de arte rhetorica grauiter & copioſe præcepiſſet,quúnque iam arcana philoſophiæ myſteria Latinis aperire vellet, vnum in Oratore ſubinde repetiuit, nihil eſſe tam difficile, nihil tam arduum, quàm quæ ſit optima figura dicendi,iudicare. Nec ignotum quod homo noſtra ætate nominis ampliſſimi, non ſine multorum conſenſu memoriæ prodidit, eum dementem & inſanum videri, qui quod Cicero de numeris oratoriis & eloquendi generibus hic ſcriptum reliquiſſet, id non modo ſcire ſe, ſed etiam conſequi poſſe profiteretur.Nec ſi res obuia ac intellectu facilis eſſet, poſſem tamen omni vacare metu. Me premeret eorum ſententia, qui Romæ falsò quidem, ſed tamen appellabantur Attici.Iis antiquius grauiúſque videbatur inconditum genus orationis, quàm apte compoſi-

tum(& vt aiebant)mollibus numeris effœminatum. In Atticorum ſententiam pedibus eunt innumerabiles etiam ſcriptores, qui horrido & confragoſo genere loquendi ſuas exprimunt cogitationes, ornamentorum voluptates reſpuunt & numeros. Nec eis ſatis in hoc tetro ſqualore nō contemni, laudari etiam volunt. Accedit his omnibus alia metuendi ratio, ne per virium infirmitatem apte opus compoſitum & ornatum non dico exponam, ſed miſceam incompoſite & inornate. Turpe certe quidem de optimo genere eloquendi præcepta referentem, nulla valere facultate dicendi. Aliud eſt quod etiam mihi negocium faceſſat, ſi flumen hoc eloquentiæ ad ſuos fontes primúmque caput reuocare non poſſim. Etenim reperiuntur amatores Græci nominis, qui vehementer affirmant hæc omnia fere præcepta Ciceronis à Græcorum fontibus eſſe deducta, eóque reducēda exiſtimant, vt inde multo purius hauriantur. Hæc & talia cogitanti mihi rerum diſcrimen, occurrebant. Auſus ſum equidem ire contrà, ſi parum conſulte, non tamen ſine ratione. Nam quod antè clauſum videbatur & inacceſſum, patefecit eloquētiæ princeps, & ſtrato viarum ſolo, tranſitum dedit. Incredibile porrò tanto labore muniſſe viam, quo nemini ſtudioſorum pateret acceſſus. Certe traductus eſt Brutus aliíq; permulti, quorum pars (teſtis eſt Quintiltanus) iter vt nimium molle deſeruit, aliud ſibi poſtea cōſtrauit. Nec tempus interiectum clauſit aditus, nec excluſit poſteros omneis. quāquā mōs ille & aſcenſus editior eſt, quā mente concipiant audaces, opinione ſua docti, re vera

morum ſumma tua volun tate perueneris . Alumnus eſſe voluiſti noſtræ pertenuis & ieiunæ diſciplinæ, officio, charitate, liberalitate, bonitate ſingulari proſecutus es hunc hominem, in quo nihil erat quod ad te pertineret,niſi leuis vmbra doctrinæ. Quapropter non parum me impuliſti,nec immerito ſi quid leuium rerũ prodit è nobis,ad ſuum properat exiſtimatoré. Hoc igitur quicquid eſt,etiam leges optime Iuuenum, ſi tuam modo formare diſciplinam,& ardua capeſſentem adiutare poſſit. Scis & ipſe prudens ad decora alta nitendũ, ea qua cœpiſti via,adiungendas eſſe comites itineris artes atque virtutes. Elaborandum fortiter, vt quum magnæ ſpei floruerit ætas,iure numerari poſſis inter lumina familiæ veſtræ. Circunſtant te ſummæ authoritates, quæ te obliuiſci laudis domeſticæ non ſinant. Circunſtant te permulta gentilitiæ virtutis exépla, quæ te horis omnibus cõmoneant. Nunc quatuor è multis capita prominent,tria ex genere paterno, vnum ex ſtirpe materna. In vno ſingularis humanitas, in altero ſumma liberalitas,in alio dignitas ãpliſſima,in alio bellica virtus, & animi magnitudo,quarum initia rerum in te magna video. Nam ſine controuerſia pater tuus Ioannes Venator Hõmenſiũ princeps,humanitatis honore nulli mortalium cedit. Id ſi cuiquam dubium eſt, legat is faciem tuam,& inde ſumat argumentũ. Patruus magnus Ambroſius Venator Eburonicum epiſcopus, aliis multis, tibi maxime,re non verbo certum fecit q̃ eſſet liberalis. Hinc donando,planum quoque mihi feciſti velle te viri ſequi veſtigia. Alter etiam patruus magnus Ioãnes

Venator alto in faſtigio præcellit. Sublimem agit antiqua nobilitas, Lexouiorũ principatus & pontificia maieſtas, Regiæ munificẽtiæ & miſericordiæ diſpenſatio, Religio & ſanctimonia Cardinalis. Hũc (quod optime facis) ſuſpice virum, animoq́; forti proſequere. Hæc tria ampliſſimæ domus ornamenta, Gabrielem ſuũ chariſſimum, & exẽplis, & monitis hortantur ad vitæ dignitatem: vnũ habent in votis perſæpe tibi recantatum, vt pergas eſſe bonus atq; ſtudioſus. Laude fortitudinis accẽdit te Montioannes auũculus, nominis Bretani magnus author, qui bellica virtute clarus, & ab Rege Gallorum Franciſco dux copiarũ creatus, Iam ſuo nomine totam impleuit Europam, ad cuius altitudinẽ animũq́; generoſum tua iam conſpirat ætas. Macte noua virtute puer, hanc tibi deus concedit laudem, & propinquorũ ſuſcitat honores. Agedum, quoniã promouiſti in Rhetoricas artes, & aliquẽ cepiſti eloquentiæ fructũ, ſuccede melioribus, & maiora cõtemplare. Etenim ad cauſſas noſtri laboris acceſſit rei magnitudo. Nihil in hoc genere maius quicq̃ reperies, q̃ perfectũ M. Ciceronis Oratorem. Multa reliquit, & præclara monumenta vir ingenio, & arte diuinus, At hoc præcipue dedit ſpecimen magnæ facultatis, vt Venerem Coam Apelles, Iouem Olympiũ Phidias. Digniſſimas eloquentiæ partes in vnã conflauit imaginem, ac ſpeciem omniũ pulcherrimam ſubiecit oculis, velut Ialyſum opus admirandũ Protogenes. Hinc effecit, vt ſpectator obſeruata rei magnitudine & dignitate, primũ animo obſtuperet, deinde amore accenderetur, & in illud neruos omneis con-

inexperti. Arduum ſane & longum metiendum eſt animo ſpaciũ, ſi ad huiuſce doctrinæ lineam ſummam peruenire contẽdas. At illud Virgilianum in hac quoq; parte verum eſt, Labor omnia vincit improbus. Quid Attici, quídve alii ſequãtur, videant ipſi. Alteros palam deriſos & exploſos accepimus, alteros ab optimo quoq; deſeri videmus. Quáobrem grauior apud me ſit corũ ſententia & authoritas, qui orationem vinciunt & expoliunt, quàm qui ſcopas aut ignorantia, aut mala perſuaſione diſſoluunt. Hoc modo, inquit Cicero, dicere nemo vnquam noluit, nemóque potuit quin dixerit. Et alio in loco, Fieri poteſt vt recte quis ſentiat, & id quod ſentit, polite eloqui non poſſit. Sed mandare quẽquam literis ſuas cogitationes, qui eas nec diſponere, nec illuſtrare poſſit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis eſt intemperanter abutentis ocio & literis. Id ergo metuendum magis eſt, ne inter compoſitos ſimus incompoſiti & inornati. Venio inermis & ſtyli vacuus ad pulcherrimum certamen literarum. quo mihi ſæpius eſt venia petenda, ac præcibus eluendum crimen. Peto equidem, & rationem commẽtationis haberi cupio. Totum fere genus commentariorum (niſi quid interim altius & ſplendidius extollitur) haud recedit ab illa tenuitate dicendi. In humili figura ſimus, vt placet, in qua fuere priores interpretes, vt qui leuiter attigerunt paucos operis huius nec abſtruſos locos. De Græcorum fontibus hoc reſpondeo, multo melius præcepta dicendi tractaſſe Ciceronem, quàm veteres Græcos, vnde multa collegit, Ariſtotelẽ dico, Theo-

dectem atque Theophraſtum, quos nonnunquam ſecutus eſt ſenex, vt Hermagoram iuuenis. Nam Molon tempore Ciceronis, Areus, & Dionyſius Halicarnaſſeus poſt Molonem ediderunt artes, ad quos ii qui putant hæc præcepta referẽda, Tullianam maieſtatem magnopere lædere videntur. Græcis igitur antiquioribus aliquando vſi ſumus, non ad eam oſtentationem qua male quidam geſtiunt infirmi, Sed ad quorundam locorũ propè neceſſariam interpretationem. Omnino deſperare non debui, ſed quoad mihi licuit, in commune laborare & viuendi genus inſtitutum perſequi. Ergo vitæ rationibus adductus, meæque diligenter erudiendæ iuuentutis amore compulſus, ad hæc maxime excitatus illo tuo mihi percharo nomine Deſignate Põtifex, hoc ingreſſus ſum laboris, qui ſi te forte nihil erudire, tamen ad ſtudia literarum ſponte currentẽ celerius incitare poſſet. Sic ego mihi perſuaſi, quũ ſuaues & iucũdæ literæ veniſſent quaſi in tuos amplexus, honeſtũque ſui altius animo fixiſſent amorem, tum plura cognoſcendi ſuauitate captum, nullam dies noctéſque pretermiſſurum diligentiam. Hanc meam ſpem confirmant rationes annorum ſuperiorum. Ex quo Pariſiorum Luteтiam veniſti, nunquã tibi defuit optima ſtudiorum voluntas, nunquam remiſſa eſt fortis animi cõtentio, nunquam reiectum graue laborum pondus, Sẽper hæſit animo perpetuus amor literarum atque profeſſorum, tantáque fuit indoles & natura, tanta moderatio & humanitas, vt triennio per ordines grammaticorum profectu ſequente traductus, in ordinẽ primorum.

tenderet, quod ſummũatq; perfectum prima ſpecie iudicaſſet. Vt autẽ ad illius exemplar, quicunq; deam ſecutus eſſet, orationũ grauium delinearet effigiem, ducendus erat per omnia, & ex ordine parteis omneis, earũq; virtutes edocendus. Circunducit igitur dux & artifex optimus. Tyronẽ conſidereiubet. Initio precioſam materiam à philoſophia petitã oſtendit, illius triplicem eſſe tractationem, quã ſcire oporteat eum qui decenter omnium rerũ formas oratione velit exprimere, ad ſummum neminẽ perueniſſe, qui vnũ aliquod genus vnáq; perpetuo figuram duxiſſet. Contemnenda iudicia imperitorum, qui vel Aſianos, vel vnum Lyſiam, vel vnũ Thucydidem, vel vnũ Xenophontem imitandũ putãt. Cognoſcẽda multa genera fingendæ orationis, quibus aliter vtuntur laudatores, aliter Hiſtorici, aliter Panegyricorum ſcriptores, aliter authores meditationum, aliter actores forenſiũ rerum. Iam propius ad partes admouet amatorẽ. Breuiter exponit & eleganter quæ ſit illa mirabilis inuentio, quibus vtatur locis, déinde quæ collocatio rerumq; diſpoſitio laudabilis, quæ porrò actio pulcherrima, tum vocis & vultus, tum corporis motus atq; membrorũ. Quanta vis elocutionis, q̃ ſit oratoris propria, vt ſit alia figura philoſophis, alia ſophiſtis, alia memoriæ ſcriptoribus, alia poëtis, quid quanq; late patens decorũ, qua ratione quibúſve rebus & verbis, aut tenuẽ deducere orationẽ, aut mediam aptare, aut grauem incitare oporteat. Quibus potiſſimum artibus inſtruatur eloquentiæ candidatus, quæ præcepta in partibus orationis teneat, quando propoſitũ & infinitam quæſtio-

nem innectat & incrementũ,vt moueat atque delectet auditoré, vt interſerat verborũ conformationes & ſententiarum,hæc omnia inq̃ breuiter exponit & eleganter,nihil humile, nihil minutũ, nihil triuiale & vulgatum,in opere ſummo cõmemorat.Vbique proſequitur rerum grauium ſummas,vbiq; recenſet inſignia diuinæ rhetorices ornamenta. Quid autem maius aut oratore dignius,q̃ ratio & ordo numerorũ? Quàm multi ſubinde recinũt treis eſſe characteras, & ſpecies orationis? quàm multi nominitant ſtylum? quàm multi aut orare ſe dicunt, aut ornate ſcribere? Quàm multi præ ſe ferunt bonas literas ac politas? Quàm pauci tamen norunt non dico formare,ſed in magnis antiquorum monumentis diſtinguere genera dicendi? Quàm pauci edoctas habent aures, quibus ſentiant in verbis concurſionum differentias, in figuris parium concinnitatem, in ordine pedum numeri compoſitionem? Hæc non eo dico,quòd ipſe norim:Id tantum profiteri poſſum,eius me rei ſtudioſum fuiſſe, Sed quòd hominum pars admiretur Tullianam dictionem & fruſtra referat in Enchiridion,Pars de loco in locum verba traiiciat, confuſe miſceat ignota ratione componendi, Pars effundat omnia quæ veniunt in linguam,Pars tragica grandiloquentia conetur more tonitrui concrepare. Magnum profecto & arduum opus,apte componere orationem. In eo pene totus eſt hic liber,vel hoc ſolo nomine præſtantiſſimus. In quo ſine dubitatione Cicero ſuperauit antiquos.Nam de arte componendi nemo Græcorum, nemo Latinorum tam multa ſcripſit,nemo tam perſpi-

cue vulgauit intima ſecreta numeroſæ eloquentiæ. Nemo contrà in dicendo ſuaues numeros & inaffectatos muniuit occultius. Qui de cæteris rebus abunde præciperent, ſemper innumerabiles reperti ſunt. Qui traderent eloquentiæ numeros, vix tandem extiterunt, nec poſtea multos habuerunt imitatores. Numerorum autem magna vis eſt in animis noſtris, adeò vt ſine illis oratio videatur agreſtis & incondita. Cicero teſtis eſt & prudens & grauis, ex tam multis antiquorum voluminibus nihil fere permanſiſſe, niſi quod haberet illud velut condimentum & animi iucundam voluptatem, quod vere dictū memoria ſæculi noſtri comprobauit. Numerus ſane plurimū valet ad animorū delectationē ad cōcitādos affectus, ad impetū ſententiarū, ad decorē & ornamentū, ad varianda pro dicentis arbitrio genera dicendi. In ſumma dicam, hoc numerus eſt in oratione, quod modorum ſolatium in hominum vita. Quemadmodum ſine vlla muſica, ratio viuendi triſtior eſt & languidior, ita ſine voluptate numerorum, nimis iniucūda & infirma eſt oratio. Quod eſſet igitur hoc opus tum præclarum, tum perutile, & imprimis dignum cui daret operam iuuentus, nec id multi etiam ingenio & diligentia præditi, ſine duce, aut vſu longo poſſent animo conſequi, porrexi manum, viam neſciētibus oſtendi, effecíque, ni fallor, diligentia, vt ſi quid errarent, minimum tamen errarēt. Commemoro hiſtorias omnes, Expono omnia verba difficiliora, Expoſitionem eorū ita coniungo, vt frequenter aliud me facere quiſquam putet. In quo monendi ſunt mihi lectores, vt ante dili-

genter Ciceroniana perlegant, quàm ſe conferant ad noſtra. Id quidem fieri debet in omni commentario, ſed in hoc maxime, qui nuſquam fere ab inſtituto digreditur, vna re propoſita contentus. Ad hæc rerum ſeriem demonſtro. Græca ſi bonum eſt, admiſceo. Præcepta pene omnia illuſtro periphraſi & exemplis. Qui vitium fecerant, locos in integrum reſtituo. Omnia quæ ad rem maxime facere videntur, diligenter inquiſita, pro facultate digeſta propono.

CVR HIC LIBER VOCETVR ORATOR.

Huic Libello nomen fecit Orator κατ' ἐξοχὴν & ἀντονομαςίαν, qua figura aut partem aut ſpeciem primæ dignitatis, nomine generis appellamus, vt Homerum poëtam, Platonem philoſophum, Ciceronem eloquentiæ romanæ principem. Sic & oratorem Cicero nominauit eum quiſquis in eo genere ſummus eſſet ac perfectiſſimus. Is eſt quem quærit, Is eſt quem fingit & informat. Nam differit quæ ſit optima ſpecies & quaſi figura dicendi, quod eloquentiæ genus maximè probetur, qui ſit ille eloquens quem nunquam vidit Antonius. Tum ſic breui tandem complectitur. Is eſt, inquit, eloquens qui & humilia ſubtiliter, & magna grauiter, & mediocria temperatè poteſt dicere. Et paulò pòſt: Is erit igitur eloquens (vt illud idem iteremus) qui poterit parua ſummiſſè, modica temperatè, magna grauiter dicere. de quo ſic Antonius primo libro de oratore, Túncque ego hac eadem opinione adductus, ſcripſi etiam illud quodam in libello, qui me imprudẽte & inuito excidit, & peruenit in manus hominum, diſertos me cognoſſe nonnullos, eloquentẽ adhuc neminem, quòd eum ſtatuebam diſertũ, qui poſſet ſatis acutè atque dilucidè apud mediocres homines ex communi quadam hominum opinione dicere, Eloquentem verò qui mirabilius & magnificentius augere poſſet atque ornare quæ vellet, omnéſque omnium rerum quæ ad dicẽdum pertinerent, fontes animo ac memoria contineret. Ex quibus facilè eſt colligere quinam ſit hic Ciceronis Orator, quódque propoſitum ſit diſputationis argumentum.

AD QVEM ET QVANDO SCRIPTVM SIT HOC OPVS.

IVlius Cæſar à bello Pharſalico traiecturus in Africam aduerſus arma Scipionis & Iubæ, Marcum Brutum Galliæ togatæ præfecit. Is in communi bellorum incendio ſic prouinciam adminiſtrabat, vt nullam poſtea neque tranquilliorem, neque amore ſui magis incenſam comperierit Cæſar. atque etiam in maximis occupationibus nunquam intermittebat ſtudia doctrinæ. Semper aut ipſe ſcribebat aliquid, aut Ciceronem, quo familiariter vtebatur, ad ſcribendũ vocabat. A quo per literas impetrauit, & vt vult Cicero penè extorſit, vt quod eloquẽtiæ genus probaret maximè, ſcripta ſententia pronunciaret, hiſce de rebus hoc in libello Cicero, Amo, inquit, & ſemper amaui ingenium, ſtudia, mores tuos. Incendor porro quotidie magis, nõ deſiderio ſolum, quo quidem conficior, congreſſus noſtros, cõſuetudinem victus, doctiſſimos ſermones requirens tuos, ſed etiam admirabili fama virtutum incredibilium, quæ ſpecie diſpares prudentia coniunguntur. Quid enim tam diſtans quam à ſeueritate comitas? quis tamen vnquam te aut ſanctior eſt habitus aut dulcior? Quid tam difficile quam in plurimorum controuerſiis diiudicandis ab omnibus diligi? cõſequeris tamen vt eoſipſos quos contra, ſtatuas, æquos placatóſque dimittas. Itaque efficis vt quum gratiæ cauſſa nihil facias, omnia tamen ſint grata quę facis. Ergo ex omnibus terris vna Gallia communi nõ ardet incendio, in qua frueris ipſe te, quum in Italiæ luce cognoſceris, verſariſque in optimorum ciuium vel flore vel robore. Iam quantum illud eſt, quod in maximis occupationibus nunquã intermittis ſtudia doctrinæ? Semper aut ipſe ſcribis aliquid, aut me vocas ad ſcribendum. Itaque hoc ſum aggreſſus ſtatim Catone abſoluto, quem ipſum nunquam attigiſſem, tempora timẽs inimica virtuti, niſi tibi hortanti, & illius memoriam mihi charam excitanti, non parere nefas eſſe duxiſſem. Sed teſtificor me à te rogatum, & recuſantem, hæc ſcribere eſſe auſum.

M. T. CICERONIS

AD MARCVM BRVTVM

ORATOR

VTRVM DIFFICILIVS, aut maius eſſet negare tibi ſæpius idẽ roganti, an efficere id quod rogares, diu multúmque Brute dubitaui. Nam & negare ei, quem vnicè diligerem, cuíque me chariſsimum eſſe ſentirem, præſertim & iuſta petẽti, & præclara cupienti, durum admodum mihi videbatur: & ſuſcipere tantam rem, quantam non modò facultate conſequi difficile eſſet, ſed etiam cogitatione complecti, vix arbitrabar eſſe eius, qui vereretur reprehenſionem doctorum, atque prudentium. Quid enim eſt maius, quàm cum tanta ſit inter oratores bonos diſſimilitudo, iudicare, quæ ſit optima ſpecies, & quaſi figura dicendi? Quod quoniam me ſæpius rogas, aggrediar, non tam perficiundi ſpe, quàm experiundi voluntate. Malo enim cũ ſtudio tuo ſim obſecutus, deſiderari à te prudentiam meam, quàm ſi id non fecerim, beneuolentiam.

Duæ proponuntur initio tanquam contrariæ cauſſæ, altera vocat ad ſcribendum, altera conta reuocat. Tum vis vtriuſque rationibus confirmatur. hoc modo, duæ propoſiones duæque rationes, & hinc duo enthymemata hoc prætexunt exordium. Quibus inter ſe comparatis, à potentiore colligitur eſſe parẽdum. Enthymema primum ex pro-

poſitione atque ratione. Difficile eſt negare Bruto petenti, quia præclara cupit, & iuſta petit ſæpius ab ſuo neceſſario. Enthymema ſecundum, Magnum eſt efficere quod petit Brutus. Id enim rogat, quod ſuperat non modò viri facultatem, ſed etiam cogitationem. quia nihil eſt maius quàm iudicare quæ ſit optima figura dicendi, propterea quod inter oratores bonos multiplex eſt ſimilitudo. Hæc ratio tripertita, vim habet vnius. Comparatio eſt ad colligendum Melius eſt, obſequentis amico bono deſiderari prudentiam, quàm recuſantis beneuolentiam, Sæpius igitur roganti parendum eſt. Hoc principio conſequitur, vti Bruti non modo retineat amicitiam, ſed vt eãdem vinculo nouo liberalis officij confirmet. Nec animum Bruti ſolum, verùm etiam cęterorum mereri contendit. Nam (quod ſcribit in partitionibus) Initia beneuolentiæ conciliandæ comparantur ab aliquo genere virtutis, & maximè liberalitatis, officij, iuſtitiæ, fidei. Hic autem viro bono amico ſuo iuſta petenti & præclara cupienti præſtat officium, cuius eſt fructus omnium communis. Ad hæc propoſita rei magnitudine ac difficultate mouet lectoris attentionem, de quo in præceptis, vt attentè, inquit, audiamur trium rerum aliqua conſequemur. Nam aut magna quędam proponemus, aut neceſſaria, aut cõiuncta cum ipſis apud quos res agetur. Quinetiam vidit acutus Orator, ſi pondus iſtuc ſuſtinere poſſet & opus conficere, non paruum fore gloriæ fructum. Si forte non perferret, tamen veniam ſibi datum iri, qui rem magnam aggreſſus eſſet, non tam perficiundi ſpe, quàm experiundi voluntate. Putauit igitur hoc quoque præmittendúmne quid temerè videretur aggreſſus. Hæc de toto genere dicta ſunt, Nunc pauca de partibus. Quod velit eſſe diſcrimem inter difficilius & maius, inter diu multùmq́, inter doctos atque prudẽtes, inter ſpeciem & figuram, déinde quæ ſit vis horum verborum, vnicè diligerem, Chariſſimum, ſentire, ſuſcipere, & tandem quæ ſit inter oratores bonos diſſimilitudo. Magnũ, & Difficile, inter ſe diſtant, hic enim difficultas ad amicitiam refertur, magnitudo ad materiam. difficiles duri ſunt & inhumani, vnde paulò pòſt vſurpauit durum pro difficili. Eſt igitur difficilius id quod durius & inhumanius, Maius autẽ ad efficiendum operoſius & arduum magis. Nec rei ſunt eiuſdem, diu, multumque. Diu temporis eſt, Multum verò, cõtentionis animi. Doctos & prudentes ſeparamus, Etenim doctrina eſt pręceptionũ & artis, Prudentia naturalis eſt intelligentia, quæ doctrina iuuari poteſt. Donatus in Eunuchũ Terentij. Prudens eſt, inquit, qui intelligentia ſua aliquid ſentit, definitur à Cicerone prudẽtia rerum expetendarũ fugiendarũmq́ ſcientia, q̃ ſi accipias acceſſione doctrinæ nõ carebit. Species autẽ & figura, vtraq́ ſignificat formã & modũ, & faciem quandam rerum vt hic orationis, illa ab ſpectu, hęc à fingendo id eſt formãdo dicta eſt. Vt autem in corporibus, aliud eſt gracile, aliud plenũ, aliud mediũ, aliud breue, aliud procerum, aliud aliter efformatum. Sic oratio in multas ſpecies fingitur, & varias fingendo capit figuras. Et vt in picturis effigies eſt optima, quæ rem proximè imitaẽ, ſic eſt optima ſpecies & figura

dicendi

dicendi, quæ refert. Similia ſubtiliter, magna grauiter, mediocria temperatè. Vnicè diligere, eſt ſingulariter & maximè amare. Vbi verbum diligo non eſt leuioris affectus, vt multi putauerunt. Chariſſimum dicimus, cuius amor à dignitate natus eſt atque virtute. Cicero in Partitionibus, Cum deorum, tũ parentum, patriæq́ cultus, eorúmque hominum, qui aut ſapientia, aut opibus excellunt, ad charitatem referri ſolet. Aeque propriè verbo, Sentirem vſus eſt. Nã q̃ diligamur ab alijs, ſenſu prius, deinde mente cognoſcimus, quantum diligamꝰ alios, vna vi mentis, intelligimus. Quum dicit autem iuſta petere Brutum, ne accipito æqua viribus exhibentis, ſed quæ iure ſuo petat Brutꝰ. Iam verbum Suſcipere, magnis in rebus ac publicis vſitatè dicitur. Cicero quarta actione in Verrem, Ego tamen hoc onere ſuſcepto, & recepta cauſſa Sicilienſi amplexus animo ſum aliquanto amplius. Suſcepi enim cauſſam totius ordinis, Suſcepi cauſſam Po. Romani, hinc intelliges quantum differant, recipere, & ſuſcipere. Veniamus ad extremum, quæ ſit oratorum diſſimilitudo? Bonorum certe proponitur imitatio, non malorum. Sunt autem etiam boni diſſimiles. Alij grãdiloqui, ĩique aut oratione aſpera vtuntur, triſti & horrida, neque perfecta neque concluſa, aut inſtructa & terminata. Alij tenues, in quibꝰ alij calidi ſed impoliti, alij cõcinniores, Alij neque grandiloqui, neque tenues, ſed intermedij & quaſi temperati, id quale ſit poſtea dicetur. adde quod totidem fere genera dicendi, quot oratores extiterunt. Sed vt in alijs rebus, ſic & in hac partes nõ poſſunt arte cõprehẽdi.

Quæris igitur, idque iã ſæpius, quod eloquẽtiæ genus probẽ maximè, & quale mihi videatur illud, cui nihil addi poſſit, quod ego ſummũ & perfectiſſimũ iudicẽ. 2

Hunc ordinẽ præſcribit ratio diſſerẽdi, vt aditu patefacto, & ad audiẽdũ paratis animis, tum conſtituatur quæſtio quaſi fundamentum rei de qua futura ſit oratio. Quæ ſi fuſius explicanda eſt, narratione, ſi breuius, propoſitione declaratur. Proponit ergo breuiter eam, quæ paucis eget verbis, ſummam Bruti quæſtionem, Quod eloquentiæ genus Cicero maximè probet? quódque ſummum & perfectiſſimum iudicet? Ex quibus & hoc accipimus, Eloquentiæ imperfectæ, & cuiuſdam facultatis oratoriæ multa quidem eſſe genera laudabilia, Vnam tamen eloquentiam ſummam quæ variantibus rerum naturis aptum cuique genus accommodat.

In quo vereor, ne ſi id quod vis effecero, eúmque oratorem quem quæris, expreſſero, tardem ſtudia multorum, qui deſperatione debilitati, experiri id nolent, quod ſe aſſequi poſſe diffidant. Sed par eſt omneis o- 3

mnia experiri,qui res magnas,& magnopere expetēdas concupiuerunt. Quod ſi quem aut natura ſua,aut illa præſtantis ingenii vis forte deficiet,aut minus inſtructus erit magnarum artium diſciplinis, teneat tamen eum curſum quem poterit. Prima enim ſequētem,honeſtum eſt in ſecundis, tertiíſque conſiſtere. Nam in poëtis non Homero ſoli locus eſt (vt de Græcis loquar) aut Archilocho,aut Sophocli,aut Pindaro, ſed horum vel ſecundis,vel etiam infra ſecundos. Nec verò Ariſtotelem in philoſophia deterruit à ſcribendo amplitudo Platonis. Nec ipſe Ariſtoteles admirabili quadam ſcientia & copia,cæterorum ſtudia reſtinxit. Nec ſolum ab optimis ſtudiis excellentes viri deterriti non ſunt, ſed ne opifices quidem ſe artibus ſuis remouerunt,qui aut Ialyſi quem Rhodi vidimus,non potuerunt, aut Coæ Veneris pulchritudinem imitari. Nec ſimulachro Iouis Olympii,aut Doryphori ſtatua deterriti,reliqui minus experti ſunt quid efficere, aut quo progredi poſſent. Quorum tanta multitudo fuit, tanta in ſuo cuiuſque genere laus,vt cum ſumma miraremur, inferiora tamen probaremus. In oratoribus verò,Græcis quidem, admirabile eſt quantum inter omneis vnus excellat. Attamen cum eſſet Demoſthenes,multi oratores magni,& clari fuerūt,& antea fuerant,nec poſtea defecerunt. Quare non eſt,cur eorum qui ſe ſtudio eloquentiæ dediderunt, ſpes infringatur, aut langueſcat induſtria. Nam neque illud ipſum,quod eſt optimum, deſperandum eſt:& in præſtantibus rebus magna ſunt ea quæ ſunt optimis proxima.

Propoſita quæſtione de qua differendum ſit, & vniuerſo genere conſtituto, de re ipſa iam dicendum videbatur, verum priuſquam ingrederetur in aſperiorem diſputandi locum, viam ſibi muniendam putauit. Id enim ex arte fit, vt duriora dicendo molliantur, & præmunitionibus velut aggerib⁹, in via dirigãtur animi, ne qui dociles haberi debeant, trahantur in errorem. Quod igitur optimam dicendi figuram delineare non poſſet, niſi maius aliquid eloquentia nota proponeret, quod poſitum ſua mole terreret ſtudia multorum, vtilem cenſuit animorum præparationem. Eſt igitur hac παρασκευή, ad illud facilius intromittẽdum quod paulò pôſt inducit. Ego in ſummo oratore fingendo, talem informabo, qualis fortaſſe nemo fuit. Facit & ad reliqua generis eiuſdem. Hæc pars exhortantis eſt, conſtâtque propoſitione, non eſſe diffidendum: deinde ratione, res magnas eſſe tentandas. poſtea ſimilitudine á curſu, honeſtum eſſe in ſecundis tertiiſque cõſiſtere. Præterea, quatuor variatis ad iucunditatem exemplis, à poëtis, à philoſophis, à ſtatuarijs, ab oratoribus: vnde tandem hæc efficit. Non eſt cur eorum, qui ſe ſtudio eloquentiæ dediderunt, ſpes infringatur, aut languecat induſtria. Summã poſuim⁹: partes explicemus. Expreſſero verbum, à pictura tranſtulit, quæ lineamentis & vmbris exprimitur. Ex eadem tranſlatione deriuare poſſis ſpeciẽ orationis figurámq;. Par eſt oĩa experiri. Sentẽtia præclara ad acuendam animi fortitudinem. Eſt autem par eſt id quod conuenit & bonum eſt. Treis poſtea numerat virtutes, è quibus vna ſi deſit, non poteſt eſſe perfectus orator. Non erit ſummus, ſi cui aut natura defuerit, cuius hæc ſunt dona, Conformatio bona corporis, venuſtas oris, linguę ſolutio, latera, valetudo, vires, aut ſi prǽſtãtis ingenij vis abfuerit, ad excogitãdũ, acuti: ad explicandum ornãdũque, fœcũdi ad memoriam, firmi atque diuturni, aut ſi nõ erit inſtructus magnarum artium diſciplinis. Cicero primo de oratore, Sic igitur ſentio, inquit Craſſus, Naturam primũ atque ingenium ad dicendum vim afferre maximam. Nam & animi atque ingenij celeres quidam motus eſſe debent, qui ad excogitandũ acuti, & ad explicandũ ornandúmque ſint vberes, & ad memoriã firmi atq; diuturni. Et ſi quis eſt qui hæc putet arte accipi poſſe, quod falſum eſt, quid de illis dicet? quę certe cum ipſo homine naſcuntur, linguę ſolutio, vocis ſonus, latera, vires, conformatio quædam & figura totius oris & corporis. De magnarum artium diſciplinis idem in eodem libro: Legendi poëtæ, cognoſcenda hiſtoria, omniũ bonarum artium ſcriptores ac doctores & legẽdi & peruolutandi. Et paulò pôſt. Perdiſcendũ ius Ciuile, cognoſcendæ leges, percipienda omnis antiquitas. Senatoria conſuetudo, diſciplina reip. iura ſociorum, fœdera, pactiones, cauſſa imperij cognoſcẽda eſt. Et in eodem libro, In oratore acumen dialecticorũ, ſententiæ philoſophorum, verba propè poëtarum, memoria iuriſcõſultorum, vox tragœdorum, geſtus penè ſummorum actorum eſt requirendus. De primis ſecundis & tertijs partibus in eodem libro. Neq; hæc in eam ſententiam diſputo, vt homines adoleſcentes, ſi quid naturale forte non habeant, omnino.

à dicendi ſtudio deterreã. Quis enim non videat C. Cœlio æquali meo, maximo honori fuiſſe homini nouo illam ipſam quãcunq; aſſequi potuerit in dicendo mediocritatẽ? Quis veſtrũ ęqualem Q. Varium vaſtum hominem atque fœdum non intelligit illa ipſa facultate, quãcunque habet, magnã eſſe in ciuitate gratiam conſecutum? Aeneas apud Virgilium non modò primis in curſu, ſed etiam ſecundis & tertijs ſua reddit præmia. De ordine poëtarũ Quintilianus in decimo: Homerus omnes ſine dubio, & in omni genere eloquentiæ procul à ſe reliquit. Heroicos tamen præcipuè, videlicet quia clariſſima in materia ſimilis comparatio eſt. Idem de Archilocho. Itaq; ex tribus receptis, Ariſtarchi iudicio, ſcriptoribus Iamborum ad ἕξιν maximè pertinebit vnus Archiloch⁹. Idem de tragœdia & Sophocle. Sed longè clarius illuſtrauerunt hoc opus Sophocles atque Euripides, quorum in diſpari dicendi via vter ſit poëta melior, inter plurimos quęritur. Idem de Pindaro, Nouem Lyricorũ longè Pindarus princeps. Sunt igitur hi principes Homerus heroicorum, Archilochus iambographorum, Sophocles tragicorum, Lyricorũ Pindarus. Si quæris ſecundos & tertios in eodem capite, multos reperies, vt Heſiodum, Nicandrum, Euphorionem, Callimachum. Veniamus ad philoſophos. Plato philoſophorum omnium princeps, plurimis in rebus grauiter & copioſè diſputauit, quæ rerum copia hic dicitur amplitudo Platonis, à qua non ſeparamus dignitatem. Ariſtoteles autẽ Platoni neque copia, neq; ſcientia cedit, ſed inuentione rerum atque grauitate. Nam qui à Platone ſuo permulta cepiſſet, ſecutus eſt eam ſubtilitatem, quæ longè à grauitate poſita eſt. vnde fit, vt qui verſantur in adminiſtranda Repub. præferant Ariſtoteli Platonem, Contrà qui in ocio diſputationum, tenui ſubtilitate delectantur, Ariſtotelem malint. Poſt Ariſtotelem Theophraſtus aliique multi ſcripſere, quos memorat Diogenes Laërtius. Alia ſimilitudo eſt ab opificibus, qui manu ſuas exercere artes, vt pictores & ſtatuarij, qualis Protogenes, Phidias, Apelles. Ialyſum pinxit Rhodi Protogenes Xanthius ex Lycia, quo tempore Demetrius obſidebat Rhodon, Plinius. Propter Ialyſum, ne cremaret tabulas Demetrius rex, quum ab ea parte ſola poſſet Rhodon capere, non incendit. Erat tum Protogenes in ſuburbano hortulo ſuo, hoc eſt Demetrij caſtris. Neque interpellat⁹ pręlijs, inchoata opera intermiſit omnino, ſed accitus à rege, interogatúſque, qua fiducia extra muros ageret, Reſpondit ſcire ſe, illi cum Rhodijs bellum eſſe, nõ cum artibus. Gellius multò aliter extremo capite libri decimi quinti, Sic enim de rebus Priſcis diſſident opiniones. Nec minor eſt cõtrouerſia quid fuerit Ialyſus. Alij quòd Ialyſus vna eſt ex tribus antiquiſſimis vrbibus inſula Rhodi, hic illius accipiũt imaginem, alij venatorẽ, alij ſatyrũ. Quid ſit autem tradit Suidas Προτωγένης ζωγράφος Ξάνθιος ἐκ Λυκίας, ὁ κατὰ τὴν γραφικὴν διαβόντος ἐπιστήμην, ὁ τὸν ἐν ῥόδῳ Διονύσιον ἱστορήσας, τὸ ξένον καὶ θαυμαστὸν ἔργον ὃ καὶ Δημήτριος μεγάλως ἐθαύμασεν. Hoc eſt, Protogenes pictor Xanthi⁹ ex Lycia, pingendi ſcientia fuit inſignis, qui Rhodium Bacchum & res eius expreſſit, opus & diuinum & admirandum

quod & Demetrius vehementer admiratus eſt. Eo pertinet, ꝙ Strabo Ialyſum & Satyrum, vt duo Protogenis opera numerat. Hoc opus Cicero vidit, quum Rhodi literis operã dabat. De Venere Coa Plinius. Apelles inchoauerat aliam Venerem Cois, ſuperaturus etiã ſuam illam priorem, Inuidit mors, peracta parte, nec qui ſuccederet operi, ad præſcripta lineamenta inuentus eſt. Cos autem inſula eſt ad Cariam. Idem de Ioue olympio. Ante omnes Phidias Athenienſis, Ioue olympiæ facto ex ebore, & pauló poſt, Phidias pręter Iouem olympium; quem nemo æmulatur, fecit, & ex ebore Mineruam Athenis, Idem, Polycletus fecit Doryphorum viriliter puerum. dictus eſt autem ab ea haſta quam gerebat. De eiſdem opificib⁹ Quintilianus & alij faciunt mentionem, verùm breuitati conſulimus. Opificum multitudo magna fuit, & magna in ſuo cuiuſque genere laus. Nam vt omittamus alios, & de genere propoſito loquamur, alij ſunt pictores, alij plaſtæ, alij marmorarij, alij fuſores, alij vaſcularij. Multi etiã variique oratores fuerunt in Gręcia, vt temporibus Demoſthenis, Hyperides, Lycurgus, Aeſchynes, Dynarchus. Antea fuerant multi, vt Pericles, Alcibiades, Lyſias Theramenes: nec poſtea defuerunt, vt Demochares, Demetrius. Cicero de claris Oratoribus multos enumerat, & hanc fert ſententiam: Nam planè quidem perfectum, & cui nihil admodum deſit, Demoſthenẽ facilè dixerim. Nihil acutè inueniri potuit in eis cauſis quas ſcripſit, nihil (vt ita dicã) ſubdolè, nihil verſutè, quod ille non viderit: nihil ſubtiliter dici, nihil preſſè, nihil enucleatè, quo fieri poſſit aliquid limatius: nihil contrà grande, nihil incitatum, nihil ornatum, vel verborum grauitate, vel ſentẽtiarum, quo quicquam eſſet clarius. addamus & hoc de vocabulo induſtria, ſignificare illud quidẽ agendi ſtudium ac laborem, Cicero Tuſculana ſecunda. Itaque induſtrios homines Gręci ſtudioſos, vel potius amantes doloris appellant, nos commodius laborioſos.

At ego in ſummo oratore fingendo talem informa- 4
bo, qualis fortaſſe nemo fuit. Non enim quæro quis fue
rit, ſed quid ſit illud, quo nihil poſſit eſſe præſtantius,
quod in perpetuitate dicendi nõ ſæpe, atque haud ſcio
an vnquam: in aliqua autem parte eluceat aliquando,
idem apud alios denſius, apud alios fortaſſe rarius. Sed
ego ſic ſtatuo, nihil eſſe in vllo genere tã pulchrũ, quo
non pulchrius id ſit, vnde illud, vt ex ore aliquo quaſi
imago, exprimatur, quod neque oculis, neque auribus,

neque vllo ſenſu percipi poteſt, cogitatione tantum, & mente complectimur. Itaque & Phidiæ ſimulachris, quibus nihil in illo genere perfectius videmus, & his picturis quas nominaui, cogitare tamen poſſumus pulchriora. Nec verò ille artifex, cum faceret Iouis formã, aut Mineruæ, cõtemplabatur aliquem è quo ſimilitudinem duceret, ſed ipſius in mente inſidebat ſpecies pulchritudinis eximia quædam, quam intuẽs, in eáque defixus, ad illius ſimilitudinem artem, & manum dirigebat. Vt igitur in formis, & figuris eſt aliquid perfectum & excellens, cuius ad excogitatam ſpeciem imitando referuntur ea quæ ſub oculos ipſa cadunt: ſic perfectæ eloquentiæ ſpeciem animo videmus, effigiem auribus quærimus. Has rerum formas appellat ideas ille non intelligendi ſolum, ſed etiam dicendi grauiſſimus author, & magiſter Plato, eáſque gigni negat, & ait ſemper eſſe, ac ratione, & intelligentia contineri: cætera naſci, occidere, fluere, labi, nec diutius eſſe vno & eodem ſtatu. Quicquid eſt igitur, de quo ratiòne & via diſputetur, id eſt ad vltimam ſui generis formam ſpeciémque redigendum.

Quoniam aperta eſt via diſputandi, Nunc de propoſita quæſtione dicendum videtur. Vt autem quæſtio ducatur ab initio ad finem, & vt ordine tractetur, petendum etiam videtur rei principium. Principium dicimus aut cauſſam, aut naturam, aut Deũ, aut ideam, vt qui dixere natam eſſe Rhetoricen ab ijs qui ſui tuendi cauſſa loquebantur accuratius, hanc poſuere cauſſam, tanquam principium. Qui reduxerunt ad ſeminaria naturæ, voluerunt illud eſſe fundamentum rhetoricæ, naturam. Qui verò putarunt illud eſſe Mercurij donum, eam primam ſtatuerunt originem. Sunt qui reuocant ad Ideam, vt Plato & Academiæ ſectatores. Ergo Cicero Platonis imitator de

ſummo oratore dicturus,& eo quem nemo vidit vnquam,altius initium ab Idea petit. Proponit igitur in ſummo oratore fingendo ſtatuendum illud, quo nihil poſſit eſſe neque pulchrius,neque præſtantius. vtitur argumento & ſimilitudine pictorum.Colligit eloquentię perfectum genus,ad vltimam ſui generis formam ſpeciémque redigendum.Quæris Quid inde bonæ frugis percipimus, quum ad Ideam reducimus? Certè illam ſpeciē intuens futurus orator,ſi quoad licet,ad eius ſimilitudinem ſe componat,altius euolabit, quàm ſi cacumen ignorans ad imas ſtirpes deſideat. Qua ratione fingi dicitur orator? Quemadmodum figuræ pictorū lineamentis deſignantur,& fictilia paulatim finguntur & informantur,Sic orator informatur,ſi vis eius & eloquentia,lineamentis & ſpecie quadam ac figura cōprehenditur.Summus orator in perpetuitate dicendi, hoc eſt in toto actionis integræ filo & oratione continua vix elucet vnquam, in aliqua parte ſæpe conſpicuus eſt. Alij ſunt voce bona,ſed agreſtiore geſtu. Alij valent arte, ſed hebetiore ingenio tardātur.Alij narrant optimè,ijdem neſciunt perorare.Alij fidem facere poſſunt, non æque animos affectu concitare. Alij contrà in amplificationibus & motu coruſcant,in conſtituenda fide langueſcūt. Quid moror? Sępenumero laudatores ementiuntur ei quem ceperūt ornandū nihil omnino deeſſe:vera tamen Horatij ſententia.Nihil eſt ab omni parte beatum.qua ratione moti veteres,vni eidémque cauſſæ multos adhibebant oratores, & pro cuiuſque facultate partiebantur officia. Fœlix igitur apud quem bona denſius & copioſius elucent: Summus tamen cui nihil deeſt. Ideam Plato perfectam ſtatuit,quam neque oculis, neque auribus, neque vllo ſenſu percipere poſſumus,cogitatione tantum & mente complectimur. ex ea res exprimi putat,quemadmodum ex ore aliquo,id eſt ea parte,quam vulgus appellat faciem,ducitur imago. Et ne in ſtudijs literarum modo quæramus Ideam,Cicero affirmat Phidiam quum faceret Iouis formam,aut Mineruę, illam eximiam ſpeciem animo vidiſſe. ad quam τέχνην ἀγαλματοποιὸν & manum dirigebat.hinc ſimilitudinem ducit. Quemadmodum quæ ſub oculos ipſa cadunt,vt ſimulachra Phidiæ referuntur ad excogitatā ſpeciem,hoc eſt Ideam excellentem atque perfectam, ſic eloquentiæ perfectæ ſpeciem animo videmus,effigiem auribus quærimus. Eloquentia explicatur oratione, in aurem cadit oratio, ad aurium ſenſum retulit imaginem Plato magiſter intelligendi,qui vim omnium rerum ratione ſcrutatur,idem dicendi grauiſſimus author,qui res ornare verbis,& copioſè tractare nouit. Ideas omniū rerum facit. de quibus Seneca Epiſtolarum octauo: Tertium genus eſt, inquit,eorum quæ propriè ſunt. Innumerabilia hæc ſunt, ſed extra noſtrum poſita conſpectum: quæ ſunt interrogas? Propriè Plato Ideas vocat, ex quibus omnia quæ ſunt, fiunt, & ad quas cuncta formantur. Hæ immortales, immutabiles, inuiolabiles ſunt. Quid ſit Idea, id eſt quid Platoni eſſe videatur, audi. Idea eſt eorum quæ naturaliter fiunt exemplar æternum. adijciam definitioni interpretationem, quo tibi res apertior fiat.

Volo imaginem tuam facere, exemplar picturæ tuæ habeo, ex quo capit aliquem habitum mens noſtra, quem operi ſuo imponat. Ita illa quæ me docet & inſtruit facies, à qua petitur imitatio, Idea eſt. Talia ergo exemplaria infinita habet natura rerum, hominum, piſcium, arborum, ad quæ quodcunque fieri ab illa debet, exprimitur. hæc ille, Omnium hominum vna eſt idea, mutorum vna, vlmorum vna, & eodem modo cæterorũ. Ab ea multæ quidem res imitatione producuntur, vt vno eodémque annulo ſexcentæ imagines exprimuntur. Quod ideas omniũ rerum Plato conſideret, oſtendit ipſe decimo dialogo de Repub. βούλει οὖν ἐντεῦθεν ἀρξώμεθα ἐπισκοποῦντες ἐκ τῆς εἰωθυίας μεθόδου, εἶδος γάρ πού τι ἓν ἕκαστον εἰώθαμεν τίθεσθαι περὶ ἕκαστα τὰ πολλὰ οἷς ταὐτὸν ὄνομα ἐπιφέρομεν, πολλαί που εἰσὶ κλῖναι καὶ τράπεζαι. ἀλλὰ ἰδέαι γέ που περὶ ταῦτα τὰ σκεύη δύο μία μὲν κλίνης, μία δὲ τραπέζης, οὐκοῦν καὶ εἰώθαμεν λέγειν ὅτι ὁ δημιουργὸς ἑκατέρου τοῦ σκεύους πρὸς τὴν ἰδέαν βλέπων οὕτω ποιεῖ ὁ μὲν τὰς κλίνας ὁ δὲ τὰς τραπέζας, αἷς ἡμεῖς χρώμεθα καὶ τ' ἄλλα κατὰ ταῦτα οὐ γάρ που τήν γε ἰδέαν αὐτὴν δημιουργεῖ οὐδεὶς τῶν δημιουργῶν. Hoc eſt, vis igitur, hinc exordiamur, & rem vſitata illa ratione contemplemur? Speciem vnam quandam facere ſolemus, in ĳs pluribus, quibus idem nomen imponimus. vt multi quidem ſunt lecti, multæq; menſæ. idea tamen earum rerum duæ ſunt, vna lecti, altera menſæ. Solemus igitur hoc dicere, vtriuſque ſupellectilis artifices, ſic opus ſuum moliri, vt ideam intuentur, aut lectos aut menſas, quibus nos vtimur, & eodem modo cætera. Nullus autem artifex Ideam facit. Hæc autem Idea rerum prima, eadem eſt vltima generis forma, quam Plato gigni negat, & ait ſemper eſſe, Cætera naſci & occidere, nec diutius, vno eodémque ſtatu permanere.

5 Ac video hanc primam ingreſſionem meam non ex oratoris diſputationibus ductam, ſed è media Philoſophia repetitam, & eam quidem cum antiquam, tum ſubobſcuram, aut reprehenſionis aliquid, aut certè admirationis habituram. Nam aut mirabuntur, quid hæc pertineat ad ea quæ quærimus, q̃bus ſatisfaciet res ipſa cognita, vt non ſine cauſa altè repetitá videatur: aut reprehẽdent, quòd inuſitatas vias indagemus, tritas relinquamus. Ego autẽ & me ſæpe noua videri dicere intelligo, cũ per vetera dicá, ſed inaudita pleriſq;: & fateor me oratorẽ ſi modo ſim, aut etiam q̃uicunq; ſim, nõ ex

Rhetorũ officinis, ſed ex Academiæ ſpatiis extitiſſe. Illa enim ſunt curricula multipliciũ variorũq; ſermonũ, in quibus Platonis primũ ſunt ĩpreſſa veſtigia. ſed & huius, & aliorũ philoſophorũ diſputatiõibus & exagitatus maximè orator eſt, & adiutus. Oĩs enĩ vbertas, & quaſi ſylua dicẽdi ducta ab illis eſt, nec ſatis tamẽ inſtructa ad forẽſes cauſas, quas vt illi ipſi dicere ſolebãt, agreſtioribus muſis reliquerunt. ſic eloquẽtia hæc forẽſis, ſpreta à Philoſophis & repudiata, multis quidem illa adiumentis, magníſque caruit, ſed tamen ornata verbis atq; ſentẽtiis iactationem habuit in populo, nec paucorum iudiciũ, reprehenſionémque pertimuit. Ita & doctis eloquentia popularis, & diſertis elegãs doctrina defuit.

Quum præter rhetorum morem propoſuiſſet ideam Platonis, altiúſque rem ipſam repetiuiſſet, hoc prouidit non defuturos qui dicerent, id nihil ad rem propoſitam pertinere, ídque diſputandi genus eſſe philoſophorum magis, quàm conſuetudinis oratorum. Occupauit igitur, quæ videbantur obſtare. Non inutilis eſt ratio occupandi, quæ videntur obſtare. Quod Schema πρόληψις dicitur. Si quiſpiam dicat, hunc ideam nihil pertinere, Illi ſatiſfaciet, inquit, res cognita, vt non ſine cauſa altè repetita videatur. Si reprehendat inuſitatum diſputandi genus, occurrit, nec inuſitatum eſſe, nec ſe rhetorum more diſputare contendit, ſed Academiæ, quod omnis vbertas & quaſi ſylua dicendi è philoſophia ducta ſit. hoc modo duas obiectiones diluit. Quam autem primam dicit ingreſſionẽ, intelligimus primam diſputationem, non procemium illud, quod eſt ante legitimam rei tractationem. Mediam philoſophiam dicit illam ſecretiſſimã, quia ſecretiora ſunt ea quę rebus in medijs latent. Antiquam, accipe platonicam, Suboſcuram, ꝙ idearum ſpecies non cadit in ſenſum, ſed in mentem & cogitationem. Vias. μεθόδους Græci vocant artes artiúmque rationes, Latini transferunt vias. Id ex tranſlatione eſt. vt enim via duce peruenimus ad locũ deſtinatum, ſic ad ſcientiæ finem ratione præcipiendi tanquam via progredimur. Ad hoc verbi methodus alludit. Vbi facit Academiæ ſpacia. Curricula ſermonum, Platonis impreſſa veſtigia. Sunt hęc omnia ex eodem metaphoræ fonte. Quod autẽ non audet oratorẽ ſe cõfiteri, vitat arrogantiam. De quo Quintiliani pręceptio eſt. Omnis ſui vitioſa iactatio eſt eloquentiæ ta-

men in Oratore præcipuè,affertque audientibus non faſtidium modo, ſed plerumque etiam odium. Hoc grauius eſt,quod ingenue fatetur, oratorem magnum ex rhetorũ officinis nõ poſſe prodire. in quã ſententiã ſcribit hæc primo libro de Oratore. Oratio ſi res nõ ſubeſt ab Oratore percepta & cognita,aut nulla ſit neceſſe eſt,aut omnium irriſione ludatur. Quid eſt enim tam furioſum,quàm verborum vel optimorum atque ornatiſſimorum ſonitus inanis? nulla ſubiecta ſententia & ſcientia? Et pauló póſt de cognitione ſcientiarum. Atqui totus hic locus philoſophorum putatur proprius, neque orator,me authore,vnquam repugnabit.Senſus autem eſt.Fateor me oratorem non ex rhetorum officinis, id eſt anguſtis libellis & præceptiunculis, ſed ex Academiæ ſpacijs hoc eſt philoſophiæ methodo extitiſſe & maiorẽ fuiſſe.philoſophorum diſputationibus exagitatus eſt orator & adiutus. Nã dialogus eſt Platonis Gorgias, in quo Socrates artem dicendi tanquam coquinariã, & rhetoras ineptiores agitat, atque labefactare conatur.ad quod alludit Cicero. Fatetur autẽ artiũ magnarũ cognitionẽ à philoſophia petẽdam,quia omnis vbertas, quæ varia eſt,rerũ cognitio & ſylua,ὕλη, & materia ab ea ducta ſit, nec ſatis tamen inſtructa & parata ad cauſſas forenſes, quæ pugnant acrius magiſque populariter.Quieta & ſecura philoſophorũ diſputatio.Aliud eſt in ocio via quadam ac ratione diſſerere, aliud in pugna forenſi mille modis aut aduerſarium petere, aut adoriri iudices, aut euitare plagas,hoc tamen ſtudium philoſophi contempſerunt, propterea ꝙ quum peterent ocium & quietem literarum, & rudiores illi quæſtum ſitirẽt, eloquentia forenſis ſpreta à Philoſophis,& agreſtiorib⁹ Muſis, hoc eſt rudioribus & impolitioribus relicta,multis adiumentis magniſque caruit, vt altiore diſciplina,& notionibus artium magnarum.Sed tamen ornata verbis & elocutione veſtita,collectis etiam popularibus ſententijs, & in communi ſenſu poſitis,iactationem habuit in populo.id eſt apud imperitorum multitudinem extulit ſe inſolentius. Nec paucorum vt optimorum philoſophorum iudicium reprehenſionémque timuit,quod à populo frequentiore coleretur.Ita & doctis hoc eſt philoſophis, eloquentia popularis defuit, qua Remp.adminiſtrarent animóſque populi regerent, Et diſertis oratoribus elegans doctrina & philoſophiæ cognitio defuit. Diſertos accipit eos qui ſatis acutè atque dilucidè poſſunt apud mediocres homines ex cõmuni quadam hominum opinione dicere.

6 Poſitum ſit igitur in primis, quod poſt magis intelligetur,ſine philoſophia non poſſe effici quem quærimus eloquentem.Non vt in ea tamen omnia ſint, ſed vt ſic adiuuet,vt palæſtra hiſtrionem. parua enim ma-

gnis ſæpe rectiſsimè conferuntur. nam nec latius, nec copioſius de magnis, variíſque rebus ſine philoſophia poteſt quiſquam dicere. Siquidem etiã in Phædro Platonis hoc Periclem præſtitiſſe cæteris dicit oratoribus Socrates, quòd is Anaxagoræ Phyſici fuerit auditor, à quo cenſet eum, cum alia præclara quædam, & magnifica didiciſſet, vberem & fœcũdum fuiſſe, gnarúmque (quod eſt eloquentiæ maximum) quibus orationis modis quæque animorum partes pellerentur. quod idem de Demoſthene exiſtimari poteſt, cuius ex epiſtolis intelligi licet, quàm frequens fuerit Platonis auditor. Nec verò ſine Philoſophorum diſciplina genus, & ſpeciem cuiuſque rei cernere, neque eam definiendo explicare, nec tribuere in partes poſſumus, nec iudicare quæ vera, quæ falſa ſint, neque cernere conſequentia, repugnantia videre, ambigua diſtinguere. Quid dicam de natura rerum, cuius cognitio magnam orationis ſuppeditat copiam, de vita, de officiis, de virtute, de moribus, ſine multa earũ ipſarũ rerũ diſciplina aut dici, aut intelligi poſſe? Ad has tot, tantáſque res adhibenda ſunt ornamenta innumerabilia, quæ ſola tum quidem tradebantur ab iis qui dicendi numerabantur magiſtri. Quo fit, vt veram illam, & abſolutam eloquentiam nemo conſequatur, quòd alia intelligendi, alia dicendi diſciplina eſt, & ab aliis rerũ, ab aliis verborũ doctrina quæritur. Itaque M. Antonius, cui vel primas eloquentiæ patrum noſtrorũ tribuebat ætas, vir natura peracutus, & pru-

dens,in eo libro quem vnum reliquit,diſertos ait ſe vidiſſe multos,eloquentem omnino neminem.Inſidebat videlicet in eius mente ſpecies eloquentiæ, quam cernebat animo,re ipſa non videbat. Vir autem acerrimo ingenio(ſic enim fuit)multa & in ſe, & in aliis deſiderans,neminem planè,qui rectè appellari eloquens poſſet, videbat. Quod ſi ille nec ſe,nec L.Craſſum eloquētem putauit, habuit profectò comprehenſam animo quandam formam eloquentiæ: cui quoniam nihil deerat, eos quibus aliquid, aut plura deerant, in eam formam non poterat includere.Inueſtigemus hunc igitur Brute,ſi poſſumus,quem nunquam vidit Antonius,aut qui omnino nullus vnquam fuit:quem ſi imitari,atque exprimere non poſſumus,quod idem ille vix Deo conceſſum eſſe dicebat, attamen qualis eſſe debeat, poterimus fortaſſe dicere.

Quoniam profeſſus eſt ſe oratorem nō ex Rhetorū officinis, ſed ex Academię ſpatijs extitiſſe, philoſophorúnque diſputationibus & exagitatum oratorem & adiutum,progreditur longius,& philoſophiam oratori ſummo neceſſariam demonſtrat.Quæ res eſt velut appēdix & pars loci ſuperioris.Proponit igitur ſine philoſophia nō poſſe effici eloquētem.Argumenta ducit ab exemplis,à tribus philoſophiæ partibus,ab Antonij authoritate,vnde opportunè regreditur ad illud ſuum propoſitum, quodnam ſit eloquentię ſummum genus.Iam videamus quid palæſtra iuuet hiſtrionem. Hiſtriones ſunt actores fabularum, qui mitti ſolebant ad palæſtritas, Et id Quintilianus fieri ſuader,vt exercitatione palæſtræ membra decentius & corpus mouerent, aptiúſque geſtum componerent,cuius exactores ſeueros Athenienſes fuiſſe conſtar,atque Romanos, recepta celebritate & magnificētia ludorum ſcenicorum. Vt igitur in ſcena videntes hiſtrionem prudentiores,operámne palæſtræ dederit,intelligunt, ita qui dicentem audiunt oratorem,ſentiunt quantum diſciplina & eruditione profecerit, vtque plus habet hiſtrio quàm palæſtrita:Sic ſummus orator,quàm Philoſophus ille, cui popularis eloquētia deeſt.Hāc collationē ne vilior eſſe videret,oratione adornauit. De Pericle, verba Platonis aſcripſimus, vt tāti viri iudiciū cognoſce-

ret diligens interpres κινδυνεύει, ὦ ἄριστε, εἰκότως ὁ Περικλῆς πάντων τελεώτατος εἰς τὴν ῥητορικὴν γενέσθαι, προσπεσὼν γὰρ οἶμαι τοιούτῳ ὄντι Ἀναξαγόρᾳ μετεωρολογίας ἐμπλησθείς, καὶ ἐπὶ φύσιν νοῦ τε καὶ ἀνοίας ἀφικόμενος, ὧν δὴ πέρι, τὸν πολὺν λόγον ἐποιεῖτο Ἀναξαγόρας, ἐντεῦθεν εἵλκυσεν ἐπὶ τὴν τῶν λόγων τέχνην τὸ πρόσφορον αὐτῇ. Hoc eſt. Pericles ô vir optimè, eo contendit, vt ſuo iure videretur omnium perfectiſſimus in arte dicendi. Nam quum forte nactus eſſet Anaxagoram magnis artibus inſtitutum, & contemplatione rerum ſublimium captus eſſet, aſſecutus eſt mentis & dementiæ naturam, de quibus multa verba fecit Anaxagoras, & inde traduxit id quod arti dicendi vtile videbatur. Quod Plato μετεωρολογίαν, Cicero præclara & magnifica dicit, ſicut νοῦν καὶ ἄνοιαν partes animi vertit, Narum, ſcium, & peritum dicit, Hoc verbum ſine litera, g, ſcribendum hoc eodem libro Ciceronem ſentire putes. Noti erant, inquit, & Naui, & Nari, quibus quum, in, pręponi oporteret, dulcius viſum eſt ignoti, ignaui, ignari dicere, quàm vt veritas poſtulabat. Cenſet, n, literam in, g, mutatam fuiſſe, ſicut in hoc verbo ignominia, ignobilis. Alij putant hanc literam poſitam κατὰ πρόθεσιν, alij deriuant à verbo γνωρίζω, ego quidem exiſtimo iſtud obrepſiſſe aut per abuſum, aut per ignorantiam. Quæris deinde quæ ſint animi partes, quas ab Anaxagora phyſico Clazomenio Pericles didicit? Id oſtendit Cicero Tuſculana quarta. In perturbationibus explicandis veterem illam quidem Pythagoræ primum, déinde Platonis deſcriptionē ſequar, qui animum in duas partes diuidunt. Alterā rationis participem faciunt, alteram expertem. In participe rationis ponunt tranquillitatem, id eſt, placidam quietámque conſtantiam. In illa altera motus turbidos, tum iræ, tum cupiditatis contrarios inimicóſque rationi. Pars ſublimior mens dicitur, Inferior, ſenſus: cuius eſt iraſcendi vis in corde, cupiendi in iecore. Hæc poſterior mouet ad quatuor genera perturbationū, ad lætitiā & ægritudinem, ad metū & cupiditatē. Superior habet voluntatē, cautionem & gaudiū. Lege totum locū, ne quid te prætereat. Demoſthenem Platonis auditorem fuiſſe Gellius ſcribit. Hermippus, inquit, hoc ſcriptum reliquit, Demoſthenem admodum adoleſcentem ventitare in Academiam, Platonémque audire ſolitum. Hoc intelligitur ex eius epiſtola ad Heracleodorum ὁρῶν ὅτι δόξης ἐπιτυγχάνων καὶ παιδείαν ἀντέχου, καὶ ταῦτα τῆς ἀπὸ τοῦ Πλάτωνος διατριβῆς, ἥπερ ἐστὶν ὡς ἀληθῶς τῶν μὲν πλεονεκτημάτων καὶ τῶν περὶ ταῦτα σοφισμάτων ἔξω. τοῦ βελτίστου δὲ καὶ τοῦ δικαιοτάτου πάνθ' ἕνεκα ἐξητασμένη ἧς μὰ τοὺς θεοὺς τῷ μεταχόντι μὴ οὐχὶ ἀψευδεῖν, καὶ πρὸς ἅπαντας ἀγαθῷ εἶναι οὐχ ὅσιον ἡγοῦμαι. Hoc eſt de moribus tuis coniecturā feci, quum viderem te gloriam adeptum cepiſſe etiam doctrinam à ſchola Platonis, quæ haud dubiè procul eſt à cupiditatibus habendi & eiuſmodi verſutijs, vt pote quæ optimum & æquiſſimum omnibus in rebus inquirat, cuius participem virum non colere veritatem, neminémque non lædere, nefas eſſe duco. Poſthæc Philoſophię partes diſtribuit, vt intelligamus quantum philoſophia iuuet oratorem. Treis autem conſtituit in Academicis. Fuit

inquit, à Platone accepta philoſophandi ratio triplex, vna de vita & moribus, altera de natura & rebus occultis, tertia de differendo, & quid verum & quid falſum, quid rectum in oratione prauúmve, quid conſentiens, quid repugnans iudicando. hic eandem diſtributionem partium facit, vnam dialecticen, alteram phyſicen, tertiam vocamus ethicen. Dialectice, genus & ſpeciem cuiuſque rei quærit, definiendo explicat, in partes diſtribuit, eáſque definit. Iudicat quæ vera quæ falſa ſint, quæ conſequentia, quæ repugnantia videt, ambigua diſtinguit. hæc intellige dicta de vera germanáque dialectica, non de garrula captione qua noſtrum hoc infœlix ſæculum abutebatur, nec illa facere poteſt, qui cæteras philoſophiæ partes ignoret, vt in partitiones oratorias oſtendimus, in quibus genera, ſpecies, partes diſtribuit & definit. Cicero quæ conſentiunt, quæque diſſentiunt oſtendit. vſus enim dialecticæ præſtantior eſt, aut in conſtituendis libris, aut in perpetuitate diſſerendi, quàm in illa contentioſa vociferatione quæ rauſim gutturi, confuſionem animo parit. Phyſice rerum cauſas naturámque ſpeculatur. cuius cognitio magnam orationi copiam ſuppeditat, quum dicit orator, quid efficiat ira, quid auaritia, quid libido, quid metus, quid vulnus altum, quid venenum, quid exhortatio, quid educatio, quid anteacta vita, quid temperamentum, quæ cauſæ ſint & effectus, vnde coniectura capiatur, vnde probetur definitio, vnde laus ſit maior minórve, vnde conſilia dentur. Ethice præcepta continet de vita, de officiis, de virtute, de moribus, de quibus abundè Plato, & à Platone Cicero. Hãc vtilem eſſe oratori, ſicut & dialecticen, notius eſt quàm oratione debeat explicari. Ad has tot tantáſque res, adhibenda ſunt ornamenta innumerabilia. quæ præceptis eloquendi tenentur, de amplificatione, de ſententiis, de proprietate verborum, de tropis, de ſchematis vtriſque, de numeris, & omni ratione componendi ſumitur ornatus. hæc ornamenta modo qui ſciunt, ſcientiam dicendi habere dicuntur: qui philoſophiam tenent, diſciplinam intelligendi: Neutra ſine altera diſciplina perfecta eſt. Quæramus poſtea an M. Antonius primas eloquentiæ ſuo tempore tenebat. Cicero libro de claris oratoribus plura maioráque tribuit Craſſo quàm Antonio, hic igitur non ſuam, ſed aliorum refert ſententiam, quoniam vſurus authoritate viri, ſe loco accõmodat & orationi, vt ſi Craſſus & Antonius ſummi videbantur, in quibus tamen multa deſiderabat Antonius, argumentum ſit, inueſtigandam perfectæ eloquentiæ formam. Quid autem differat ab eloquente diſertus, Ex Cicerone ſcripſimus initio noſtræ huius interpretationis. Inueſtigo, interdum ſignificat quod inuenio, Cicero pro Ligario, diligentia inimici inueſtigatum eſt quod latebat. Nonnunquã quod veſtigo, cuius intellectus præſens eſt teſtimonium.

7 Tria ſunt omnino genera dicendi, quibus in ſingu-

lis quidam floruerunt, peræque autem, id quod volumus, perpauci in omnibus. Nam & grandiloqui, vt ita dicā, fuerunt cum ampla, & ſententiarum grauitate, & maieſtate verborum, vehementes, varii, copioſi, graues, ad permouendos & conuertendos animos inſtructi, & parati. quod ipſum alii aſpera, triſti, horrida oratione, neque perfecta, neque concluſa: alii leui, & inſtructa, & terminata.

Iam poſita quæſtio eſt & origo prima repetita, ſubiectáque philoſophorum materia, deinde diſtinguenda ſunt genera dicendi, vt quod illorum ſit optimum iudicetur. Id certè quidem quærit Brutus, quæ ſit optima figura dicendi, vt qui multa eſſe genera non ignoret. Conſtituit igitur omnino tria genera, vnum grande, alterum tenue, aliud intermedium, vt cum imperfectos oſtenderit oratores, tandem definiat eloquentem, qui & humilia ſubtiliter, & magna grauiter, & mediocria temperatè poteſt dicere. Nam qui floruerunt in ſingulis, non in omnibus, in ſuo genere quidem laudandi, ſed eo tamen habentur imperfecti, quòd illis optima reum varietas defuerit. Qui verò peræque, hoc eſt, eodem modo floruerunt in omnibus, ij tanquam perfecti quidem, ſed perpauci fuerunt. De ſingulis Gellius in ſeptimo, Et in carmine, & in ſoluta oratione genera dicendi probabilia tria, quæ Grçci χαρακτῆρας vocant, nomináque eis fecerunt, ἁδρὸν, ἰσχνὸν, μέσον. Nóſque quem primum poſuimus, vberem vocamus, Secundum gracilem, Tertium mediocrem. Vberi dignitas atque amplitudo eſt. Gracili venuſtas & ſubtilitas. Medius in confinio eſt, vtriuſque modi particeps. His ſingulis orationis virtutibus vitia agnata ſunt pari numero, quæ earum modum & habitum ſimulachris falſis ementiuntur. Sic plerunque ſufflati atque tumidi fallunt pro vberibus: ſqualentes & ieiuni dicti pro gracilibus: inferti & ambigui pro mediocribus. Animaduerſa hæc tripertita varietas in tribus philoſophis, quos Athenienſes Romam ad S. P. Q. R. legauerant. violenta & rapida Carneades dicebat, Scita & teretia Critolaus. Modeſta Diogenes & ſobria. hæc præclarè Gellius. Grandiloqui, verbum duriuſculum eſt, ideóque cum venia dictum, definiuntur ex rhetoricæ partibus, ij qui vtuntur ampla & ſententiarum grauitate, & maieſtate verborum, vehementes, varij, copioſi, graues, ad permouendos & conuertendos animos inſtructi & parati. Etenim primum eſt inuenire atque collocare ſententias aptiores, & etiam ad mouendum ampliores, vt omnes quæ virum grauem decent,

cum authoritate & amplificatione verba facientem, quales â poëtis de rebus omnibus in heroica maieſtate ponuntur. Contrà omittent vilem rerum minutarum multitudinem, qualis eſt in comœdia & epigrammatis. Alterum eſt inuenta digeſtáque proloqui ſeruata dignitate verborum, id eſt poſitis verbis grauitate delectis, plenis, ſonantibus, nitidis, figuris aptè modificatis, ne quid aut leue ſit, aut inane, aut exile, aut turpe, aut à rebus alienum. Quoniam autem non habetur orator is qui docet tantum, ponatur & tertium munus in augendis rebus, & in mouendis animis, grauitérque concitandis pro dignitate cauſſæ. Sic fuit Sulpitius grandis & tragicus orator. Sed ne fruſtra ab ijs quorum ſcripta perierunt, exempla petas, vtitur hoc genere dicendi in tota ferè oratione pro Rabyrio perduellionis reo. Ius, inquit, omne retinendæ maieſtatis, Rabyrij cauſſa continebatur, ergo in omni genere amplificationis exarſimus. Oratorum grauium duæ ſpecies. Alij vtuntur aſpera, triſti, horrida oratione, neque perfecta neque concluſa, hoc eſt, eorum verba ſæpe dura ſunt, inelegantia, iniucunda, inęqualia. Deinde aſperi literarum concurſus, iuncturæ hiantes atque diſiunctæ. Tum periodi, neque numerum perficiunt, neque concludunt ad explendum aurium ſenſum apto quaſi verborum modo. Contrarium eſt ſuaue genus, de quo præcipit in oratoria partitione. Sit hoc exemplum Catonis ex oratione pro Rhodijs. Scio ſolere pleriſque hominibus, rebus ſecundis, atque prolixis, atque proſperis, animum excellentem, atque ſuperbiam, atque ferociam, augeſcere atque creſcere: quod nunc mihi magnæ curæ eſt, quòd hæc res tam ſecundè proceſſerit, ne quid in conſulendo aduerſi eueniat. Aduerſę res ſe domant, & docent quid opus ſit facto. Secundæ res lætitia tranſuorſum trudere ſolent, à rectè conſulendo atque intelligendo. Quo maiore opere dico ſuadeóque, vti hæc res aliquot dies proferatur, dum ex tanto gaudio in poteſtatem noſtram redeamus. Sententiæ graues ſunt & copioſæ. verba pondere & grauitate delecta. Ratio dicendi plena maieſtatis. Cæterum iniamœna compoſitio verborum, concurſus aſperi, iunctura inſuauis, moleſta quædam repetitio coniunctionum. Numerus anguſtior & nulla arte modulatus. Non deerunt alia exempla Senecam legenti. Alij grauitatem retinent in oratione læui, æquata & complanata, quale iuuenile corpus eſt ſucculenta carne veſtitum. In oratione inſtructa verbiſque digeſta, qualis eſt acies ordine collocata. In oratione terminata & numeris abſoluta, quæ pedibus excurrit, ſpatiiſque fertur ad aurium dimēſionem. Quod genus reperias apud hunc grauioribus locis, vt Catilinaria prima, vbi grauitate ſeruata ſtudioſè componit orationem. Talis eſt hæc oratio Carbonis. O Marce Druſe. Patrem appello, Tu dicere ſolebas ſacram eſſe Rempublicã. Quicunque eam violauiſſent, ab omnibus eſſe ei pœnas perſolutas. Patris dictũ ſapiens, temeritas filij comprobauit.

Et contrà tenues,acuti,omnia docentes, & dilucidiora,non ampliora facientes, ſubtili quadam & preſſa oratione limati. In eodémque genere alii callidi, ſed impoliti,& conſulto rudium ſimiles,& imperitorum. Alii in eadem ieiunitate concinniores, id eſt faceti, florentes etiam, & leuiter ornati. 8

Alterum dicendi genus tenue vocatur,ſuperiori quodam modo contrarium. Illud autem, quemadmodum cætera omnia, poſitum eſt in rebus & verbis. Sententiæ erunt acutę, ſubtiles,& minutæ,quibus paruæ res continẽtur. Sed,vt par eſt,acutiores paulò q̃ in ſermone vulgari & lingua cottidiana. Etenim orator ille tenuis aſſumit etiam minima, ac multa dicendo, non amplificando dilucidiora omnia non ampliora facit. Oratio & elocutio ſubtilis erit,preſſa atque limata. Subtilis, verborum tenuitate & gracili filo. Ea ſunt verba quæ paucas habent ſyllabas,& exiguas literarum voces, & tritam ſignificationem, qualia ſunt in hoc Terentij verſiculo, Si illum relinquo,eius vitæ timeo: Sin opitulor,huius minas. Et in hac oratione Ciceronis, an in coacta multitudine,in armis,in telis,in præſenti metu mortis, perſpicuo periculo cędis,dubium vobis fuit,an eſſe vis aliqua videretur necne? Quibus igitur in rebus vis intelligi poteſt? ſi in his non intelligitur? Subtilitas & in numero dicitur, cum minutis & conciſis numeris ſine grauitate mouetur oratio. Sunt enim ſpacia grauiora plenioráque vt in dactylis ſpondeis,Pæanibus. Sunt leuiora atque graciliora,vt in iambis,choreis,pyrrhicijs,proceleumaticis. Ex his curtiſque periodis efficitur illa tenuitas: ſæpius ex inciſis atque membris inexpletis. Preſſa dicitur oratio attenuata non ampla: ĩ qua ferè nihil extat, nihil excellit,nihil eminet ſublimius. Nõ incedit regio paſſu,non ambitioſè circumflectit articulos,non iactat brachia, non oſtentat ornamenta,neque togam diſtendit,ſed quaſi puella honeſtior & verecundior,amictu ſimplici membriſque decenter preſſis molitur iter ad propoſitum finem. Cicero de claris oratoribus, Quoniam, inquit, oratorum bonorum, hos enim quærimus,duo genera ſunt, vnum attentè preſſéque, alterum ſublatè ampléque dicentium,& ſi id melius eſt quod ſplendidius & magnificentius,tamen in bonis omnia, quæ ſumma ſunt,iure laudantur. Sed cauenda eſt preſſo illi oratori inopia & ieiunitas. Amplo autem inflatum & corruptũ oratiõis genus.hic quidẽ preſſum genus opponit ãplo. Quĩtilianus in duodecimo preſſum dicit quod neq; tumidũ eſt,neq; inflatũ,neq; redũdãs. Vnde Attici preſſi, Aſiani tumidi eſſe dicunt. Ea quoque de cauſſa limatũ dicitur,cui deraſa eſt amplitudo & vbertas augẽdi. cuique extrita eſt illa gra-

uis ſeueritas,æqualitate quadam tenui relicta. nec ſi dicit omnia tenuis orator,icciro amplior eſt,Amplitudo dignitatis eſt,non multitudinis.Grauitas autem rerum magnarum & amplificationum eſt, non ſubtilium multorũq; ſermonum.Hoc genere dicẽdi floruit Lyſias apud Græcos.Cotta apud Latinos.Sed & illud Cicero paruis adhibuit rebus. Tota , inquit, mihi cauſſa pro Cecinna de verbis interdicti fuit.Res inuolutas definiendo explicauimus,ius ciuile laudauimus,verba ambigua diſtinxim⁹.Significat partitiones, diuiſiones,diſtinctiones,ſubtiliter tractari ſolere. In hoc genere ſunt Comici,Bucolici,frequenter Epigrammatici,nonnũquam Lyrici,Plærũmque ſcriptores epiſtolarum.In eodẽ genere,alij callidi,id eſt exercitati , acuti in cõmuni hominum opinione verſati atque ſubtiliter prudentes . Nam quod ait tertio de natura deorum,Callidi,ſunt quorum tanquam man⁹ opere,ſic animus vſu concalluit.Vt autem callidi ſunt in rebus atque ſententijs, ita genere elocutionis impoliti & inornati,& conſulto rudium ſimiles & imperitorum.qui quum elegantius ornare poſſint orationem,tum verbis & figuris, tum ſuauiore numerorum tractu,malũt effundere incomptum, inornatum, rudéque dicendi genus,aut quia dictionem accommodant imperitis vt Lyſias,aut quia contemnunt elegantiarum delicias , vt antiquorum ſimiliores eſſe videantur. Alij ſunt oratores in eadem ieiunitate , hoc eſt tenuitate & gracilitate, quæ nihil vehementer amplificat,Concinniores ij ſunt faceti,lepidi,iucundi,florentes,& leuiter ornati, quorum elocutio tenuis eſt quidẽ, ſed venuſta,grata, facilis,& ſuauitate condita veluti quędam Attica Venus. Quo genere florent etiam Poëtæ,vt Ariſtophanes & Terentius.

9 Eſt autem quidam interiectus intermedius,& quaſi temperatus,nec acumine poſteriorum, nec fulmine vtens ſuperiorum,vicinus amborum,in neutro excellés, vtriuſque particeps,vel vtriuſque, ſi verum quærimus, potius expers. Iſque vno tenore , vt aiunt , in dicendo fluit, nihil adferens præter facultatem,& æqualitatem, aut addit aliquos vt in corona toros , omnémque orationem ornamentis modicis verborum, ſententiarúmque diſtinguit.

Tertium dicendi genus eſt intermedium , Illud eſt quaſi temperatum. Nec enim tam ſubtile eſt,tam minutũ,tam acutũ,quàm quod tenue vocatur, Nec tam graue,tam vehemens,tam amplum,quam character ille grandiloquus atque ſublimis. Nec fulminat amplificatiõe,nec ad minima rerum mo-

menta penetrat acumine,ſed vno tenore, hoc eſt æquabili continuatione in dicendo fluit.Nihil aſferens præter facultatem,id eſt, facilem quendam ductum & volubilitatem cum æqualitate parique ratione texendi . In neutro excellit ,nec inſigniter apparet, nec vehementer auget , nec tenuiter infima rimatur.Vtriuſque particeps eſt , vt videtur,ſed ſi verum quærimus , potius expers.quia neque hoc,neque illud habet , ſed interiectam moderationem retinet,atque temperiem.Aequalitas in eo non eſt tam perpetua , tamque directa , quin aliquando mollius aſſurgat , vbi quid amplius eſt efferendũ. Sed addit aliquos,vt in corona toros.Volubile quidem genus & rotũdum vt corona,ſuſcipit ad ornamentum partes eminentiores,quaſi toros,ne tanquam politum marmor, iucunditate varietatis exuatur . Huc alij κορύνην , id eſt,clauam reſtituunt,quibus ideo non aſſentior,quod & græca vitat Cicero , & in claua nodi torique notabiliter excellunt, non item in aurea corona,vnde ſimilitudo & imago ducitur. Iam ſi quæris exemplum, Cape tibi orationem pro lege Manilia.Sic enim teſtatur. Fuit ornandus in Manilia lege Pompeius,temperata oratione,ornãdi copiam perſecuti ſumus. Huc pertinẽt & poëmata,vt Georgica Vergilij,Faſti Ouidij ĩſigniores,odæ Horatij & id genus multa.in quibus eſt dignitas inferior ampliſſimo genere , ſuperior infima tenuitate.

Horum ſingulorum generum quicunque vim ſin- 10
gulis conſecuti ſunt , magnum in oratoribus nomen habuerunt.Sed quærendũ eſt,ſatiſne id quod volumus, effecerint. Videmus enim fuiſſe quoſdam , qui iidem ornatè ac grauiter,iidem verſutè & ſubtiliter dicerent. Atque vtinam in Latinis talis oratoris ſimulachrum reperire poſſemus:eſſet egregium non quærere externa,domeſticis eſſe contentos. Sed ego idem , qui in illo ſermone noſtro , qui eſt expoſitus in Bruto , multum tribuerim Latinis,vel vt hortarer alios , vel quod amarem meos , recordor longe omnibus vnum anteferre Demoſthenem , qui vim acommodarit ad eam quam ſentiam eloquentiam , non ad eam quam in aliquo ipſe cognouerim. Hoc nec grauior extitit quiſquã , nec callidior,nec temperatior. Itaque nobis monendi ſunt

ii,quorum ſermo imperitus increbuit, qui aut dici ſe deſyderant Atticos,aut ipſi Atticè volunt dicere,vt mirentur hunc maxime,quo ne Athenas quidẽ ipſas magis credo fuiſſe Atticas, quid enim ſit Atticum diſcant eloquentiámque ipſius viribus, non imbecillitate ſua metiantur. Nunc enim tãtum quiſque laudat, quãtum ſe poſſe ſperat imitari. Sed tamen eos ſtudio optimo,iudicio minus firmo præditos, docere quæ ſit propria laus Atticorum,non alienum puto.

Non habendi ſunt oratores abſoluti, qui in ſingulis generibus, non in vniuerſis floruerunt, vt in graui Sulpitius. in tenui Cotta. in temperato medióque Hortenſius. Quanquam hi, & eorum ſimiles magnum in oratoribus nomen habuerunt.quia magnum eſt, vel vnum tractare genus. Sed ante Ciceronem nemo latinorum,quod hic quæritur,effecit,.vt idem ornatè & grauiter,ſi eſſet vtendum genere ſublimi:idem temperatè,ſi medio: idem verſutè,callidè,ſubtiliter,acutè,ſi tenui,diceret. Quidam vt Craſſus & Antonius præclarè fuerunt initiati, & vt vulgus exiſtimabat,ſummi atque perfecti, quos in Bruto,hoc eſt dialogo de claris oratoribus vehementer ornat, non quod fuerint abſoluti,ſed quod Romanus Romanos amet,& extollere conetur, atque ita comparare Græcis,qui nomini Romano nihil attribuebant artium ſecretiorum: Quoniã autem domeſticos, id eſt, latinos excellentes,tribus illis dicendi generibus vniuerſis verè nominare non poſſit, & ſi putat egregium præclarúmque vti ſuis, non quærere externa & aliena, cogitur tamen Latinis anteferre Gręcos,maximè Demoſthenem nõ abſolutum illum quidem, ſed qui vim facultatémque dicendi accommodarit ad eloquentiam perfectam,quoniam varijs in rebus alio & alio vſus ſit genere dicendi. Demoſthenes,igitur cæteris abſolutior, Et ſi fortè malumus hominem quàm Platonis ideam intueri, ad imitationem videtur eſſe proponendus. Quamobrem caſtigat eos, qui principe eloquentiæ relicto, inferiores quiſque pro libidine imitantur,quúmque ſit aliquid quod in Demoſthene vel Aeſchynes deſideret,ad ideam tandem reducit imitatorẽ. Sit igitur hæc ratio diſputandi tria eſſe genera dicendi oratori ſummo neceſſaria, quæ nõ aſſequetur κακόζηλος & prauus imitator. Hic locus eſt comparatus in Oratores,quoſdã rudiores,q fuere tẽpore Cicerõis. ij ſolũ dicebãt Atticos eos, qui horridè & aſperè fũderẽt orationẽ,ſi modo reb' ſtuderẽt. Ciceronẽ tãquam Aſianum & redundantem contempſerant,de quibus hic alibi, quo-

quoniam,inquit,nonnullorum ſermo iam increbuit,partim ſcipſos atticè dicere, partim neminem noſtrum dicere,alteros negligamus, ſatis enim his res ipſa reſpondet, quum aut non adhibeantur ad cauſſas,aut adhibiti derideantur.Nam ſi arrideantur,eſſet idipſum atticorũ. Ergo monendi ſunt iſti quorum ſermo imperitus ſimplex & experientię vacuus increbuit ac diuulgatus eſt ipſos atticè dicere, monendi,inquam,vt Demoſthenem admirentur,quo ne Athenas quidem ipſas,id eſt genuinam Atheniẽſium facundiam lepidáſque venuſtates magis credo fuiſſe atticas,hoc eſt facundas, elegantes ac ſuaues.Quid enim ſit atticum diſcant,nempe ſyncerum, incorruptum, & elegans,eloquentiámque metiantur Demoſthenis viribus,non imbecillitate ſua,qui nec ingenio,nec doctrina valent. Non enim laudant quod optimũ eſt,ſed aut quod habent, aut quod imitari poſſe ſe credunt. Qui ſi ſtudio ſunt optimo, quia ſectantur atticam eloquentiam, tamen iudicio ſunt infirmo,quia iudicare non poſſunt,quæ ſit propria laus Atticorum:hos eſſe deriſos memorię mandat Tuſculana ſecunda.Reperiebantur,inquit, nonnulli qui nihil laudarent, niſi quod ſe imitari poſſe confiderent, quique ſperandi ſibi eundem bene dicendi finem proponerent, & quum obruerentur copia ſententiarum atque verborum, ieiunitatem & famem ſe malle quàm vbertatem & copiam dicerent. vnde erat exortum genus atticorum,ijs ipſis qui id ſequi ſe profitebantur ignotum,qui iam conticuere, penè ab ipſo foro irriſi. Sunt autem Græcorum quinque διάλεκτοι, hoc eſt linguæ proprietates attica,dorica,æolica,ionica,communis. In illis attica princeps eſt & dignitate verborum & liberali ſono, hoc à cæteris diſtans, quod ſermo ruſticus ab vrbano.Cicero paulò pòſt.Atheniẽſium ſemper fuit prudens, ſyncerúmque iudicium,nihil vt poſſent,niſi incorruptum audire & elegans.Idem ibidem. Ad atticorum igitur aures teretes & religioſas qui ſe accommodant,ij ſunt exiſtimandi atticè dicere.

Semper oratorum eloquentiæ moderatrix fuit au- 11
ditorum prudentia. Omnes enim qui probari volunt,
voluntatem eorum qui audiunt,intuentur,ad eámque,
& ad eorum arbitrium, & nutum totos ſe fingunt,&
accommodant.Itaque Caria,& Phrygia,& Myſia,quòd
minime politæ, miniméque elegantes ſunt, aſciuerunt
aptum ſuis auribus opimum quoddam,& tãquam adipale
dictionis genus, quod eorũ vicini, non ita lato interiecto
mari, Rhodii nunquam probauerunt, Græci

autem multo minus, Athenienſes verò funditus repudiauerunt:quorum ſemper fuit prudens ſyncerúmque iudicium,nihil vt poſſent niſi incorruptum audire, & elegans. Eorum religioni cum ſeruiret orator,nullum verbũ inſolens,nullum odioſum ponere audebat. Itaque hic,quẽ præſtitiſſe diximus cæteris, in illa pro Cteſiphonte oratione longè optima ſummiſſius à primo, déinde dum de legibus diſputat, preſſius: pòſt ſenſim incedens,iudices vt vidit ardentes: in reliquis exultauit audacius. Ac tamen in hoc ipſo diligenter examinante verborum omnium pondera reprehendit AEſchines quædam,& exagitat,illudénſque,dura,odioſa,intolerabilia eſſe dicit. Quinetiam quærit ab ipſo, cum quidem eum beluam appellet, vtrũ illa verba,an portenta ſint: vt Aeſchini,ne Demoſthenes quidẽ videatur Atticè dicere. Facile eſt enim verbũ aliquod ardens (vt ita dicã) notare, ídque reſtinctis iam animorum incendiis, irridere.Itaque ſe purgans iocatur Demoſthenes, negat in eo poſitas eſſe fortunas Græciæ, hoc an illud verbum dixerit,huc an illuc manum porrexerit. Quonam igitur modo audiretur Myſius, aut Phryx Athenis, cum etiam Demoſthenes exagitetur vt putidus? Cum vero inclinata vlulantíque voce more Attico canere cœpiſſet,quis eum ferret? aut quis potius non iuberet auferri? Ad Atticorum igitur aures teretes,& religioſas, qui ſe accommodant, ii ſunt exiſtimandi Atticè dicere.

Paucis antè verbis aggreſſus eſt atticos iſtos falſò nominatos. Iam pluribus oſtendit,quid ſit atticè dicere:definit à contrarijs atticũ dicendi genus, neq; eſſe impolitum,neq; inelegans,neq; opimum & adipale,neque inuere-

cũdum,neq; durum & odioſum,neq; auditu triſte, neq; vlulanti voce declamandum,ſed ſyncerum,incorruptum,& elegans:quæ declaratio facilè à dictis eius colligitur.Ea melior eſt ac venuſtior poſitis exẽplis , & inter ſe cõparatis.Hunc totum locum Quintilianus occupauit libro duodecimo capite decimo,de genere dicẽdi.Tum ſi voles iure repetes,& lege vindicabis.Plurimum conferet ad intelligendum verum illud dicendi genus . Auditorum prudentia eſt,intelligendi iudicãdiq; ratio & facultas in ſingulis,quæ ſi parua eſt,parua deſiderat:ſi mediocris,mediocria:ſi magna,res magnas. Hanc ſpectat orator,quoniã ſi probari velit,voluntatem eorũ qui audiunt intueatur neceſſe eſt,vt ad eorũ arbitrium,hoc eſt liberum iudiciũ,& nutum,id eſt ſignis expreſſam voluntatem ſe fingat,cõponat,accõmodet.In primis enim habenda ratio perſonarũ,videndúmq; qua quiſq; ratione trahi, vinciq; poſſit.Id confirmat exemplo Aſianorũ,in quibus Phryges,Cares,Myſij,populi in Aſia minore maritimi fuerunt minimè politi,minimèq; elegantes,ſed in loquendo rudes,aſperi,incõpoſiti,inflati,redundantes.Quãobrem aſciuerũt, ſenſimque induxerunt, aptum ſuis auribus vaſtis & agreſtibus, opimum & craſſum quoddã,& tanq̃ adipale & pingue dicendi genus.Quod eorũ vicini non ita lato interiecto mari Lycio,Rhodij nunq̃ probauerũt, apud quos fuiſſe magnos oratores hiſtoriæ teſtantur.Hoc pingue,ſi quæras vbi ſit,inſitum eſt verbis odioſis,ſonóq; vocis illiberali & iniucũdo . Quintil.octauo, Neq; enim Aſiani,aut quocunq; alio genere corrupti,res non viderunt , aut eas non collocauerũt,ſed illis in eloquendo vires defuerunt . Nonius Marcellus nõ adipale,ſed adipatę legit.Adipatũ,inquit,veteres honeſtè pro pingui & ſucculento & opimo poſuerunt,& hac vtitur Ciceronis authoritate, Nec deſunt qui adipalę verbũ barbarũ putent. Arbitror adipale nõ adipatæ ſcripſiſſe Ciceronem,quia quum poſuiſſet hoc epitheton,opimum, recta loquendi ratio poſcebat adipale cõiungi non orationis filum in caſum patriũ malè detorqueri.Sic enim rectũ fuerat,Aſciuerũt aptum ſuis auribus opimæ quoddã,& tanq̃ adipatæ dictionis genus. Cur autem ab adipe non dicimus adipale? vt à lege legale? à ceruice ceruicale? à trabe trabale? à dape dapale? Nã claui trabales & cœna dapalis eſt dicta.Quæ porro iſta eſt religio? quæ vana potius ſuperſtitio? Neſciunt hoc præcepiſſe Ciceronẽ, vt ex inflexione verba noua faciamus? Redeamus in viam. Quemadmodũ Phryges oratione impoliti fuerunt & incompoſiti,ſic & Athenienſes incorrupti & elegãtes,& in dicendo religioſi,quorũ religioni,hoc eſt obſeruantiſſimæ curę audiendi & loquendi quum ſeruiret orator,nullum verbũ inſolens, inauditũ, inuſitatũ,ab attico lepore alienũ,nullum odioſum & auditu moleſtũ ponere audebat . Itaq; Demoſthenes in illa celeberrima pro Cteſiphonte oratione, quẽ accuſabat Aeſchynes,ꝙ contra leges,in publico Demoſthenẽ coronaſſet,Summiſſius à primo.hoc eſt à principio dixit,vt inſolentiã vitaret & audaciam,vt illum honeſtũ pudorẽ gratámq; verecundiã præ ſe ferret.Deinde preſſius.id eſt ſubtilius,& acutius, dũ de legibus diſputat,quę vetabãt ipſum

coronari in theatro,populo conuocato,qui locus nõ eſt legitimæ cõcionis, quum etiã nihil de Rep.bene meritũ ciuem,qui rationes ſuæ curationis non retuliſſet, coronari non liceret.hæc diſputatio ſubtile dicendi genus,& preſſum,vocem & actionẽ docentis plenã & ſecuram petit.Poſt,ſenſim incedẽs per ea quę adminiſtrauit in Repub.iudices,vt vidit ardentes orationis & affectuum flãma,in reliquis in aduerſariũ dictis,exultauit audacius , vt ſi quis imperator aditu facto ſpe victoriæ fretus petulantius exultet . Aeſchynes autẽ examinat,& quaſi trutinatur pondera verborũ.Exagitat & reprehendit quædam quæ odioſa dira μιαρὰ quæ intolerabilia ἀπίθανα eſſe dicit,Demoſthenem beluam appellat κίναδον,ab eo quærit,vtrũ illa verba ῥήματα,an portenta θαύματα ſint.Aeſchynis verba ſubſcripſimus ad hunc illuſtrandum locũ οὐ μέμνησθ' αὐτοῦ τὰ μιαρὰ καὶ ἀπίθανα ῥήματα ἃ πῶς ποθ' ὑμεῖς ὦ σιδήρεοι ἐκαρτερεῖτε ἀκροώμενοι. ὅτ' ἔφη παρελθών, ἀμπελουργοῦσί τινες τὴν πόλιν, ανατετμήκασί τινες τὰ κλήματα τοῦ δήμου, ὑποτέτμηται τὰ νεῦρα τῶν πραγμάτων φορμορραφούμεθα ἐπὶ τὰ στενά τινες ὥσπερ τὰς βελόνας διείρουσι ταῦτα δὲ ἐστιν ὦ κίναδος ῥήματα ἢ θαύματα? Non meminiſtis eius odioſa & intolerãda verba? quæ qua patientia audire potuiſtis homines ferrei? quum prætercurrens inquit,Sunt qui tanq̃ vites amputãt ciuitatem, Sunt qui exciderũt quaſi palmites populi,ab eis ſucciſi ſunt Reip. nerui . Cogimur in anguſtias, quaſi in tegetem inſuti. Sunt qui nos tanq̃ acus traijciũt,hæc ô belua,cuius ſunt verba aut portenta potius? Sic verba Demoſthenis aliqua in concione concitati reprehendit Aeſchynes,aduerſus quẽ Cicero purgat Demoſthenem,qui vbi iam incaluiſſet oratio,poſuerit verba ardentia,quę reſtinctis iam animorum incendijs,& affectu remiſſo frigidiora videbãtur . Et ſe ipſe purgat tuetúrq; Demoſthenes.negat in eo poſitas eſſe fortunas & res græciæ τὰ τῶν Ἑλλήνων πράγματα,hoc an illud verbũ dixerit in elocutione,huc an illuc manum porrexerit in geſtu, verba Demoſthenis ſunt.πάνυ γὰρ παρὰ τοῦτο,οὐχ ὁρᾷς, γέγονε τὰ τῶν Ἑλλήνων πράγματα, εἰ τουτὶ τὸ ῥῆμα, ἀλλὰ μὴ τουτὶ διελέχθην ἐγώ. ἢ δευρὶ τὴν χεῖρα ἀλλὰ μὴ δευρὶ παρήνεγκα . Præclarè ſanè ſe habeant fortunæ Græcorũ,vti videre potes,hoc ſi verbũ non illud locutus ſim, aut ſi manum huc nõ illuc protulerim.Ex his facilè eſt intelligere locũ Ciceronis eſſe corruptũ,& hoc modo legendũ.Negat in eo poſitas eſſe fortunas Græciæ,hoc an illud dixerit verbũ,huc an illuc manũ porrexerit.Si Demoſthenes exagitatur & vellicatur ab Aeſchyne tanq̃ putidus , id eſt rancidus , auditu triſtis & inſuauis,quonãmodo audiret Myſius aut Phryx Athenis? Omiſit Cares illos barbaros in primis,quia noluit Car nominatiuũ ſingularem inuenuſtũ ponere.quẽ vſurpãt nõnunq̃ hiſtorici . Nec in verbis putidis ſolũ eſt opimũ genus,ſed etiã ponit in voce inclinata,id eſt neq; ſtante,neq; erecta , ſed deflexa ad nimiã quandã ſeueritatẽ . Cicero infra, volet orator inclinata voce videri grauis.Idẽ ſecundo de oratore,Oratio poteſt inclinantem erigere,aut ſtantẽ inclinare. Eſt etiã vox Aſianorũ in epilogis ſiue perorationibus quæ luporũ more vlulat,& triſte quoddam canticum perſonat, quod in agendo

fœdiſſimum eſt. Non enim canendum, ſed voce molliter, ac decenter flexa pronunciandum, quum mouemus affectus in peroratione. Dixit hic Cicero teretes aures ſicut Horatius, Os rotundum Graijs dedit ore rotundo, Muſa loqui. Acron interpretatur os perfectum. Aures ergo teretes perfectæ, perpolitæ, delicatæ, quæquæ ſonis aſperioribus facillimè lædantur. Religioſæ verò, quæ nihil corruptum, nihil fœdum, nihil putidum admittunt. Contrà, legunt pura omnia, ſancta & incorrupta, vt fieri ſolet in obſeruatione Cerimoniarum.

Quorum genera plura ſunt: hi vnum modo quale 12
ſit, ſuſpicantur. Putant enim qui horridè, incultéque dicat, modo id eleganter, enucleatéque faciat, eum ſolum Atticè dicere. Errant, quòd ſolum: quòd Atticè, nõ falluntur. Iſtorum enim iudicio, ſi ſolum illud eſt Atticũ, ne Pericles quidem dixit Atticè, cui primæ ſine controuerſia deferebantur. Qui ſi tenui genere vteretur, nunquam ab Ariſtophane poeta fulgurare, tonare, permiſcere Græciam dictus eſſet. Dicat igitur Atticè venuſtiſſimus ille ſcriptor, ac politiſſimus Lyſias. Quis enim id poſſit negare? Dum intelligamus, hoc eſſe Atticum in Lyſia, non quòd tenuis ſit atq; inornatus, ſed quòd nihil habeat inſolens, aut ineptum. Ornatè verò & grauiter, & copioſè dicere, aut Atticorum ſit, aut ne ſit Aeſchines, néve Demoſthenes Atticus. Ecce autem aliqui ſe Thucydidios eſſe profitentur, nouum quoddam imperitorum & inauditum genus. Nam qui Lyſiã ſequũtur, cauſidicum quendam ſequuntur: non quidem amplum, atque grandem, ſubtilem & elegantem tamen, & qui in forenſibus cauſſis poſſit præclarè conſiſtere. Thucydides autem res geſtas, & bella narrat, & prælia, grauiter ſanè, & probè, ſed nihil ab eo transferri poteſt.

ad forenſem vſum,& publicum.Ipſæ illæ conciones ita multas habent obſcuras, abditâſque ſententias, vix vt intelligantur,quod eſt in oratione ciuili vitium vel maximum. Quæ eſt autem in hominibus tanta peruerſitas,vt inuentis frugibus,glande veſcantur?an victus hominũ Atheniẽſiũ beneficio excoli potuit,oratio nõ potuit? Quis porro vnquã Græcorũ Rhetorũ à Thucydide quicquam duxit? At laudatus eſt ab oĩbus:fateor,ſed ita, vt rerũ explicator,prudẽs,ſeuerus,grauis, non vt in iudiciis verſaret cauſas,ſed vt in hiſtoriis bella narraret. Itaque nunquam eſt numeratus orator. Nec verò ſi hiſtoriã nõ ſcripſiſset,nomẽ eius extaret,cũ præſertí fuiſſet honoratus, & nobilis.Huius tamen nemo, neque verborum,neque ſententiarum grauitatem imitatur: ſed cum mutila quædam,& hiantia locuti ſunt, quæ vel ſine magiſtro facere potuerunt,germanos ſe putant eſſe Thucydidis.Nactus ſum etiam qui Xenophontis ſimilem eſſe ſe cuperet,cuius ſermo eſt ille quidem melle dulcior,ſed à forenſi ſtrepitu remotiſſimus.Referamus nos igitur ad eum quem volumus, inchoandum, & eadem eloquentia informandum,quam in nullo cognouit Antonius.

Tria genera facit eorum qui falſò exiſtimant ſe Atticè dicere: Alij ſubtiliter,ſed horridè incultéq; dicẽdum putant Lyſię more:Alij ſe Thucididios eſſe profitentur.Alij Xenophontis imitatores videri cupiunt. Iſtorum oĩm praua iudicia caſtigat.Primi ſectantur illud tenue dicendi genus,quod eſt elegans,id eſt, bonis ſententijs & verbis informatum, quod eſt enucleatum, hoc eſt dilucidum,tum expoſitione rerum,tum verbis proprijs,vſitatis, cõpoſitis,horridum tamen,aſperum & incultum figuris & ornamẽtis minimè pulchris,hiante iunctura verborum,numero neque perfecto,neque cõ-

cluſo,quo charactere philoſophorum plerique ſunt vſi. Id genus tenue & callidum,ſed impolitum & conſulto rude,Cicero Atticum fatetur, quia Lyſias Atticus in eo præclarè conſtiterit,Sed id Atticū ſolum negat, quoniam graue mediúmque duo reliqua dicendi genera ſuſcipiunt Attici. Nam quum Pericles ciuis Athenienſis vteretur oratione graui, primę partes illi omniū conſenſu deferebantur,id quod affirmat Socrates in Phœdro Platonis, vt paulò antè dictū eſt.Quod oſtēdit Ariſtophanes poëta comic⁹,q de Pericle ſcribit ἤστραπτεν, ἐβρόντα, ξυνεκύκα πάντα, Fulgurabat, tonabat, permiſcebat omnia.De Pericle Cicero in Bruto, Antè Periclem cuius quædam ferūtur & Thucydidem,qui non naſcentibus Athenis, ſed iam adultis fuerunt, litera nulla eſt,quæ quidem ornatum aliquē habeat, & oratoris eſſe videatur,Itaque potuit à ſcriptis coniecturam capere,ſed alterius cuiuſdā eſſe creduntur.Sit igitur argumentum à repugnantibus. Si tenuis orator ſolus eſt Atticus.Pericles ille grauis orator non Atticus fuit. Fuit autem Pericles imprimis Atticus,Ergo non tenuis orator ſolus eſt Atticus. Quia verò dicunt imitari ſe Lyſiam, qui ſit tenuis & inornatus, probat eos exiſtimare falſum, ſi putant illud eſſe Atticū.Etenim Demoſthenes nō tenuis eſt, ſed copioſus, non inornatus,ſed ornatus,& tamen imprimis Atticus. Hoc eſt igitur Atticum in Lyſia, non ꝙ tenuis ſit & inornatus,ſed quod nihil habeat inſolens, alienum,peregrinum,abſurdum,aut ineptum,vitioſum ingratum,ridiculum. Hic quærendum videtur,Cur Lyſiam ſcriptorem vocet, deinde quo pacto poſſit idem eſſe venuſtiſſimus ac politiſſimus, Idem in eodem tenuis & inornatus? Cauſſam prioris ſic oſtendit in Bruto,Tum fuit Lyſias ipſe quidē in cauſſis forenſibus non verſatus,ſed egregiè ſubtilis ſcriptor,atque elegās, quem iam propè audeas oratorem perfectum dicere. Ex quibus intelliges horum ſententiam,Qui Lyſiam ſequuntur,cauſidicum quendam ſequuntur, non illum quidem amplum, atque grandem,ſubtilem & elegantem tamen, & qui in forenſibus cauſſis poſſit preclarè conſiſtere. Is quum lex Athenis eſſet,ne quis vteretur oratore,ſed ſuā ipſe cauſſā diceret,cuius negociū & lis eſſet.ſcribebat imperitis orationes,quibus ad iudices vterentur. Aliquot extant adhuc dilucidę,tenues,ſermonis illius cottidiani conſimiles, vnde propoſuiſſemus exēpla ſi opus fuiſſet.Sed qui Græca norunt,ab ipſo fonte credo haurire malunt. Orationes illæ ſubtiles & inornatæ videntur, quia non ita multum recedunt à ſermone vulgari.Nihilominus venuſtiſſimæ, hoc eſt decentiſſimæ ſunt,vt pote,quę mirum in modum placeant, Sunt & politiſſimæ,quæ nihil omnino redundent. Hęc in oratione non magis repugnant quàm eundem virum eſſe gracilibus membris,vulgariter indutis, vt Iulium Cęſarem,eundē decere tamen & Χάριτας habere. Alterū genus cacozelorū propoſuit ſibi Thucydidem imitādum, quorum iudicium Cicero ſic eleuat, Nouum quoddam imperitorum & inauditum genus. Deinde ratione refutat,hoc modo, Nihil ab eo transferri poteſt ad forēſem vſum & publicum, quia id maximè liceret è cōcionibus, in quibus hiſtoricus agit oratorem.At

verò ille conciones in quibus frequẽs eſt Thucydides, ita multas habent obſcuras abditáſque ſententias, tum ex hiſtorijs congeſtis, tum ex quadam antiqua affectatione grauitatis, vix vt intelligantur, quod eſt in oratione ciuili & oratoria vitium vel maximum. Poſtea rhetores Græcos obijcit, quos à Thucydide nihil vnquam duxiſſe contendit. Tentat & maius, Iſtos nec imitari debere Thucydidẽ nec poſſe, qui neſciãt virtutes eius, tantũ viderint horridum & incultum genus orationis: Demoſthenem tamen ferunt Thucydidis orationem adeò probaſſe, vt eam non modo legerit, ſed etiam didicerit. Quod ſi eſt, qui conſtare poſſunt dicta Ciceronis? Sed de ſcriptoribus magnæ ſunt controuerſiæ in pręſentia omittendæ. Hoc ponendum fortè, voluiſſe Ciceronem accommodare ſe cauſſæ, & Thucydidem non ita improbaſſe quin aliquid eloquentiæ conferre poſſe arbitraretur, ſed meliores ſemper fuiſſe duces eloquentię. de Thucydide paulò aliter Alicarnaſſeus ὥσδὶ τ' ἀληθὲς ἔχει ὁ καὶ παλαιότερον, ἀεὶ θαυμαζόμενος Θουκυδίδης τ' ὄνομα δαιμονιώτατος τῶν συγγραφέων. Sic veritas habet antiquior. Semper eſt admirando nomine Thucydides, vt omnium ſcriptorum fœliciſſimus. Hãc ſententiam Quintilian⁹ Alicarnaſſei Dionyſii amator probat, nec improbat omnino Cicero qui fateatur eſſe rerum explicatorem prudentem, ſeuerum, grauem, qui præclarè narret res geſtas in adminiſtratione ciuili, Bella in expeditionibus, Pręlia in conflictib⁹. Quia liber Thucydidis habetur in manibus, legat qui volet, & in re pręſenti iudicium ferat. Semper tamen erit quædã peruerſitas, & praua ſentiendi ratio & agendi, Thucydidem imitari te malle quàm Demoſthenem, quum Thucydides & antiquior ſit & aliud genus ipſe tractet: Scitè comparat eiuſmodi homines ijs qui frugibus inuentis glande veſcebantur, propterea ꝙ quæ poſterioriores Græci vt Demoſthenes ad eloquẽtiam inuenerunt, tanto præſtantiora fuerunt illa Thucydidis antiquitate, quanto glandibus antiquorum, meliores ſunt inuentæ à Cerere fruges. Nam quemadmodum doctore Triptolemo, victus hominũ, beneficio Athenienſium excoli potuit, ſic & oratio potuit. Fabulam de Cerere & Triptolemo ſcribit Ouidius quarto Faſtorum:

Iſte quidem mortalis erit, ſed primus arabit,
　Et feret, & multa præmia tollet humo.

Græcos Rhetores accipit etiam Oratores. Sic enim ῥήτορας Gręci vocant, quos hic imitat⁹ eſt Cicero, Latini appellãt eos rhetores, qui pcepta eloquẽtiæ tradunt. De nobilitate Thucydidis notemus hæc pauca. Thucydides Olori & Aegeſipyles fili⁹, genus ad Aeacum Iouis filium referebat. Is opibus potens & honore clarus erat Athenis, Sed non ita multò pòſt, quum veniſſet in ſuſpitionem proditionis, actus eſt in exilium. Ita non eloquentia ciuili & fœlicitate rerũ geſtarũ, ſed hiſtorię cõſcriptiõe nomẽ extẽdit, ꝙ quũ clara ſit fama, & antiquam redoleat phraſin, imitatores iſti ſibi proponunt, Mutila quædam loquuntur, neque perfecta numeris, neque concluſa, neq; modulata ad explendum aurium ſenſum, hiantia vaſtè pronunciant, & ea

quæ

quæ ſunt ex aſpero vocalium cõcurſu literiſque rixantibus tam malè coagmentata, vt ore hianti laborantique ſint proferenda. Quod autem Thucydides anguſtiores interim numeros, & aſperas cõcurſiones admittit, vt in eius cõcionibus etiam videmus. Se putant eſſe germanos, id eſt ſimiles Thucydidis. Tertium genus imitatorum Xenophontem probat, ſententiarũ pondere grauẽ, oratione prædulcem, Cicero tranquilliorẽ putat, q̃ qui verſari poſſit in ſtrepitu forẽſi. De Xenophõte Diogenes Laertius Ξενοφῶν γρύλλου μὲν ἦν ἀθηναῖος τῶν δήμων ἀρχιεύς, αἰδήμων δὲ καὶ εὐειδέστατος εἰς ὑπερβολήν· ἀκροατὴς σωκράτους ἦν καὶ ἱστορίαν φιλοσόφων πρῶτος ἔγραψε, συνέγραψε δὲ βιβλία πρὸς τὰ τετταράκοντα ἄλλων ἄλλως διαιρούντων ταῦτα ἀνάβασιν ἧς κατὰ βιβλίον μὲν ἐποίησε προοίμιον, ὅλης δὲ οὔ· καὶ κύρου παιδείαν καὶ ἑλληνικὰ ἀπομνημονεύματα συμπόσιόν τε καὶ οἰκονομικὸν καὶ περὶ ἱππικῆς, καὶ κυνηγετικὸν καὶ ἱππαρχικόν, ἀπολογίαν τε σωκράτους, καὶ περὶ πόρων καὶ ἱέρωνα καὶ τυραννικόν, ἀγησίλαόν τε καὶ ἀθηναίων καὶ λακεδαιμονίων πολιτείαν. Xenophon Grylli filius Athenienſis fuit vico archieus, homo verecundus & ſupra modum formoſus. is auditor Socratis fuit, primúſque philoſophorum ſcripſit hiſtoriam. Conſcripſit autem libros ad quadraginta, alijs aliter partientibus. Aſcenſum Cyri, in quo ſingulorum librorum, non autem totius operis procemium fecit Cyri pædian, Rerum Græcarum cõmentaria, Conuiuium, Oeconomicũ, De arte equorũ, De venatione, Hipparchicũ, Socratis defenſionem, De ſeminibus, Hieronem, Tyrãnicum, Athenienſium & Lacedęmoniorũ Remp. Ex operibus illius extant adhuc nonnulla præclara, in quibus ſtylus eſt tenuis quidem, ſed venuſtus ac redolens atticiſmon genus dicendi acutũ, callidum, ſpatioſúmque. De Platonis & Xenophontis æmulatione, Gellius multa capite tertio libri decimi quarti.

Magnum opus omnino & arduum Brute conamur, ſed nihil difficile amanti puto. Amo autem, & ſemper amaui ingeniũ, ſtudia, mores tuos. Incẽdor porrò quotidie magis, non deſyderio ſolum, quo quidem cõficior, congreſſus noſtros, conſuetudinem victus, doctiſſimos ſermones requirens tuos, ſed etiã admirabili fama virtutum incredibiliũ, quæ ſpecie diſpares, prudentia coniunguntur. Quid enim tam diſtans, quàm à ſeueritate comitas? quis tamen vnquam te aut ſanctior eſt habitus, aut dulcior? Quid tam difficile quàm in plurimorũ controuerſiis diiudicandis ab omnibus diligi? cõſeque- 13

ris tamen, vt eos ipſos quos contra ſtatuas, æquos placatóſque dimittas. Itaque efficis, vt cum gratiæ cauſa nihil facias, omnia tamen ſint grata, quæ facis. Ergo ex omnibus terris vna Gallia communi non ardet incendio, in qua frueris ipſe te, cum in Italiæ luce cognoſceris, verſaríſque in optimorum ciuium vel flore, vel robore. Iam quantum illud eſt, quòd in maximis occupationibus nunquam intermittis ſtudia doctrinæ, ſemper aut ipſe ſcribis aliquid, aut me vocas ad ſcribendum? Itaque hoc ſum aggreſſus ſtatim Catone abſoluto, quẽ ipſum nunquam attigiſſem, tempora timens inimica virtuti, niſi tibi hortãti, & illius memoriam mihi caram excitanti, non parere nefas eſſe duxiſſem. ſed teſtificor me à te rogatum, & recuſantem hæc ſcribere eſſe auſum. Volo enim mihi tecum commune eſſe crimen, vt ſi ſuſtinere tantam quæſtionem non potuero, iniuſti oneris impoſiti tua culpa ſit, mea recepti. In quo tamen iudicii noſtri errorem, laus tibi dati muneris compenſabit.

Planum fecit eſſe multa & varia genera dicendi, laudabilia quidem illa, ſed tamen ſi ſummam eloquẽtiam requiras, imperfecta omnia, quamobrem ſe refert ad eum quem vult, inchoandũ, eáque eloquentia informandum, quã in nullo cognouit Antonius. Quoniam autem difficillimum eſt in tanta varietate iudicare, quæ ſit optima forma dicendi, tanq̃ magnitudine rei perculſus egreditur, vt expoſitis Bruti virtutibus, eam cauſſam faciat, cur onus impar ſuſceperit, & in perferẽdo multum laborauerit. Alterum valet ad veniã promerendam. Alterum ad operis huius & Bruti cõmendationem. Arduũ, difficile eſt & moleſtum Gellius. Arduum Salluſtius non pro difficili tantũ, ſed pro eo quoque ponit, quod Græci δυσχερὲς aut χαλεπὸν appellant, quod eſt cum difficile, tum moleſtum quoque & incommodum & intractabile. Inter Ingenium & ſtudia diſcrimen eſt, ingenium naturæ eſt: Studia operæ noſtræ & diligentiæ. Ex ingenio & ſtudiis, mores: his ergo rebus ordine poſitis amabilem Brutum ſignificat, cui ſit ingenium bonum natum patriæ

magniſque rebus,cui ſtudiũ virtutis,philoſophiæ atque eloquentiæ,cui mores ex ſeueritate & lenitate cõpoſiti.Qualia ſint hæc,Plutarchus in eius vita copioſè narrat.Animaduertendum quod Cicero dicit,incendor.Nam amori poſtponit aliquid maius,incendiũ,qui præcipui amoris eſt ardor. Duas eius incendij cauſſas ponit,abſentis amici deſyderium,famam virtutum incredibilium,à quibus amor ille antea magnus incendi poteſt. Brutus aberat,quo tempore C.Cæſaris in Africa bellum gerebat in Scipionem & Iubam, túmque prouinciam Galliam regebat, eodem tempore Cicero Pompeianus accepta venia,nunc Romæ, nunc in agro Tuſculano ſcriptitabat libros, confectus, vt ait,hoc eſt penè cõſumptus & temporum calamitate,& deſyderio ſuorũ: quorum congreſſus,& conſuetudinem victus,& ſermones requirebat,quæ tria ſic habent,vt primum ſit congredi conuenire ac ſalutare: Secũdum,verſari cum amico & ſodalitate recreari: Tertium,a conuiuio liberius confabulari.Nec prætereũdum illud,laudes epithetis,& adiunctis ad nomen, & rebus magnis & admirabilibus exornari,hinc iſtuc,Incendor admirabili fama virtutum incredibilium, quæ ſpecie diſpares prudentia coniunguntur. Scitè etiam virtutes non contrarias,ſed ſpecie diſpares cenſet, nulla quippe virtus alteri virtuti contraria eſt,ſed ſpecie diſpar,vt ſeueritas & comitas,quæ dicitur nomine lenitatis,diſpares non contrariæ ſunt:ad ſeueritatem referes ſanctum,ad comitatem dulce,in hac oratione, quis tamen vnquam te aut ſanctior eſt habitus aut dulcior? Nam ſanctitas eſt grauitas, & vitæ ſeueritas quæ nulla vi corrumpitur.Hoc autem dulce,lenitas eſt,&(vt ait in partitionibus)moderatio animaduertendi, quæ nonnihil de iure ſummo remittit. vtraque virtus,in iure dicundo maximè cernitur,vt in Bruto Præſide Galliæ qui controuerſias eo temperamento iudicabat, vt non modo victores, ſed eoſipſos quos contra ſtatueret ſententiamque pronunciaret, æquos id eſt æquo animo vinci ferentes,placatóſque dimitteret.Euitauit illud,cõtra quos, vt aſperũ & inſuaue,& ab anaſtrophe remedium quæſiuit. Gratiã dicit pro fauore.Nomen fauoris,tempore Ciceronis nõ multum inoleuerat, Sic pro Quintio,Quæ res in ciuitate duæ plurimum poſſunt, hæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore,ſumma gratia & eloquẽtia.Eſt ſumma gratia,ſummus fauor.Commune incendium,ſignificat cladem bellorum ciuilium.Brutus,quum prouincias cæteri præſides auare diriperẽt, Gallos in quiete ſumma regebat.omnéſque accẽdebat amore Cæſaris.Is igitur in Gallia fruebatur ipſe ſe, id eſt fructum gloriamque percipiebat illius ſuæ moderationis In Italiæ luce,id eſt ſplendore magiſtratus, vt in Rullum honoris veteri luce caruerunt,aut certè in Gallia,quæ ſit lux Italiæ,ad quod faciunt hæc in Antoniana tertia,Nec vero de virtute, conſtantia, grauitate prouinciæ Galliæ taceri poteſt.Eſt enim ille flos Italiæ,illud firmamentum imperij P.R illud ornamentum dignitatis,illic Italia florem Galliam, hic optimorum ciuium florem,illic imperij firmamẽtum,hic optimorum ciuium robur variè dixit. In tot occupationibus,tótque negocijs adminiſtranda prouinciæ,nec inter-

mittebat ſtudia doctrinæ Brutus,nec interrumpebat illam curã artium liberalium,adeò literis intentus erat, vt pridie q̃ prælio Philippenſi mortẽ opperetet, aliis omnibus anxiis de prælio futuro, Polybii epitomen ſcriberet, quæ res viri conſtantiã demonſtrat,& literarũ eximium amorem.Quem autem Catonem ſe dicit abſoluiſſe? Non eſt hic Cato maior & liber de Senectute,ſed laudatio Catonis Vticenſis, qui ne veniret in poteſtatem Cæſaris, ipſe ſibi manus attulerat,In quem Cæſar Anticatones ædidit,vt Ciceronem refutaret.Ea de re Cicero ad Atticum: Qualis futura ſit Cæſaris vituperatio contra laudationem meã,perſpexi,ex eo libro quem Hircius ad me miſit,in quo colligit vitia Catonis:hinc iſtud eſt,Catonẽ ipſum nunq̃ attigiſſem, tempora timens inimica virtuti, id eſt Cæſaris tyrannidem, niſi tibi non parere nefas eſſe duxiſſem: ſed teſtificor me à te rogatum,hæc Catonem & oratorem ſcribere eſſe auſum. Volo mihi tecum cõmune eſſe crimen,id eſt accuſationem,Vt ſi ſuſtinere tantam quæſtionem,id eſt tantam cauſſam tueri non non potuero,Iniuſti oneris,iniqui,viribúſque maioris tua culpa ſit, mea recepti.Ex hoc tibi dato munere tantum percipiam laudis, quantum vitii detur & vituperii,ſi quis in onere recipiendo fuit error iudicii noſtri.

14 Sed in omni re difficillimũ eſt formam,quod καρακτὴρ Græcè dicitur,exponere optimi, quod aliud aliis videtur optimum. Ennio delector, ait quiſpiam, quod non diſcedit à cõmuni more verborũ.Pacuuio,inquit alius: omnes apud hunc ornati,elaboratíq; ſunt verſus,multa apud alterũ negligẽtius.Fac aliũ Accio:varia enim ſunt iudicia, vt in Græcis,nec facilis explicatio quæ forma maximè excellat.In picturis alios horrida,inculta,abdita,& opaca:contrà alios nitida,læta,colluſtrata delectat. Quid eſt,quo præſcriptũ aliquod,aut formulam exprimas,cũ in ſuo quódque genere præſtet,& genera plura ſint?Hac ego religione non ſum ab hoc conatu repulſus:exiſtimauíque in omnibus rebus eſſe aliquid optimum, etiam ſi lateret, ídque ab eo poſſe, qui eius rei narus eſſet,iudicari.

Hæc annecte ſuperioribus, Magnũ opus omnino & arduũ Brute conamur,q̃a nõ ſolũ in eloquẽtia,ſed in omni re, vt in ratione viuẽdi difficillim

eſt formam ſpeciémque exponere optimi, quod aliud aliȷs videatur optimū. Ex quo ſubortæ ſunt illæ concertationes Philoſophorum, de finibus bonorum & malorum, quod aliud aliȷs optimum perpetuóque expetendum videretur. Nec enim χαρακτὴρ magis eſt eloquentiæ, quàm cæterarum rerum ſpecies & forma quędam. Nam quemadmodum χαράττω ſignificat id quod ſigno, ſpeciémque reddo, ſic etiam χαρακτὴρ eſt ὁμοίωσις, figura, & ſimilitudo rerum. Sæpe tamen orationis forma character appellatur. Quod autem. aliud aliȷs videatur optimum, ſicut in imitatoribus Græcorum planum fecit, ſic & in cenſoribus linguæ latinæ picturæq; demonſtrat. Ennio delectantur aliȷ, quia verſum ducit horridum & incultum: Pacuuium illum Tragicum præferunt aliȷ, quod Ennio ſit diligentior in ornando. Fac, id eſt, finge aliū Accio tragœdiarum ſcriptore delectari, cui⁹ librum Perſius vt durū & aſperum dicit eſſe venoſum. Iam in tam variȷs iudicȷs non erit facilis explicatio, quæ forma maximè excellat. Eodem modo iudicia variant in picturis: Aliȷ probant horrida, id eſt, inculta, quia magis referunt antiquitatem: Aliȷ cōtrà nitida, culta, & ornata, quoniam talia magnificentiora creduntur. In illis eſt quædam reuerēda maieſtas, In his pulchritudo & ſplendor illuſtris: Aliȷ optima putant abdita & opaca, quæ ſunt frequentibus vmbris depreſſiora, minúſque lucentia. Quod genus pleraque videmus admodum iucūda. Illud enim opacum & obſcurum, ſi modo ſcitè pictum & adumbratum eſt, min⁹ ſui tedium parit: Aliȷ contra ſumma iudicāt lęta atque colluſtrata. Lęta, porrecta, expreſſa, non reiecta, multiſque velut triſtibus vmbris opaca. Colluſtrata, quodammodo radiantia, vt quæ lineamentis eminentioribus & colore viuo ſpectatorum feriunt ſenſum. Idem tertio de Oratore: Quanto colorum pulchritudine & varietate floridiora ſunt in picturis nouis pleraque q̃ in veteribus? quæ tamen etiamſi primo aſpectu nos cœperunt, diutius nō delectant, quũ iȷdem nos in antiquis tabulis illo ipſo horrido obſoletóque teneamur. Sic varia ſunt iudicia, quidnam ſit optimum in eloquentia, vt in poëtis & pictoribus. Dicet igitur quiſpiam, Quid eſt in tanta varietate quo præſcriptum aliquod, aut formulam exprimas, Id eſt, cur certam legem, certúmque præceptum definias, tanquam Ludimagiſter, qui literarum formulas quaſdam puero præſcribit ad imitandum, quum in ſuo quódque genere præſtet & excellat, vt graue genus, vt tenue, vt medium, vt poëma non diſcedens à communi more vérborum, vt ornatum poëma, vt inculta pictura, vt nitida & ornata? Reſpondet ea ſe religione & veluti ſancto metu nō teneri, quia ſit in omnibus rebus aliquid optimum, quod, etiamſi latet, tamen citra crimen ab eo poſſit, qui eius rei narus eſt iudicari.

Sed quoniam plura ſunt orationum genera, éaque 15
diuerſa, neque in vnam formam cadunt omnia: laudationum, ſcriptionum, & hiſtoriarum, & talium ſuaſio-

num,qualem Iſocratesfecit Panegyricum, multíque alii qui ſunt nominati Sophiſtæ, reliquarúmque rerum formam quæ abſunt à forenſi contétione, eiúſque totius generis, quod Græcè ἐπιδεικτικὸν nominatur, quod quaſi ad inſpiciendum, delectationis cauſa comparatum eſt,non complectar hoc tempore: non quo negligenda ſit: eſt enim illa quaſi nutrix eius oratoris, quem informare volumus, & de quo molimur aliquid exquiſitius dicere. Ab hac & verborum copia alitur, & eorum conſtructio,& numerus liberiore quadam fruitur licentia. Datur etiam venia concinnitati ſententiarum,& arguti,certíque & círcunſcripti verborum ambitus conceduntur, de induſtriáque non ex inſidiis,ſed apertè, ac palam elaboratur, vt verba verbis quaſi demenſa, & paria reſpondeant, vt crebro conferant pugnantia,comparéntque contraria, & vt pariter extrema terminentur,eundémque referant in cadendo ſonum: quæ in veritate cauſarum, & rarius multo facimus, & certe occultius. In Panathenaico autem Iſocrates ea ſtudioſe conſectatum fatetur. Non enim ad iudiciorum certamen, ſed ad voluptatem aurium ſcripſerat.

Et ſi tria ſunt omnino genera dicēdi de quib⁹ antea dictū eſt: ſpecies tamen eorum multæ.alię quidem ſunt,velut oratoris incunabula,quas in pręſentia tractat: aliæ ad aciem dimicationémque paraticres, quæ præcipuè ſunt in oratore perfecto. Verba ſunt eius infra. Sed quod educata huius inſtrumentis eloquentia, ipſa ſe poſtea colorat & roborat. non alienum fuit de oratoris quaſi incunabulis dicere, verum hæc ludorum atque pompæ, nos autem iam in aciem dimicationémque veniamus. Ex his intelliges quem ſeruarit ordinem collocandi. Plura ſunt orationum genera,inquit,ea diuer-

ſa, neque in vnam formam cadunt omnia. Vnum genus laudationum eſt, quibus maxime quidem clari viri, ſed aliæ res quoque laudantur, vt dij, vrbes, agri. Hoc genus dicitur à Græcis ἐγκωμιαστικὸν quo vſus eſt Iſocrates in Helenæ encomio. Alterum genus eſt ſcriptionum. Scriptiones autem dicere videtur omne genus ſcripti, vt ſecundo de Oratore. Illud autem eſt inſtitutæ ſcriptionis, ac temporis. & Tuſcul. quinta, Impulſi ſumus ad Philoſophiæ ſcriptiones, quem ſi ſequamur intellectum, ſcriptiones erunt ingeniorum quædam exercitationes, aut fabuloſæ, vt de rebus Herculis: aut fictitiæ, vt de Icaromenippo: aut veræ, vt de pace, de bello, huc χρείας & eiuſmodi exercitationes referre licet. Poſſumus etiam deriuare ἀπὸ τῆς γραφῆς. Nam γραφὴ ſcriptio ad verbum interpretatur. Eſt autem γραφὴ, vt Suidas oſtendit, accuſatio legum, atque decretorum, quæ ſanciri non oportuit. Itémque omnium oſtentionum publicarum delatio γίνονται δὲ γραφαὶ καὶ νόμων καὶ ψηφισμάτων καὶ τῶν δημοσίων ἀδικημάτων πολλὰ δὲ ἡ χρῆσις τοῖς ῥήτορσιν. Hęc ſcriptio, vt in iudicijs eſt frequens, ita & ad meditationem proponi poteſt. Nam Iſocrates multa ſcripſit in mores ciuitatis, vt in areopagitico. Tertia eſt hiſtoriæ forma, quæ & eloquentiæ nutrix eſt. Cicero ſecundo de Oratore, Qualis oratoris, & quanti hominis in dicendo, putas eſſe hiſtoriã ſcribere? Videriſne quantum munus ſit Oratoris hiſtoria? Haud ſcio an flumine orationis & varietate maximum. Alit eloquentiam, quia narrat, quia conciones aptat, quia Oratori ſuppeditat exempla. Quartum genus eſt ſuaſionum non omnium, Nam ad eloquentiam ſummam pertinet illa ſeria de magnis rebus & conſilijs oratio, ſed talium ſuaſionum, quales ſcripſit Iſocrates in ocio, Panegyricus eius extat de rebus & vtilitatibus Atheníenſium, qui in conuentu commodè haberi poteſt, à quo videtur hoc duxiſſe nomẽ. Eſt enim Panegyris conuentus, celebritas, & laus, quo nomine Plin⁹ orationem de laudib⁹ Traiani nominauit. Iſocrates autem ſophiſta dictus eſt, ſicut & cæteri profeſſores tum Philoſophiæ, tum diſciplinæ rhetoricæ, vt Protagoras, vt Gorgias, vt alij propè infiniti, qui mercede capti profitebantur artes liberales. Plato in ſophiſta tradit hoc nomine vocandos adoleſcentium nobilium, diuitúmque mercenarios venatores, quiqꝫ diſciplinas emũt, quas alijs poſtea reuendant, quique verbo maiora pollicentur, quàm reipſa præſtare poſſint. Plutarchus in bonam partem Sophiſtas interim nominari dicit. Lege Sophiſtam & Gorgiam Platonis. Certè omnes ij Sophiſtę ſunt, qui ſapientes videntur, & non ſunt, vt Mathematici apud Ariſtophanem, vt multi Philoſophi apud Platonem, multi Rhetores apud eundem. Quintum genus ἐπιδεικτικὸν nominatur, id eſt, demonſtratiuum, quod quaſi ad inſpiciendum & tanquam aliquod ſpectaculum, delectationis cauſſa comparatum eſt. Quod quid differat à laudatione, Quintilianus oſtendit his verbis: Sed mihi ἐπιδεικτικὸν non ita demonſtrationis vim habere, quàm oſtentationis videtur, & multum ab illo encomiastico differre. Nam v. continet

laudatiuum in ſe genus,ita non intra hoc ſolum conſiſtit. an quiſquam negauerit Panegyricos ἐπιδεικτικοὺς eſſe? atqui formam ſuadendi habent, & plerunque de vtilitatibus Græciæ loquuntur. Hęc ille. Vnde ſcias ἐπιδεικτικὸν genus latius patere, quàm quod laudatiuum vocatur. Sunt & aliæ formæ non abſimiles, quibus exercentur ingenia, quales libello collegit Aphthonius,quæ quia rebus & verbis alunt Oratorem, ſunt quaſi nutrices Oratoris eius,quem informat,hoc eſt cuius ideā ſpeciémq; proponit, & de quo molitur,id eſt,vt in re difficili conatur aliquid exquiſitius, maius & excellentius dicere.Quid differat à veritate cauſſarum,quatuor amplectitur rebus.In illis generibus liberior eſt copia verborum & exuberātior. Deinde numerus omnis & illa perfectio iucundior. Conceduntur arguti certiq; & circunſcripti verborum ambitus,quæ ſunt periodi concluſæ atque perfectæ. Datur etiam venia concinnitati ſententiarum. Ea eſt quæſita pulchritudo rerum,quæ magnam audientibus afferunt voluptatem.Tum de induſtria ex compoſito,palam & apertè figuris ornatur & elaboratur oratio, vt verbis, quaſi demenſa & paria reſpondeant, quod fiet ſi multa membra eodem ferè ſyllabarum numero conſtēt.Sic enim demetimur poſteriora prioribus, vt paria & magnitudine ęqualia reſpondeant. Adde repugnantia & contraria comparata,ſimiliter deſinentia. Has omneis orationis delicias in veris cauſſis vſurpat Orator,& rarius,& occulti⁹. De copia verborū,de numero ſuaui,de periodo cōcluſa,de parib⁹ mēbris,de ſimiliter deſinentib⁹, de cōcinnitate ſentētiarum,ſit hoc breue Ciceronis exemplum,de laudibus Pompeij.Ita tantum bellum, tam diuturnum, tam longè latéque diſperſum,quo bello omnes gentes ac nationes premebātur, Cn. Pompeius extrema hyeme apparauit, ineunte vere ſuſcepit, media æſtate confecit. Hæ res, quæ cæteros remorari ſolent,non retardarunt. Non auaritia ab inſtituto curſu ad prædam aliquam reuocauit, non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem,non nobilitas vrbis ad cognitionem,non dénique labor ipſe ad quietem. De contrarijs & repugnantibus ſit & hoc eiuſdem.Antonij promiſſa cruenta,tetra,ſcelerata,dijs hominibúſque inuiſa, nec diuturna neque ſalutaria.Noſtra contrà honeſta,integra,glorioſa, plena lætitiæ, plena pietatis. Similia multa colligito. Facilè ſeparabis hanc ſuauitatem ab illa contentioſa aſperitate cauſſarum.Iſocrates hęc ornamenta ſtudioſè ſe conſectatum fatetur,quoniam ad aurium voluptatem multa conſcripſerat.verba ſunt illius in Panathenaico. περὶ ἐκείνους ἐπραγματευόμην τοὺς περὶ τῶν συμφερόντων τῇ τε πόλει καὶ τοῖς ἄλλοις ἕλλησι συμβουλεύοντας καὶ πολλῶν μὲν ἐνθυμημάτων γέμοντας οὐκ ὀλίγων δ' ἀντιθέσεων καὶ παρισώσεων καὶ τῶν ἄλλων ἰδεῶν τῶν ἐν ταῖς ῥητορείαις διαλαμπουσῶν καὶ τοὺς ἀκούοντας ἐπισημαίνεσθαι καὶ θορυβεῖν ἀναγκαζουσῶν νῦν δ' οὐδ' ὁπωσοῦν τοὺς τοιούτους. ἡγοῦμαι γὰρ οὐχ ἁρμόττειν οὔτε τοῖς ἔτεσι τοῖς ἐνενήκοντα καὶ τέσσαρσιν ὧν ἐγὼ τυγχάνω γεγονώς. οὐδ' ὅλως τοῖς ἤδη πολιὰς ἔχουσιν. Hoc eſt in illis orationibus elaboraui,quæ conſilia darent vtilia noſtræ ciuitati cæteriſq;

teriſque græciæ, quæque refertæ eſſent & enthymematis, & oppoſitis, & paribus, aliiſque ornamentis & luminibus in oratione lucentibus, quæ quidem & auditores cõprimere, & eoſdẽ conciliare poſſent. Nunc eiuſmodi delicias relinquo, quia ſic arbitror, illud neq; annos meos iam quatuor & nonaginta neque canos cuiuſquã decere. Hinc illud eſt Ciceronis de ſenectute: Eſt enim quietæ, puræ, & eleganter actæ ætatis placida ac lenis ſenectus, qualem accepimus Iſocratis, qui eum librum qui Panathenaicus inſcribitur, quarto & nonageſimo anno ſcripſiſſe dicitur, vixitque quinquenniũ poſtea. Panathenæa erant Athenis ludi & certamina, in quibus pueri certabant, & victores olea coronabantur. Minora fiebant in ſingulos annos, maiora quinto quoq; anno. Ab illis nomen habet Iſocratis oratio, in qua diſſerit περὶ τῶν τῇ πόλει πεπραγμένων καὶ τῆς τῶν προγόνων ἀρετῆς hoc eſt de rebus geſtis Athenienſiũ, & de virtute maiorum, aliquid etiam de ſe præmittit.

Hæc tractaſſe Thraſymachũ Chalcedonium primũ, 16
& Leontinum ferunt Gorgiam, Theodorum inde Bizantium, multóſque alios, quos λογοδαιδάλους appellat in Phædro Socrates, quorum ſatis arguta multa: ſed vt modo primúmque naſcentia, minuta, & verſiculorum ſimilia quædam, nimiúmq; depicta. quo magis ſunt Herodotus, Thucydidéſque mirabiles, quorum ætas cum in eorum tempora quos nominaui incidiſſet, longiſſimè tamen ipſi à talibus deliciis, vel potius ineptiis abfuerunt. Alter enim ſine vllis ſalebris, quaſi ſedatus amnis fluit: alter incitatior fertur, & de bellicis rebus canit etiam quodammodo bellicum: primíſque ab his (vt ait Theophraſtus) hiſtoria commota eſt, vt auderet vberius quàm ſuperiores, & ornatius dicere. Horũ ætati ſucceſſit Iſocrates, qui præter cæteros eiuſdem generis laudatur ſemper à nobis, nonnunquam Brute, leuiter, & eruditè repugnante te. Sed credas mihi fortaſſe, ſi, quid in eo laudem, cognoueris. Nam cum conciſus ei Thraſymachus minutis numeris videretur, & Gorgias,

qui tamen primi traduntur arte quadam verba iunxiſſe, Thucydides autem præfractior, nec ſatis (vt ita dicã) rotundus, primus inſtituit dilatare verbis, & mollioribus numeris explere ſententias. In quo cum doceret eos, qui partim in dicendo, partim in ſcribendo principes extiterunt: domus eius officina habita eloquentiæ eſt. Itaque vt ego cum à noſtro Catone laudabar, vel reprehendi me à cæteris facilè patiebar, ſic Iſocrates videtur teſtimonio Platonis aliorum iudicia debere contemnere. Eſt ení, vt ſcis, quaſi in extrema pagina Phædri his ipſis verbis loquens Socrates, Adoleſcens etiam nunc ô Phædre Iſocrates eſt. Sed quid de illo augurer, lubet dicere. Quid tandem, inquit ille? Maiore mihi ingenio videtur eſſe, quàm vt cum orationibus Lyſiæ comparetur: præterea ad virtutem maior indoles: vt minimè mirum futurum ſit, ſi cum ætate proceſſerit, aut in hoc orationum genere, cui nunc ſtudet, tantũ quantum pueris, reliquis præſtet omnibus, qui vnquam orationes attigerunt: aut ſi contentus his non fuerit, diuino aliquo animi motu maiora cõcupiſcat. Ineſt enim natura Philoſophia in huius viri mente quædam. Hæc de adoleſcente Iſocrate Socrates auguratur. at ea de ſeniore ſcribit Plato, & ſcribit æqualis, & quidem exagitator omnium Rhetorum hunc miratur vnum. Me autem qui Iſocratem non diligunt, vna cum Socrate, & Platone errare patiantur.

Quoniam delitias attigit orationis quaſi prima ſummi oratoris alimẽta,

altius repetit inuentores earum rerum, docéique quos imitari maximè debeamus. Thraſymachus ſophiſta Chalcedonius ex Bithynia primus oſtendiſſe periodon & membrum, modúmque rhetorices induxiſſe fertur. Scripſit & orationes & libros de arte rhetorica. Quod autem ſcriptum reperimus Iſocratis eum diſcipulum fuiſſe, conſtare non poteſt, ſi vera ſunt quæ Cicero ſcribit, Horum, inquit, ętati ſucceſſit Iſocrates. Scribendum igitur Socratis & Platonis auditorem fuiſſe. Gorgias Leontinus ex Sicilia temporibus Socratis fuit (quod ex Gorgia Platonis intelligere facilè eſt) diſcipulus Empedoclis, præceptor Iſocratis, artis inſignis oſtentator. Frequenter vſus eſt tropis, metaphora, allegoria, hypallage catachreſi, hyperbati, anadiploſi, epanalepſi, apoſtrophe, paribus relatis, hæc ferè Suidas. De Gorgia, Cicero de Senectute, Iſocratis magiſter Leontinus Gorgias centum & ſeptem compleuit annos, neque vnquam in ſuo ſtudio atque opere ceſſauit. Theodorus Bizantius ex Thracia, ſcripſit contra Thraſybulum & Andocidem, & alia quadam. Hunc Plato in Phædro λογοδαίδαλον, id eſt orationis egregium artificē appellat, προοίμιον μὲν οἶμαι πρῶτον, δεύτερον δὲ δὴ διήγησίν τινα, μαρτυρίας τε ἐπ' αὐτῇ τρίτον, τεκμήρια, τέταρτον εἰκότα, καὶ πίστωσιν οἶμαι καὶ ἐπιπίστωσιν, τόν γε βέλτιστον λογοδαίδαλον Βυζάντιον ἄνδρα. Φαῖδ. τὸν χρηστὸν λέγεις Θεόδωρον. Σω. τί μήν; καὶ ἔλεγχόν γε καὶ ἐπεξέλεγχον ὡς ποιητέον ἐν κατηγορίᾳ τε καὶ ἀπολογίᾳ. Meminiſti, credo. procemium cōſtitui primo loco, narrationem & in eaipſa teſtimonia ſecundo, argumenta euidentiora tertio, quarto veriſimilia: Sed & probationem, & probationis confirmationem addidiſſe virum Byzantium optimum artificem exiſtimo. Theodorum illum frugi ſignificas. Equidē certè, Oſtēdit idem, vt in accuſatione & in defenſione inſtituenda eſſet reprehenſio, & altera reprehenſio. De Theodoro Cicero in Bruto. Itaque ait Ariſtoteles, quòd Theodorus eſſet in arte ſubtilior, in orationibus autem ieiunior, orationes eum alijs ſcribere cepiſſe, artem remouiſſe. Iſtorum ſatis arguta multa, id eſt acuta, ſonantia, modulata. Nam ſæpe ſententias & numeros perquam ſuaues natura fundit. Sed vt modo primúmque naſcentia, hoc eſt quòd tum ſuam haberent infantiam, minuta texebantur, & verſiculorum ſimilia quædam, nimiúmque depicta. Hæc in numeris tria ſunt vitiorum genera, Nam minutus ille numerus & breuis, quia crebrò ferit aurem, ſenſúmque quatit, inſuauior eſt multò, quàm qui longiore tractu veluti per decliuia, cum plena modulatione delabitur. Quamobrem periodis longioribus vtuntur exornatores, qui ſe compararunt ad auditorum voluptatem. Contrà, minutioribus omnes qui inſtant, acres, aſperi, vehementes incitati. Numerus autem qui varietate maximè commendatur, vitium trahit ex ſimilitudine, vt ſi quis multas contineret ſententias, ad modum menſurámque verſus hexametri, vel iambici, vel hendecaſyllabi. Nec laudabilis ille Rythmus figuris ornamentiſque nimium depictus. Is eſt qui ex nimium multis paribus relatis, & contrariis, & repugnantibus, & antitheſis conficitur. In his eſt numerus penè naturalis, qui maximè probatur, ſi mo-

dum non excedit. In hac inueſtigatione figurarum & concinnitatum, quæ numerum faciunt, temperatiores fuerunt Herodotus & Thucydides hiſtorici ſcriptis & fama notiſſimi, non qui delicias orationis & ornamenta repudiarent, quorum ſtudioſos fuiſſe Quintilianus affirmat, Neque (inquit) mihi quamlibet magnus author Cicero perſuadebit Herodotum, Thucydidem, Lyſiam parum ſtudioſos numeri fuiſſe, ſed qui fugerent ineptias & cultus immoderatiores. De numero, ſentio cum Cicerone acerrimi iudicij viro, & id exemplis poſtea demõſtrabo. Nec Quintilianus ſuo, ſed Alicarnaſſei Dioniſij iudicio nititur. Cæterùm laudandi ſunt authores illi, qui neque quaſi verſiculos texuerunt, neque ambitioſè paria, contraria, antitheta, ſimiliter deſinentia, ſimiliter cadentia quæſierũt. Sunt iſtæ ineptiæ affectatorum. Quas autem appellet ineptias, oſtendit his verbis ſecundo de oratore, Qui aut tempus quid poſtulet, non videt, aut plura loquitur, aut ſe oſtentat, aut eorum quibuſcum eſt, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet, aut deniq; in aliquo genere, aut inconcinnus, aut multus eſt, is ineptus dicitur. In eodem libro de Herodoto & Thucydide Antonius: Apud Græcos autem eloquentiſſimi homines remoti à cauſſis forenſibus, cum ad cæteras res illuſtres, tum ad ſcribendam hiſtoriã maximè ſe applicauerunt. Nanque & Herodotũ illum, qui princeps genus hoc ornauit, in cauſſis nihil omnino verſatum eſſe accepimus, atqui tanta eſt eloquentia, vt me quidem, quãtum ego græcè ſcripta intelligere poſſum, magnopere delectet. Et poſt illum Thucydides omneis dicendi artificio, mea ſententia, facilè vicit, qui ita creber eſt rerum frequentia, vt verborum propè numerum ſententiarum numero conſequatur. Ita porrò verbis aptus & preſſus, vt neſcias vtrum res oratione, an verba ſententijs illuſtrentur, atqui ne hunc quidem, quanquam eſt in Rep. verſatus, ex numero accepimus eorum, qui cauſſas dictitarunt, & hos libros tum ſcripſiſſe dicitur, quum à Rep. remotus, atque, id quod optimo cuique Athenis accidere ſolitum eſt, in exilium pulſus eſſet. hæc ille. vnde conſtat omnibus in rebus à Cicerone Thucydidem probari, præterquam in numeris, quos ille non expleuit. Herodotus ſine vllis ſalebris, id eſt aſperitatibus & inæqualitate dicendi, quaſi ſedatus amnis fluit, id eſt oratione vtitur æquali, dulci, ſuauiter profluenti, quod genus eſt oratio Cæſaris in Cõmentarijs. Thucydides incitatior fertur, hoc eſt orationi dat affectum impetúmque maiorem, vt Liuius apud Latinos, & de bellicis rebus canit etiam quodammodo bellicum, & ſonanti dictione tubæ ſonitum propè imitatur & clangorem. Quintilianus: Denſus & breuis, & ſemper inſtans ſibi Thucydides: dulcis & cãdidus & effuſus Herodotus: ille concitatis, hic remiſſis affectibus melior. ille cõcionibus, hic ſermonib⁹: ille vi, hic voluptate. Ab his hiſtoria cõmota eſt, hoc eſt ad vberiorẽ copiã, & ampliores ornatus excitata, quæ quodãmodo iacebat in Pherecyde, Hellanico, Accuſila, alijſq; priſcis authorib⁹, id eſſe verũ cõfirmat authoritate Theophraſti philoſophi

q fuit Ariſtotelis auditor ſcripſitq́ꝫ περὶ λέξεων, καὶ παραγγέλματα ῥητορικῆς, καὶ περὶ τέχνης ῥητορικῆς. Iſocrates præter cæteros eiuſdem generis, id eſt, pluſq́ Sophiſtæ à Cicerone laudatur, quia prim⁹ inſtituit dilatare verbis, & mollioribus numeris explere ſententias. Longiores enim periodos extendit ampliato numero, verbáque coagmētauit, vt molliores dulcioréſque efficeret ſonos. Nam & ſi Gorgias & Thraſymach⁹ primi traduntur arte quadā verba iunxiſſe, tamen vterque conciſus eſt minutis numeris, id eſt, neuter abſoluta periodo ſententias explet. Neuter ſpatioſè currit, dum impleatur aurium voluptas. Thucydides autem præfractior, durior & præruptior, cuius oratio nō quaſi ſedatus amnis fluit, ſed quaſi torrens inter ſaxa concitatus fertur. quia & aſperæ ſunt iuncturæ, & interſiſtētes numeri curſum morantur. Ideo non ſatis eſt rotundus, id eſt, volubilis in hiſtoria, quæ molliter fluere debet, & catheną more coniungi. Quod autem Brutus diſſentiat à Cicerone de laudibus Iſocratis, opinionem ſuam tuetur Cicero, à conſequentib⁹ & authoritate, Conſequentia ſunt, Quum doceret eos qui partim in dicendo, partim in ſcribendo principes extiterunt, domus eius officina habita eloquentiæ eſt. Is eſt effectus neceſſariæ cauſſæ, vt optimæ eruditionis & doctrinæ. Ea de re ſcribit hoc ſecundo de Oratore: Ecce tibi exortus eſt Iſocrates magiſter iſtorum omnium, cuius è ludo tanquam ex equo Troiano innumeri principes exierunt. Sed eorum partim in pompa, partim in acie illuſtres eſſe voluerunt. Itaque & illi Theopompus, Ephorus, Philiſtus, Naucrates multique alij naturis differunt, volūtate autem ſimiles ſunt inter ſe & magiſtri & ij qui ſe ad cauſſas cōtulerūt, vt Demoſthenes, Hyperides, Lycurgus, Aeſchynes, Dinarchus, aliq́ꝫ complures. Enumerat diſcipulos Iſocratis, qui partim in dicendo, partim in ſcribendo principes extiterunt. Platonis elogiū de Iſocrate eſt, quod Cicero tranſtulit. νέος ἔτι ὦ φαῖδρε ἰσοκράτης ὃ μέν τοι μαντεύομαι κατ' ἀυτοῦ λέγειν ἐθέλω. φαι. τὸ ποῖον δή, σω. δοκεῖ μοι ἀμείνων ἢ κατὰ τοὺς περὶ λυσίαν εἶναι λόγους, τὰ τῆς φύσεως ἔτι δὲ ἤθει γεννικωτέρῳ κεκρᾶσθαι ὥστε οὐδὲν ἂν γένοιτο θαυμαστὸν προϊούσης τῆς ἡλικίας εἰ περὶ ἀυτούς τε τοὺς λόγους οἷς νῦν ἐπιχειρεῖ πλέον ἢ παίδων διενέγκοι τῶν πώποτε ἁψαμένων λόγων. ἔτι τε εἰ ἀυτῷ μὴ ἀποχρῆσαι ταῦτα ἐπὶ μείζω δέ τις ἀυτὸν ἄγοι ὁρμὴ θειοτέρᾳ. φύσει γὰρ ὦ φίλε ἔνεστί τις φιλοσοφία τῇ τοῦ ἀνδρὸς διανοίᾳ. Hæc quia Cicero vertit, noſtra non egent neque interpretatione neque declaratione. In perſona Socratis ſcribit Plato. Et ſcribit æqualis, id eſt, agens ætatem parem. Et quidem exagitator & reprehenſor omnium rhetorum, vt in eius Gorgia videre eſt, Hunc miratur vnum. Me autem, qui Iſocratem non diligunt, id de Bruto mitius dixit, vna cum Socrate & Platone errare patiatur, Errorem Bruti cautè ſignificat, cui ſunt in diſciplinis duo ſummi viri Socrates & Plato præferendi.

Dulce igitur orationis genus, & ſolutum, & efflués, 17

ſententiis argutum, verbis ſonans eſt in illo epidictico genere, quod diximus proprium ſophiſtarum, pompæ quàm pugnæ aptius, gymnaſiis & palæſtræ dicatum, ſpretum & pulſum foro. Sed quòd educata huius nutrimentis eloquentia, ipſa ſe poſtea colorat, & roborat: non alienum fuit de oratoris quaſi incunabulis dicere. Verum hæc ludorum, atque pompæ: nos autem iam in aciem, dimicationémque veniamus.

Qui primi veſtierint orationē, quibúſque rebus veſtierint, expoſuit. Redit ad illud quietum genus, vt cum pugna forēſi compararet. In illo epidictico genere, quod & laudationes & panegyricos & expoſitiones quaſdam continet, dulce eſt orationis genus, & auribus & ſenſu tam iucundum q̃ grata ſunt dulcia palato Solutum, vinctum numero quidem, ſed quietum, ſecurum, remiſſum, nec ad pugnam fori collectum. Effluens, non præfractū & interſiſtens, ſed liberè ſine vllis ſalebris excurrens. Sententijs argutum, cuius pulchræ & crebræ ſententię audientem voluptate demulcent: verbis ſonans, quorum bona pars multas habet ſyllabas, & eas vocales, quæ ſunt in his verbis ἐπαινῶ, μάλιςα & in his laudare, obtemperare. Pompæ, id eſt, oſtentationi ludorum, quàm pugnæ forenſi apti⁹, vt quod habet pulchritudinem cum ſecuritate, Gymnaſiis & Palæſtræ dicatum, deſtinatū certaminibus, ludicris, & ſcholaſticis exercitationibus, & id diſtans à veritate cauſſarum, quod ludi gymnici ab hoſtium conflictu & prælio. Sed quod huius nutrimentis educata eloquentia ſe poſtea colorat & roborat more pueritiæ firmioris à lacte depulſæ, non alienum fuit de oratoris quaſi incunabulis & primis alimentis dicere, ſed hæc Ludorum atque Pompæ ſint & ludicræ exercitationis. Nos in aciem dimicationémque veniamus, id eſt, eloquentiā forenſem inſtruamus.

18 Quoniam tria videnda ſunt oratori, quid dicat, & quo quídque loco, & quomodo: dicendum omnino eſt quid ſit optimum in ſingulis, ſed aliquanto ſecus, atque in tradenda arte dici ſolet. nulla præcepta ponemus, neque enim id ſuſcepimus, ſed excellentis eloquētiæ ſpeciem, & formam adumbrabimus: nec quibus re-

bus ea paretur, exponemus, ſed qualis nobis eſſe videatur. Ac duo breuiter prima: ſunt enim nõ tam inſignia ad maximam laudem, quàm neceſſaria, & tamen cum multis penè communia. Nam & inuenire, & iudicare quid dicas, magna illa quidem ſunt, & tanquam animi inſtar in corpore, ſed propria magis prudentiæ, quàm eloquentiæ. quæ tantum in cauſa eſt vacua prudentia.

Iam multa conſtat eſſe genera dicendi, & vt in omnibus rebus, ſic & in his generibus aliquid eſſe optimum, deinde laudationes, hiſtorias & epidicticum genus non optimi nomine cenſeri, dicendum poſtea quid hic optimum iudicet. Et quoniam vis oratoris in quinque partes diſtributa eſt, inuentionem, collationem, elocutionem, pronunciationem, memoriam: decernit quid ſit optimum in ſingulis præterquam in memoria, quam omittit, quandoquidem, vt ait paulo pòſt, De memoria nihil eſt hoc loco dicẽdum, quæ communis eſt multarum artium. Tria videnda ſunt oratori, quid dicat, id præſtat inuentio, Et quo quidque loco: quod eſt proprium collocationis: Et quomodo, hoc duarum partium elocutionis & actionis. De tribus harum partium pauca dicit. De elocutione permulta ac de illis aliquanto ſecus atq; in tradẽda arte dici ſolet, quia nulla præcepta ponit, quot & q̃ ſint loci, quid ſit & quam multiplex argumentum, quę collocatio & quàm diuerſa, quæ inueniantur exordia, quæ ſint leges narrationis, quæ confirmationis, quæ perorandi, quæ pronunciandi, Sed excellentis eloquentiæ ſpeciem & formam adumbrat, & veluti pictor quidam lineamentis & vmbris effigiat. Nec quibus rebꝰ ea parẽt exponit, ſed qualis eſſe videatur. Quibus autẽ rebꝰ ea paretur, explicat ĩ tribꝰ libris de Oratore ad Quintũ fratrẽ & in oratorijs partitionibus. Nec enim ſatis eſt hanc cogere, ſummam eloquentiam parari natura, arte & exercitatione. Ac duo breuiter prima, quæ ſit optima inuentio, & quæ præcellens diſpoſitio, percurramus. Nam & ſi ſunt ad maximam laudem neceſſaria, quia loquendi profluentia, ſine vi ſententiarum, improba eſt garrulitas, non tamen inſignia, non excellentia, non quæ pariant admirationem, vt ſolet excellens elocutio, & optima ratio dicendi. Sunt enim cum multis, vt dialecticis, phyſicis, medicis, mathematicis, penè, id eſt magna ex parte communia. Inueniunt & illi quod loquantur, & aliqua ratione diſponunt, nec tamen in admiratione ſunt, quia plerique non habent illam grauiter & copioſè dicẽdi facultatem, Quam qui ſunt aſſecuti philoſophi mirabiles extiterunt, vt Plato & Theophraſtus. Hæc quũ ita ſint in hominum opinione, fatendum eſt tamen inuentionem & colloca-

tionem ſummas eſſe virtutes,& eas ſine præcellẽti elocutione pręclarè conſiſtere,Elocutionem ſine iſtis merã eſſe loquacitatẽ. Oratio eſt quaſi quodam corpus .Rerum & ſentẽtiarum vis,tanquã animi inſtar eſt,id eſt,animo comparanda in humano corpore : Elocutio verò quaſi veſtimentum . Sed quemadmodum in ornatu regio,apparatus ille tenet admiratione mentes, Sic & in eloquentia ſplendor omnis & apparatus,& magnificẽtia ,& admiratio poſita eſt in artificioſa ratione dicendi. Id natura fecit, vt multorum commuia nemo miretur: Multorum communis eſt illa prudentia ferè naturalis, inueniendi magiſtra.Sed pauci res elocutione tractare potuerũt. Hac de re ſic Quintilianus octauo.M. Tullius inuentionem quidem ac diſpoſitionem prudentis hominis putat, eloquentiam oratoris : ideoq; præcipuè circa præcepta partis huius elaborauit. Eloqui enim hoc eſt, omnia quæ mente conceperis promere atque ad audientes perferre,ſine quo ſuperuacua ſunt priora,& ſimilia gladio condito atque intra vaginã ſuam hærenti.Hoc itaque maximè docetur,hoc nullus niſi arte aſſequi poteſt, huc ſtudium adhibendum,hoc exercitatio petit,hoc imitatio , hic omnis ætas conſumitur. hoc maximè orator,oratore præſtãtior.Ergo elocutio tota artis eſt,Inuentio & collocatio etiam prudentiæ. Quod igitur eloquentia ab elocutione nomen habet, & nihil eſt aliud quàm copioſè loquens ſapientiã, vt ait in partitionibus, Ea tantum in cauſſa eſt vacua prudentia,id eſt, hæc ſola pars non prudentia,ſed arte conſiſtit.Quo mot' opinor, Quintil. plus arti ſummæ tribuit quàm ingenio naturæ. Sic autem Ciceronem legendum puto, Sed propria magis prudentiæ quam eloquentiæ, quæ tantum in cauſſa eſt vacua prudentia.Nam abſurdum eſt & ſuperuacuum quod legitur. Nemo negabit, credo,qui nouerit naturam ab arte differre,qui prudẽtiam naturæ, artẽ præceptis aſſignauerit qui elocutionem illam præſtantiorem arti ſoli dederit.

19 Nouerit igitur hic quidem orator,quem ſummum eſſe volumus,argumentorum,& rationum locos.Nam quoniam quicquid eſt,quod in controuerſia, aut in cõtentione verſetur,in eo aut ſítne,aut quid ſit,aut quale ſit,quæritur:ſítne? ſignis:quid ſit?definitionibus:quale ſit? recti,prauíque partibus.quibus vt vti poſsit orator, non ille vulgaris, ſed hic excellens, à propriis perſonis, & tẽporibus ſemper ſi poteſt,auocat cõtrouerſiã.Latius enim de genere,quàm de parte diſceptare licet,vt quod in vniuerſo ſit probatũ, id in parte ſit probari neceſſe.

Hæc igitur quæſtio à propriis perſonis, & temporibus, ad vniuerſi generis orationẽ traducta, appellatur Theſis. In hac Ariſtoteles adoleſcentes, non ad Philoſophorum morem tenuiter diſſerendi, ſed ad copiam Rhetorum in vtranque partem, vt ornatius, & vberius dici poſſit, exercuit. Idémque locos (ſic enim appellat) quaſi argumentorum notas tradidit, vnde omnis in vtranque partem traheretur oratio. Facile igitur hic noſter (non enim declamatorem aliquem de ludo, aut rabulam de foro, ſed doctiſſimum, & perfectiſſimum quærimus) quoniam loci certi traduntur, percurret omneis, vtetur aptis generatim, diſcet ex quo emanant etiam qui communes appellantur loci. Nec verò vtetur imprudenter hac copia: ſed omnia expendet, & ſeleget. Non enim ſemper, nec in omnibus cauſis, ex iiſdem eadem argumentorum momenta ſunt. Iudicium ergo adhibebit, nec inueniet ſolum quid dicat, ſed etiam expendet. Nihil enim feracius ingeniis, his præſertim, quæ diſciplinis exculta ſunt. Sed vt ſegetes fœcundæ, & vberes, non ſolum fruges, verum herbas etiam effundunt inimiciſſimas frugibus, ſic interdum ex illis locis aut leuia quædam, aut cauſis aliena, aut non vtilia gignuntur. quorum ab oratoris iudicio delectus magnus adhibebitur. Alioqui quonam modo ille in bonis hærebit & habitabit ſuis? vt molliet dura? aut occultabit quæ dilui non poterunt, atque omnino opprimet, ſi licebit, aut abducet animos, aut aliud afferet, quod oppoſitum probabilius ſit, quàm illud quod obſtabit?

Quicquid ratione & arte inuenitur, in locis inuenitur. Loci ſunt argumẽtorum & rationum, hoc eſt probationum ſedes. Locorum alij ſunt communes, quos decem & ſeptem ponit in Topicis: alij proprij ſingularũ quæſtionum an eſt, quid eſt, quale eſt: alij proprij generũ laudationis, deliberationis & iudicij, vtroſque poſteriores in oratoria partitione aſſignat. hæc tria genera locorũ, ſi quæſtiones omnes arte firmare velis, cognoſcere neceſſe eſt, & hoc etiam noſſe, qui loci faciant ad ſigna quæ cadunt in ſenſum & aliud oſtendunt, quibus hic omnem coniecturam cõprehendi videre facile eſt, Qui ad definitiones, qui ad recti prauiq́ partes, id eſt ad ſtatũ qualitatis. Sũt enĩ tres ſtatus & in controuerſia, id eſt quæſtione finita, & in contentione, hoc eſt infinita quęſtione. Omniũ iſtorum præcepta ſcripſit in alijs libris. Orator excellens, à quæſtione finita, quæ proprijs perſonis & temporibus conſtat, ad θέσιν & infinitã quęſtionem auocat controuerſiã, quia copioſus eſſe vult, & latius de genere q̃ de parte diſceptare licet, hoc eſt amplior eſt diſceptatio vel de toto genere, vel de tota ſpecie, q̃ de ſingulis formarũ partibus. Nam Cicero genere comprehendit & ſpeciem, & quod multi vocãt indiuiduum, hic nominat partem. Atq́ quum agitur de parte, tum finita quęſtio eſt, quum de ſpecie & genere, infinita. Dicat igitur nõ modo de Seruio Sulpitio iuriſperito, ſed etiam de toto iure ciuili. Non modo de Murena duce, ſed & de arte imperandi: non modo de Catone ſtoico, verùm etiam de tota diſciplina ſtoicorum: non modo de ſeditioſo Norbano, ſed etiã de omni ſeditione populari: non modo de Opimio interfectore Gracchi, ſed etiam de liberatoribus patrię. Hinc orationis vbertas & copia, hinc ratio probandi duplex: Altera in vniuerſo ac in genere conſtituta: Altera in parte. Vocatur quæſtio infinita, generalis, & propoſitũ, & conſultatio, & quæſtio vniuerſi generis, & θέσις. Hanc θέσιν commodè tractabit, qui iam à prima adoleſcentia ſic fuerit inſtitutus & exercitatus, vt de rebus multis in vtramque partem diſſerat. Id Ariſtoteles æmulatus Iſocrati fecit, vt adoleſcẽtes rhetorũ more, ad vberius & ornatius dicendi genus exerceret. Alius eſt mos Philoſophorũ diſſerendi tenuiter, hoc eſt ſubtiliter argumentandi ſine vbertate popularium ſententiarũ, ſine eleganti numeroſoq́ orationis ornatu. Idem tradidit locos τόπους & octo libros τοπικῶν, vt eſſent quaſi argumentorũ notę & indicia. Ex his locis nihil ferè egregiũ ducet declamator ille rudis è ludo ſcholaq́ magiſtrorum, qui declamatione quaſi tyrocinio contentus, nunq̃ venit in prælij certamen. Nihil itidem rabula de foro, qui ſit indoctus & impolitus, egregiè tamen litigioſus, & in vociferando contentioſus. Sed orator ille bonus percurret omnes, vt ſi quid forte detur, excipiat. Vtetur aptis generatim, hoc eſt per ſingula genera quæſtionũ coniecturæ, definitionis, qualitatis. Vtetur ijs argumentis, quæ à locis aptis ſuggerentur, qui quibus generibus conueniãt, oſtendit in Topicis. Ad cõiecturã maximè apta, quę ex cauſſis, quæ ex effectis, quæ ex coniunctis ſumi poſſunt. ad definitionem autem pertinet ratio definiendi, antecedentia, repugnãtia, cauſſæ & effecta. ad qualitatem genera

bonorum & cõmodorum, omnis æquitas, leges, atque mores. Diſcet etiã ex quo emanant, qui cõmunes appellantur loci. De quibus ſic ait tertio de oratore: Conſequentur etiã illi loci, qui quanq̃ proprij cauſſarũ, & inhærentes in eorũ neruis eſſe debent, tamen quia de vniuerſa re tractari ſolent, cõmunes à veteribus nominati ſunt. Quorũ partim habent vitiorũ & peccatorum acrem quandã cum amplificatione incuſationem, aut querelam, contra quã nihil dici ſolet, nec poteſt: vt in depeculatorem, in proditorem, in parricidã, quibus vti cõfirmatis criminibus oportet. aliter enim ſunt ieiuni atq; inanes. Alij autem habent deprecationem, aut miſerationẽ: alij verò ancipites diſputationes, in quibus de vniuerſo genere in vtranq; partẽ diſſeri copioſè licet. Hactenus Cicero. Omnes loci rhetorici cõmunes appellari poſſunt, ꝙ nullus eſt arte cõprehenſus, qui vni ſoliq; cauſſæ ſubſeruiat: nam præcepta ſunt cõmunium non ſingulorũ. Hi tamen cõmunes vocantur, quia in theſi & in infinita quæſtione verſantur. Emanant autem atq; deriuantur ab inſigni aliqua virtute, aut à vitio, aut à calamitate, aut à meritis, aut ab ancipiti controuerſia generis & formæ: quæ quum venient in cauſſam, dabunt occaſionem latius expatiandi per infinitũ. In percurrendis locis argumentorũ ſicuti militum faciendus eſt delectus. Non enim ſolum numerus & multitudo, ſed etiã robur quæritur. Ergo ſcrutabitur & quæret ex omnibus, ſed adhibebit iudicium vt leuia reijciat, nonnunq̃ etiã cõmunia prætermittat & non neceſſaria. Expendat etiã & ponderet quæ grauia, quæ leuia. Seligat & excipiat robuſtiora, quoniã ex iiſdem locis in omnibus cauſſis, non eadem argumentorum momenta ſunt, nõ ſunt perſimiles opportunitates & occaſiones. Sed ad alias cauſſas firmiora ſuggerẽt argumẽta, ad alias imbecilliora minoriſque momenti. Vt qui probat cædem eſſe factam, rationes optimas ducit à cauſſis, ab euentis, ab adiunctis, à teſtimonio, non eodẽ modo à cæteris rhetorũ locis. Opus eſt ergo iudicio. Nã quemadmodũ ſeges, id eſt terra fœcũda, nõ modo fruges, & fruct⁹ aptos vſibus humanis, verũ herbas etiã effundit inimiciſſimas frugib⁹, vt loliũ, carduos, lappas: ſic etiã ingeniũ ferax leuia quædã, aut cauſſis aliena, aut non vtilia gignit, niſi iudiciũ adhibeas, quaſi manum adruncationem. Hic ſeges dicitur humus arata & ſubacta ad recipiendum ſemen, & aruum bonæ ſpei, Virg. Illa ſeges demũ votis reſpõdet auari Agricolę Hãc cum ingenio feraci cõparare videbatur, ſed cõparationem ad locos trãſtulit, occulta quadam mutatione, quia locus loco melius cõfertur, nec tamen aliquid poteſt locus ſine ingenio. Ingeniũ & iudiciũ vitabit leue argumentũ alienum a cauſſa, inutile. Leue eſt, pecuniam ſuſtuliſti, nam pauper eras. Alienũ à cauſſa, Sum conſtituendus verus accuſator, quoniã quæſtor eius erã. Inutile, magnũ crimen eſt ſacrilegij, damnandus igitur hic reus. Iudicij, ſumma vis eſt in oratione, expendit & ſeligit argumenta. Cohibet ingenium cupidum, vt in bonis hæreat & habitet ſuis, ne vnquam vagum quęrat aliena. Mollit dura ſiue ea lędant iudicem, ſiue noceant litigatori, ſiue non deceant agentem, ſiue diſpliceant circunfuſæ multitudini, ſiue talia in-

torſit aduerſarius. Tot enim durorum genera mollienda ſunt orationéque lenienda. Iudicium occultat, & quibuſdam verbis opacat ea quæ dilui non poſſunt, aut enim contemnit, aut multo minora eſſe dicit, aut extra cauſſam eſſe cõtendit, aut aliò deriuat. Idem iudicium opprimit & refutat argumentis ea quæ dilui poſſunt. Idem abducit animos ab eo quod nocet in cauſſa, ad id quod vtile eſt. Idem ſi contraria refutare non poteſt, argumentis aduerſarij vel æquè firma vel firmiora opponit argumenta. Quid opus eſt multis? Iudicium in omni arte dominatur, ſed præſertim collimat inuentionem.

20 Iam verò ea quæ inuenerit, qua diligentia collocabit? quoniam id ſecundum erat de tribus. Veſtibula nimirum honeſta, aditúſque ad cauſam faciet illuſtres: cúmque animos prima aggreſſione occupauerit, infirmabit, excludétque contraria: de firmiſſimis alia prima ponet, alia poſtrema, inculcabítque leuiora. Atque in primis duabus dicendi partibus qualis eſſet, ſummatim breuitérque deſcripſimus. Sed vt antè dictum eſt, in his partibus, etſi graues, atque magnæ ſunt, minus & artis eſt, & laboris.

Ex illis quid, quo quidque loco, & quomodo dicat orator, alter eſt locus de collocatione, quænam diſpoſitio Ciceroni optima eſſe videatur, Itaque tranſeundi cauſſa ſic interrogat: Iam verò quæ inuenerit orator, qua diligentia collocabit? Quia ſummus eſt atque perfectus, ſummam in diſpoſitione diligentiam ponet, quemadmodum ſummus imperator in acie dirigenda, & in ſtatuendis ordinibus vehementer elaborat. Veſtibula, hoc eſt exordia, vt par eſt cauſſámque decet, honeſta & ſplendida faciet, hoc eſt aditus ad cauſſam faciet illuſtres. Nam ſecundum eſt prioris interpretamentum. Exordiorum genera duo ſunt, vnum vulgatum atque tritum, Alterum doctum & illuſtre: hoc eloquenti conuenit, illud indocto. De priore in diuinatione. Tu horum nihil metuis, nihil cogitas, nihil laboras? Si quid ex vetere aliqua oratione Iouem ego opt. max. aut vellem, ſi fieri potuiſſet, iudices, aut aliquid eiuſmodi ediſcere potueris, præclarè te paratũ in iudiciũ venturũ arbitraris. Veſtibula ſunt honeſta, & aditus illuſtres, qui maiore quodã artificio parãt animos, relicto genere exordiendi infirmo nimiũq; vulgato.

Quid hic collocare oporteat honeſtum,illuſtre, & magnificum, non artis eſt,ſed prudentiæ inuenire.Id aut à perſonis,aut à cauſſa ducet optimˀ orator. Quũque animos prima aggreſſione, hoc eſt aditu proœmij occupauerit,beneuolóſque ſuę cauſſæ fecerit,infirmabit cõtraria,aut excludet prorſúſque diluet ab aduerſario dicta. Narratione docebit iudicem, & interiectis argumentorum ſeminarijs infirmabit contraria. Confirmatione quicquicquid erit in cauſſa dubium, excludet. Partietur argumenta in treis ordines. de firmiſſimis alia prima ponet, ne prælium ſtatim ab initio frigidum languere videatur,alia poſtrema, vt auditoris animo relinquant aculeum. Inculcabit,hoc eſt, in medio conſtituet, denſa & frequentata leuiora. quoniam in illis minus eſt præſidij,niſi cum turba roborantur. In primis duabus partibus inuentione & collocatione,qualis eſſet excellentis eloquẽtiæ ſpecies & forma,ſummatim breuitérque deſcripſimus,id eſt, breui ſumma comprehendimus.Nam & ſi graues ſunt pondere ſententiarum,magnę virtute rerum, quæ ſunt tanquam animi inſtar in corpore, tamen in his minus & artis eſt & laboris quàm in perfecta elocutione.

Cum autem quid & quo loco dicat,inuenerit, illud 21
eſt longè maximum,videre quonam modo. Scitum eſt enim quod Carneades noſter dicere ſolebat, Clitomachum eadem dicere,Carneadem autem eodem etiam modo dicere. Quod ſi in Philoſophia tantum intereſt quemadmodum dicas,vbi res ſpectatur,non verba penduntur: quid tandem in cauſis exiſtimandum eſt, quibus totis moderatur oratio? Quod quidem ego Brute ex tuis literis ſentiebam, non te id ſcitari, qualem ego in inueniendo,& in collocando ſummum eſſe oratorẽ vellẽ:ſed id mihi quærere videbare, quod genus ipſius orationis optimum iudicarem.Rem difficilem dii immortales,atque omnium difficillimam. Nam cum eſt oratio mollis,& tenera,&ita flexibilis,vtſequatur quocunque torqueas: tum & naturæ variæ, & voluntates, multum inter ſe diſtantia effecerunt genera dicendi.

Flumen aliis verborum, volubilitáſque cordi eſt, qui ponunt in orationis celeritate eloq. etiam. Diſtincta alios, & interpuncta interualla, moræ, reſpirationéſque delectant. Quid poteſt eſſe tam diuerſum? tamen eſt in vtroque aliquid excellens. Elaborant alii lenitate, & æquabilitate, & puro quaſi quodã, & candido genere dicendi. Ecce alii duritatem, & ſeueritatem quandam verbis, & orationis quaſi mœſtitiam ſequuntur, quódque paulò antè diuiſimus, vt alii graues, alii tenues, alii temperati vellent videri: quot orationum genera eſſe diximus, totidem oratorum reperiuntur.

Quum tria videnda ſint oratori, quid dicat, & quo quidque loco, & quomodo. tertium longè maximum eſt videre quomodo dicat. Id tribus rationibꝰ confirmat, ne temerè minus in alijs, plus in hac parte laboraſſe videatur. Vna ducitur à philoſophię cõparatione: Altera à tacito quodam Bruti teſtimonio: Tertia ad comparationem reducenda, elocutionem difficiliorem eſſe reliquis partibus, quoniã illæ ſimpliciores ſunt, hęc in plures variat formas. Hęc autem diſputatio inducta eſt vt vnam maximè excoleret elocutionem. Nam quum dicendum ſuſcepiſſet quid eſſet optimum in ſingulis rhetoricæ partibus, cæteráſque partes vidiſſet cum multis alijs eſſe communes, minúſque mirabiles, Elocutionem propriã eloquẽtię hãc partẽ reliquis antepoſuit: vt quæ tota ſit in arte poſita, nec tum Latinorum præceptis vſúque celebrata, præſertim quum res eſſet inſignis ad maximam laudẽ, & in ea maximè ſpectari poſſet ille ſummus orator. Scitum eſt arguté, doctè & eleganter dictum. quod Carneades noſter hic Iunior tibi mihique notus & aliquando familiaris, vir memoriæ ſummæ dicere ſolebat de veteri Carneade & Clitomacho: Clitomachum eadem dicere, id eſt, eaſdem ſententias & res inuenire & collocare, nec animos recreare poſſe inueniendi varietate. Carneadem autem eodem etiam modo dicere, & vno eodémque graui ſtylo ſemper vti Carneades philoſophꝰ Cyrenæus Chryſippi ſtudioſus fuit, vir eloquentia tanta, vt ad eum etiam confluerent oratores. Nam vt ait Laertius δεινῶς ἦν ἐπιπληκτικὸς καὶ ἐν ταῖς ζητήσεσι δύσμαχος acriter inuehebatur, & in quęſtionibꝰ erat inexpugnabilis. De Carneade Cicero perſæpe mentionem facit, & de Oratore, & in Academicis alijſque locis. Hoc vnum proferamus è ſecundo de Oratore: Carneadis vis incredibilis illa di-

cendi & varietas per quam eſſet optanda nobis, qui nullam vnquam in illis ſuis diſputationibus rem defendit, quam non probauerit: nullam oppugnauit, quam non euerterit. Hic Antonius intelligit nō eloquendi, ſed inueniendi varietatem. Gelli⁹ in ſeptimo refert ex Rutilio & Polybio, vt Carneades Romam legatus multis admirationi fuerit, & in diſſerendo violenta & rapida dixerit. Venit autem Romam temporibus Cenſorij Catonis.

Clitomach⁹ Carthaginenſis Academic⁹ Carneadis auditor, de quo Craſſus primo de Oratore: Audiui enim ſummos homines, quum quæſtor ex Macedonia veniſſem Athenas, florente Academia, vt temporibus illis ferebatur, ꝗ eam Carneades & Clitomachus, & Aeſchynes obtinebant. οὗτος, inquit Laertius, εἰς τοσοῦτον ἤλασεν ἐπιμελείας ὥστε ὑπὲρ τὰ τετρακόσια βιβλία συγγράψαι, ϗ διεδέξατο τὸν καρνεάδην ϗ τὰ αὐτοῦ μάλιστα διά τῶν συγγραμμάτων ἐφώτισεν. Eo venit induſtriæ vt ſupra quadringēta volumina conſcripſerit, ſucceſſeritque Carneadi, cuius dicta monumentis literarum maximè illuſtrauit. Carneades igitur & Clitomachus viri quidem magni fuerunt, ſed in quibus tamen aliquid critici deſiderarunt. In philoſophia, non in eloquētia tantum magni intereſt, quemadmodum dicas, quáque elocutione vtare. Nam multo maior habetur Plato propter illam variè & copioſè dicendi facultatem, Et Theophraſtus inde diuinum reperit nomen, Et Galenus in medicis magnus, etſi Aſianorum more tumet & redundat, tamē copia verborum magis ꝙ rerum cæterorum gloriam adumbrauit. Philoſophia res ſententiáſque ſpectat, non verba pendit, nec quaſi lāce trutinatur, vt eorum pondus examinare poſſit. Id in cauſſis contrà facit orator, quibus totis moderatur oratio, hoc eſt quas totas Oratoris elocutio regit. Eſt enim, vt poſtea dicet, oratio Oratoris elocutio, quæ regit animos, & pectora mulcet. In partéſque rapit varias, pérque omnia verſat. Hoc Brutus Philoſphiæ ſtudioſiſſimus vidit, & è Gallia Romam literas miſit, quibus id quæreret, quod genus ipſius orationis, id eſt elocutionis, optimum iudicaret. Cicero verò qui à reb⁹ optimam elocutionem ſeparare nollet, alia quędam adiecit, quaſi corpus & animum, ſine quibus eloquentia non conſtet. Sed orationis quaſi de corpore & animo iudicare facile eſt. de decoro autem & ornamētis veram ferre ſententiam, res eſt difficilis, atque omnium difficillima. Etenim quemadmodum in hominum vita perraro quæritur quid aut quale ſit corpus, quid ſit animus, quæque animi natura, ſed labor omnis adhibetur, aut nutriendo corpori & veſtiendo, aut animo ornando ſcientijs & virtutibus: ſic & in eloquentia ſtudium ſummum eſt nutriendę dictionis, aptandi decori, ornādæ, verbiſque decorandę ſententiæ. Natura nimirum res peperit, homini poliendas ac ornandas reliquit. Ergo ſicuti de rebus hominum multi diſſentiunt, ita diſerti de ratione figuráque dicendi. Nam oratio mollis eſt & tenera vt cera, & ita flexibilis in omnem figuram, vt ſequatur quocunque torqueas, & quaſi digito flectas. Ex iiſdem verbis orationem conficies aſperam & triſtem, vt Cn. Pompeius ſuperauit virtute non modo gloriam

eorum hominum qui nũc ſunt, ſed etiam antiquitatis memoriam. Ex iiſdẽ mollem atque iucundam, vt Cn. Pompeius non modo eorum hominum qui nunc ſunt gloriam, ſed etiam antiquitatis memoriam virtute ſuperauit. Quæſo & obteſtor ne pro me vnquam vota Reſpu. inuita ſuſcipiat, aut ſi ſuſceperit, inuita ne debeat. Ex iiſdem tardam & interſiſtentem. Quæſo & obteſtor ne pro me vnquam vota, inuita ſuſcipiat Reſpu. aut ſi inuita ſuſceperit, ne debeat. hic flexus orationis, & variç hominum naturæ ac voluntates multum inter ſe, diſtantia effecerunt genera dicẽdi. Nam quod antè dixit, ſemper oratorum eloquentiæ moderatrix fuit auditorum prudentia. Et ſi verum quærimus, totidem ſunt genera diuerſa quot hominum naturæ. Verborum flumen aliis cordi eſt, id eſt, fluxus & celeritas placet & volubilitas rotundáque figura dicendi. Id aſſequũtur coniunctione verborum leni, & pede celeri, vt, dactylo, pæane, iambo, choreo, proceleumatico, periodis cathenatis, quo genere frequenter vtuntur Hiſtorici & Oratores in exemplorum narratione. Diſtincta alios & interpuncta interualla, moræ reſpirationéſque delectant. Diſtincta, non cohærentia, ſed conatu pronunciantis interruptio proferenda. Interpuncta, interualla quaſi puncto interiecto ſeparata. Moræ & reſpirationes, ſpiritus intermiſſiones. His omnibus ſignificat orationem curtatam atque conciſam, pluribus quidem inciſis & mẽbris, nullis ferè periodis conſtantem, in qua frequentes illæ quç pauſæ nominantur & ὑποστιγμαί. Cicero tertio de Oratore, Clauſulas atque interpuncta verborum, animæ interclusio, atque anguſtiæ ſpiritus attulerunt. In hoc genere multus eſt Seneca, Multus etiam Plinius in hiſtoria naturali. Et amplificationes acerrimç hoc ferè genere conſtant, tum enim cæſim mẽbratimque vehementius dicitur: alterum genus habet continuum quaſi fluminis curſum. Hoc veluti in ſaxo reſilientes vndas, & interruptos impetus. In altero volubilitas, in hoc interpuncta reſpiratio, hæc omnino diuerſa. Tamen eſt in vtroque aliquid excellens. Illud enim gen⁹ in re cita tractáq́, laudatur. Hoc in horrida grauitate commendabile eſt. Elaborant alii lenitate & æquabilitate & puro quodam & candido genere dicendi, ad quod perficiundum legenda ſunt verba lenia, & venuſta, & æquabilia modóque pari demenſa ne interiecta diſparia, vt ſeſquipedalia aut monſtrum pariant, aut ſonos diſpares efficiant. Hoc purum genus & candidum, quod nullo diſſimili colore fucatum eſt, in qua figura totus eſt Cæſar in commentariis. Et nos in genere commentandi ſi quid in hac re poſſumus, illud non inuitẽ ſequimur. Ecce alii duritatẽ & ſeueritatem quãdã verbis, & orationis, quaſi mœſtitiam ſequuntur, hoc eſt auribus dura, aſpera, triſti compoſitione exhorreſcunt, vt Ennius, Cato Cenſorius, plerique Philoſophorum.

22 Et quoniam cœpi iam cumulatius hoc munus augere, quàm à te poſtulatum eſt: tibi enim tantum de orationis

orationis genere quærenti, reſpondi etiam breuiter de inueniendo,& collocando: ne nunc quidem ſolum de orationis modo dicam,ſed etiam de actionis.ita prætermiſſa pars nulla erit:quandóquidem de memoria nihil eſt hoc loco dicendũ, quæ cõmunis eſt multarum artium. Quo modo autem dicatur, id eſt in duobus, in agendo,& in eloquendo. Eſt enim actio quaſi corporis quædam eloquentia, cum conſtet è voce, atque motu. Vocis mutationes totidem ſunt, quot animorum, qui maximè voce commouentur.Itaque ille perfectus, quẽ iamdudum noſtra indicat oratio, vtcunque ſe affectum videri,& animum audientis moueri volet, ita certum vocis admouebit ſonum.de quo plura dicerem,ſi præcipiendi tempus eſſet, aut ſi tu hoc quæreres. dicerem etiam de geſtu,cũ quo iunctus eſt vultus:quibus omnibus dici vix poteſt, quantum interſit quemadmodum vtatur orator. Nam & infantes actionis dignitate eloquentiæ ſæpe fructum tulerunt, & diſerti deformitate agendi multi infantes putati ſunt. Vt iam non ſine cauſa Demoſthenes tribuerit,& primas,& ſecũdas, & tertias actioni.Si enim eloquentia nulla ſine hac, hæc autem ſine eloquentia tanta eſt,certè plurimum in dicendo poteſt. Volet igitur ille qui eloquentiæ principatum petet, & contenta voce atrociter dicere, & ſummiſſa leniter,& inclinata videri grauis,& inflexa miſerabilis.Mira eſt enim quædam natura vocis, cuius quidem è tribus omnino ſonis,inflexo, acuto, graui, tanta ſit,& tam ſuauis varietas perfecta in cantibus.

Quanta vis eſſet eloquendi in vniuerſum propoſuit, vt propius accedat, dicendi modum partitur in actionem ac elocutionem. Nam eloquendi comes eſt actio, vt altera quædam mẽtis interpres. Quod autem natura prima eſt elocutio, actio verò ſecunda, quoniam prius verba mens concipit, q̃ tradat actioni, cauſſam præmittit, cur ſit vſus hoc ordine. Cumulare & augere munus voluit. neq; tantum Bruto de orationis genere, id eſt de modo & ratione eloquendi, ſed etiã de inueniendo, & collocando, & agendo breuiter reſpondere, quas partes anteponi melius putauit, vt liberior elocutioni daretur locus. Ne nunc quidem, inquit, vbi tertiũ illud occurrit quomodo dicat Orator, ſolum de orationis modo, hoc eſt habitu & figura dicã, ſed etiã de modo & ratione actionis, quæ pronunciatio dicitur. Ita prætermiſſa pars nulla erit, in qua bonus excellat Orator, quãdoquidẽ de artificiali memoria, nihil eſt hoc loco dicendum, quia cõmunis eſt multarum artium, vt ſcientiæ ciuilis, vt philoſophiæ. Principio deſcribit actionem quaſi corporis quandã eloquentiam, quæ definitio à ſimili ducitur, vt plerunq; ſolet. Quemadmodum igitur vis eloquentis animi, materiam propoſitæ quæſtioni bonam copioſamque ſuggerit, verba rebus apta cõponit: Sic etiam corporis eloquentia, rebus & verbis flexus vocis & motus accõmodat. Et ſicut animi ſapientia per eloquentiam ſe promit, ita etiã animi facultas vtitur inſtrumento vocis & motus. Corpus itaque quodammodo loquitur, ſicut & animi vis & facultas, ad hæc ſubſcribit Quintilianus vndecimo: Pronunciatio a pleriſque actio dicitur, ſed prius nomen à voce, ſequens à geſtu videtur accipere. Nãq; actionem Cicero aliàs quaſi ſermonem, aliàs eloquentiam quandam corporis dicit. Secundo loco diuidit actionem in vocem atque motum, vox aures, motus oculos tangit, per quos duos ſenſus in animos penetrat Orator. Vocis mutationes totidem ſunt, quot animorum, qui maximè voce cõmouentur. Quæ mutationes animorum ſint, abundè ſcribit Tuſculana quarta. Quæ proponũtur oratori, copioſè ſcribit ſecundo de oratore. Mutantur ad amorem, odium, beneuolentiam, ſpem, metum, cupiditatem, ægritudinem, lætitiã, mœrorem, miſericordiã, acerbitatem, & ad finitimas perturbationes. Quod animi voce maximè commouentur, oſtendit ars bene canendi, quę non modo pedem ſaltantis ad numerum regit, ſed animũ quoque vertat in omnem affectum. Talis eſt oratio modulata, ſuoq; modo dicta. Cicero ſecundo de Oratore, Tantã vim habet illa, quæ rectè à bono poeta dicta eſt flexanima, atq; omniũ regina rerum oratio, vt non modo inclinãtem erigere, aut ſtantem inclinare, ſed etiam aduerſantem & repugnantem, vt imperator bonus ac fortis, capere poſſit. Itaq; ſummꝰ Orator vtcunq; ſe affectũ videri & animum audiẽtis moueri volet, ita certum vocis admouebit ſonum. Certus erit ſonus, ſi rebus fuerit aptus, vt dulcibus dulcis, aſperis aſper, atrocibus atrox, lenibus mitis. Motus diuiditur in geſtum atque vultum. Vultus eſt in ſpiritu, ſanguine, & oris habitu quodam, qui motus animi produnt. Geſtus eſt motus corporis & partium eius, hoc modo cum geſtu iunctus eſt vultus, quo-

niam in genere motus conueniunt. Vterq; rebus ipſis ſicut & vox debet accommodari,quod vt fiat,vſus & exercitatio plus iuuabunt q̃ Rhetorũ præcepta.Actionem plurimũ valere probāt cuncti.Nam & infantes, id eſt infacundi viri rudéſque dicendi, vt Cn. Lentulus, actionis dignitate, bona & decora pronunciatione,eloquentiæ fructum & gloriam tulerunt. Et diſerti quibus è diuerſo opponuntur infantes,deformitate agendi,hoc eſt indecora & fœda pronũciatione,à multis infantes & indiſerti putati ſunt.Cuiuſmodi L.Cottam dicit Cicero fuiſſe . Huc pertinet illa ſententia Demoſthenis, qui ſine actionis dignitate eloquentiam nullam cenſuit,de qua Fabius,Siquidem & Demoſthenes,quod eſſet in toto genere dicendi ſummum , interrogatus pronunciationi palmam dedit,eidémque ſecundum ac tertium locum,donec ab eo quæri deſierit,vt eam videri poſſit nõ præcipuam,ſed ſolam iudicaſſe. Itaque ille perfectus , vt animum audientis moueri volet , ita certum vocis admouebit ſonum.volet autem qui eloquentiæ principatum petet,id eſt qui ſummus haberi cupiet,contenta voce,forti & quaſi è chordis cõtentis edita, atrociter dicere quod eſt vti amplificatione & graui genere dicẽdi,vt ſi agat hęc,O mulieris ſcelus incredibile,O libidinem effrenatam & inauditã,O audaciam ſingularem.Volet ſummiſſa voce, depreſſa, ſuaui, & ea quã vulgus appellat fictam leniter dicere & vti genere leni & quieto.Ea voce efferatur hæc oratio.Ex eius ore,melle dulcior fluebat oratio . Volet videri grauis & plenus authoritatis inclinata voce,id eſt neque erecta,neque ſtante , ſed deflexa ad medium penè temperamentum,vt ſi dicenda eſt hæc oratio , Nolo accuſator in iudicium potentiam afferat,non vim maiorem aliquã, non authoritatem excellentem,non nimiam gratiam , valeant hæc omnia ad ſalutem innocentium, ad opem impotentium, ad auxilium calamitoſorum . In periculo verò & in pernicie ciuium repudientur. Volet idem miſerabilis videri dignúſque venia,inflexa voce,hoc eſt ſubinde mutata ab acuto ſono ad grauem,vt ſi ſit hoc pronunciandum,O me miſerum,ô me infelicem, reuocare tu me in patriã Milo potuiſti per hos , Ego te in patria per eoſdem retinere non potero? Tres ſont vocis omnino ſunt,qui dicũtur accentus,Acutus,grauis,inflexus. quorum nomen & ratio defluxit à Græcis, quibus ſunt προσωδίαι τρεῖς ὀξεῖα,βαρεῖα,περισπωμένη. Ex illis acutus habet primas , non modo quia natura quaſi modularetur hominum orationem,in omni verbo poſuit acutam vocem,vt poſtea dicet,ſed etiam quia ſimplex eſt,nec alterius gerit vices. Grauis accentus eſt natura ſecundus: Eſt enim ſimplex, ſed frequenter obit acuti munus.Nam ſi dicimus:Cicero magnus eſt vir, poſtremũ acuitur verbum Si vero dicimus:Cicero vir eſt magnus,Idem verbum graui profertur accentu. Tum enim acutus in grauem mutatur,ne turpiter exultet actio.Circunflexus ex acuto grauique componitur,idéoque numero tertius eſt , vnde conſtat illum ordinem Græcorum , à Cicerone mutatum , aut vt conſuleret orationi,quia languidum erat illuc,acuto,graui, inflexo, aut quia non ingrata eſt negligentia,quædam circa res minores . Cur autem ex tri-

bus ſonis,tanta ſit & tam ſuauis varietas in cantibus,ſi forte quæris,hoc dicendum videtur,Innumerabiles eſſe flexus inter acutiſſimum ſonum & grauiſſimum. Vocum genera eſſe perpauca , multas autem ſpecies , vnde varia flectitur illa modulatio,hoc modo,Ex tribus neruis organũ muſicum mille diuariat flexus,quum per gradus à ſummo tono deflectitur ad imum. Hæc igitur poſita ſunt,vt orator qui norit tam multos eſſe vocum gradus,per illos voce diſcurrere aſſueſcat , quia nihil eſt auribus odioſum magis , quàm vox illa rigida quæ ſemper vno ſonat modo contumax.

23 Eſt autem in dicendo etiam quidam cantus obſcurior , non hic è Phrygia , & Caria Rhetorum epilogus penè canticum: ſed ille quem ſignificat Demoſthenes, & Aeſchynes,cũ alter alteri obiicit vocis flexiones. Dicit plura etiam Demoſthenes,illúmque ſæpe dicit voce dulci,& clara fuiſſe.In quo illud etiam notãdum mihi videtur ad ſtudium perſequendæ ſuauitatis in vocibus. ipſa enim natura quaſi modularetur hominũ orationem,in omni verbo poſuit acutam vocem , nec vna plus,nec à poſtrema ſyllaba citra tertiam, quo magis naturam ducem ad aurium voluptatem ſequatur induſtria. Ac vocis quidem bonitas optanda eſt(nõ eſt enim in nobis)ſed tractatio,atq; vſus in nobis. Ergo ille princeps variabit, & mutabit , & omnes ſonorum tum intendens,tum remittens perſequetur gradus.

A natura datur vox,ab arte flexus,à flexu gignitur cantus.Qui ſi temperatus eſt in actione,decet oratorem maximè in affectibus mouendis.Cicero ſecundo de oratore:Quis enim cantus moderatæ orationis pronunciatione dulcior inueniri poteſt? Idem ſi nimius eſt,accedit ad canticũ carmenq́ phonaſcorum,nec oratoris actionem decet , Sed ne lectionẽ quidem . Sit inquit Quintilianus,in primis lectio virilis,non in cãticum diſſoluta, nec plaſmate, vt nunc à pleriſq; fit effœminata: De quo genere C.Cæſarem prætextatum adhuc , accepimus dixiſſe:Si cantas , malè cantas : Si legis,cantas. Canticum oratorum ſic agitat Perſius , Men moueat quippe , & cantet ſi naufragus

aſſem protulerim? cãtas quũ fracta te in trabe pictũ ex humero portes? Vitet igi Orator illã ſcenicã modulationẽ: Vitet vlulãs cãticũ Aſianorũ i epilogis ac perorationib⁹. Affect⁹ animi cõcitãdi ſunt, nõ ad riſus & cachinnos, ſed ad vtilitates & cõmoda cauſſarũ. Canũt autẽ Poëtę, ſed obſcuri⁹. Canũt Oratores etiã obſcuri⁹, & in omni pronũciatione, & maximè in amplificatione. Nã, quod ait Quĩtilian⁹, Neq; Demoſthenes per Marathonis & platearum, & Salaminis propugnatores, recto ſono iurauit, Neque Aeſchynes Thebas ſermone defleuit. Vterque igitur obſcuriore cantu modulatus eſt orationẽ. Quod quum feciſſet ad rapiendos animos, & ad facilius obtinendam cauſſam, non caruit reprehenſione iniuſta quidem, ſed tamẽ accuſatoria. Aeſchynis verba ſunt. ὅλως δὲ τί τὰ δάκρυα; τί ἡ κραυγή; τί ὁ τόνος τῆς φωνῆς; Tandem quid lachrymæ ſibi volunt? quid vociferatio? quid ton⁹ vocis? Demoſthenes hoc refert, εἶτ᾽ ἐπὶ τούτῳ τῷ καιρῷ ῥήτωρ ἐξαίφνης ἐκ τῆς ἡσυχίας ὥσπερ πνεῦμα ἐφάνη, καὶ πεφωνασκηκὼς καὶ συνειλεχὼς ῥήματα καὶ λόγους συνείρει τούτους σαφῶς καὶ ἀφνευσὶ. Déinde nactus oportunitatem & hoc tempus, orator è quiete veluti quædam procella ſubito prodijt, & vbi variè cantitauit, & verba meditando collegit & orationes, continuat eas claro & infracto ſpiritu. Cantus hic in oratiõe ſicut cætera omnia cœpit à natura ſeminarium, arte & humana induſtria colendum. Natura modulata eſt hominum orationem, certáſque voces ad agendum dedit, & vt impetu quodam proferrentur animo concepta, & aurem ferirent, in omni verbo poſuit acutam vocem, nec vna plus, vt eſſet varietas, nec à poſtrema ſyllaba citra tertiam, nè quid ſpiritus laboraret. Omne verbum aut vnius eſt ſyllabæ, aut duarum aut trium pluriúmve. Si in verbo trium ſyllabarum pluriúmve fuerit accentus in tertia ab extrema, is ſemper erit acutus, vt φιλόσοφος, dominus. Si fuerit accentus in ſecunda à fine, aut acut⁹ erit, ἀνθρώπῳ, virili λόγος, déus: aut circunflexus, vt σημεῖον, μοῦσα, Românu, Rôma. Quod igitur inflexus ex acuto eſt, & graui, non defuerit acutus, ſi ponetur inflexus. In vltima, nunc eſt acutus, βασιλεύς. dúx, nunc circunflexus βοῦς, bos. Nihil refert an vnius ſint ſyllabæ verba, an verò plurium. Nunquam grauis erit vltima, niſi quum verbum acutum cœperit aliam ab vltima ſedem, propter quòd mutarit accentum, vt ὁ βασιλεὺς ἔφη, dùx: locutus éſt. iam grauis, hic eſt pro acuto, ergo natura in omni verbo poſuit acutam vocem, quæ quum altius ederetur, & reliquæ ſummiſſius conſonarent, iucundam è varietate cieret modulationem. Interim vnum verbum duos habet accentus acutos, ſed vnum ab alio verbo ducit, vt φιλόσοφοί τε dóminive. At vocis quidem bonitas optanda eſt, non eſt enim in poteſtate noſtra, ſed à natura datur, tractatio tamen & vſus, hoc eſt ratio regendæ vocis & efferendæ noſtri laboris eſt. Quintil. Nam bene pronunciare non poterit, ſi inemendabilia oris incõmoda obſtabunt. Sed ne vox quidem niſi liberalis actionem habere optimã poteſt. Bona enim firmáque, vt volumus, vti licet. Mala vel imbecilla & inhibet multa, vt inſurgere exclamare, & aliqua cogit, vt ſummittere, deflecte-

re & raucas fauces ac latus fatigatum deformi cãtico reficere. Sed ille princeps & ſumm⁹ Orator bonitate vocis fruetur, eámque variabit & mutabit, id eſt, tum intendet, tum remittet per omnes ſonorum gradus.

24 Idémque motu ſic vtetur, nihil vt ſuperſit in geſtu. Status erectus, & celſus, rarus inceſſus, nec ita longus: excurſio moderata, eáque rara, nulla mollitia ceruicum, nullæ argutiæ digitorum, non ad numerum articulus cadens, trunco magis toto ſeipſe moderans, & virili laterum flexione, brachii proiectione in contentionibus, contractione in remiſſis.

Actio conſtat è voce atque motu. de motu breuiter dixit, nunc æque de motu qui continet geſtum atque vultum. Geſtus motus eſt aptus corporis atq; membrorum, vt capitis, frontis, oculi, narium, oris, menti, ceruicis humeri. manus, pectoris, ventris, laterum, pedum. de quibus ſingulis Fabius multa, quia ſicut ambitioſè geſtum ſeruarunt Athenienſes tempore ſuæ liberalitatis, ita ambitioſius multo Roma captauit. Cicero pauciora dicit, nec enim præcepta ponit, ſed quid optimum ſit in ſingulis indicat. Motu, inquit, ſic vtatur Orator, id eſt, ſic in agendo moueat corpus & membra, nihil vt ſuperſit in geſtu, vt ſpectator nihil in geſtu pulcherrimo deſideret. Hoc aſſequetur, ſi, quoniam ſtare debet Orator in agendo, fuerit ſtatus erectus & celſus, non incuruus, vt ruſticorum: non deiectus vt verecundiæ puellaris: non contractus, vt ſcelerati metus & pudoris: non pronus & titubans, vt ineptiorum & inconſtantium. Hoc poſitum eſt in toto quaſi corporis trunco. Iam ſubijcit præcepta de partibus Sit rarus inceſſus, nec ita longus, proferat Orator pedem ne ſtatuę more ſtet iunctis pedibus, ſed perraro incedat, aut ſi quando licet, ſit tamen breuis inceſſus, ne qui dicit ſui prorſus immemor aut ſecurus eſſe aut deambulare videatur. Etenim quemadmodum turpe ducimus eos qui de ſuggeſtu ad populum verba faciunt, huc illuc curſitare, totámque percurrere cathedram, Sic turpè videbatur, Oratorem ad ſubſellia dicentem, aut longius incedere, aut celeriter excurrere. Sit igitur excurſio moderata, id eſt, temperatus & modicus à ſtatione proiectus gradus, de quo ſic eſt Quintiliani iudicium: Procurſio opportuna, breuis, moderata, rara. Cõuenit etiam & ambulatio quædam propter immodicas laudationum moras, quanquam Cicero rarum inceſſum, nec ita longum probat. Diſcurſare vero & quód Domiti⁹ Afer de Sura Manilio, dixit ſatagere, ineptiſſimum, vrbanéque Flauius Virginius interrogauit de quodã ſuo An-

tiſophiſte,quot milia paſſuū declamaſſet. Nulla ſit mollitia ceruicum, nec enim ceruix rigida eſſe debet, vt in homine ceruicoſo, nec mollis & fluctuanti ſimilis, vt in lepidulo amatore. Dixit autem rectum caſum mollitia,non mollities propter literam ſequentem:Et ceruicum nō ceruicis, quòd illud verbum ſingulariter rarius vſurparetur.Nam primus Hortenſius Ceruicem ſingulari uumero dixiſſe fertur. Nullæ ſint argutiæ digitorum,nullæ celeres & quaſi ſonientes digitorū vibrationes.Nec enim ſummi viri eſt in dicendo pręcipites agitare digitos nimiùmque mobiliter ad verba iaculari. Id præſtigiator ille faciat, qui obſtupente plæbecula nuces verſat in cyatho. Ne ad numerum cadat articulus. Is eſt tibicinum geſtus, qui ad rythmum numerūq; carminis articulos flectunt & vincula membrorum. Trunco magis toto quàm ſingulis corporis partibꝰ ſe ipſe moderetur, & decenter gerat Orator, & virili laterum flexione, id eſt, quæ virum ampliſſimum deceat,ſe temperet.Brachium proijciat,longéque promoueat in contentionibus,hoc eſt grauioribꝰ i locis & amplificationibus,quę acriter & vehementer inſtant,ideòque contentione vocis egent. Contra brachium admoueat corpori in remiſſis orationibus,quæ tranquilla voce dicuntur.

Vultus verò, qui ſecundum vocem plurimū poteſt, 25 quantam affert tum dignitatem, tum venuſtatem? in quo cum effeceris ne quid ineptum,aut vultuoſum ſit, tum oculorum eſt quædam magna moderatio. Nam vt imago eſt animi vultus,ſic indices oculi:quorum & hilaritatis,& viciſſim triſtitiæ modum res ipſæ,de quibus agetur, temperabunt.

Vultus eſt motus pars altera,qui ſecundum vocem, id eſt poſt vocem in actione principem,plurimum poteſt. Affert enim tum dignitatem, tum venuſtatem.Dignitas eſt in maieſtate quadam. Venuſtas in elegantia, quæ ſpectatori placet.Ea de re Quintiliani verba ſunt:Dominatur autem maximè vultus,hoc ſupplices,hoc minaces,hoc blandi, hoc triſtes, hoc hilares, hoc erecti,hoc ſummiſſi ſumus.hinc pendent homines,hunc intuentur,hunc ſpectant etiam antequam dicamus, hoc quoſdam amamus, hoc odimus, hoc plurima intelligimus,hic eſt ſæpe pro omnibus verbis. Hanc varietatem in hiſtrionibus videas, pro ratione perſonarum quas agunt, vultum mutantibus.In vultum duo vitia cadunt,vt vultuoſum & ineptum.Vultuoſum non triſte,vt quidam interpræ tantur,Vultus enim triſtis ſæpe decet, ſed vultuoſum crebro vultu nimióque variatum. Inclinationes in oſus authore.

Nigidio nimiũ ac prҿter modũ ſignificãt,& iccirco in culpas cadũt,vt vinoſus,famoſus,moroſus,ebrioſus:ineptũ eſt q̃ aut perſonæ,aut rei, aut tẽpori, aut loco nõ cõuenit. In vultu ſunt oculi,teſtatur Quintilianus his verbis:Sed in ipſo vultu plurimum valent oculi, per quos maximè animus emanat, vt citra motum quoque & hilaritate niteſcãt,& triſtitia quoddam nubilum ducant.Id ex hoc fonte deduxit:Oculorum eſt quædam magna moderatio, Hoc eſt magnum eſt & in primis honeſtum oculis bene moderari.Oſtendit hac comparatione,Quemadmodum vultus plurimum valet, quia imago eſt animi vultus,id eſt, ſignum quoddam interioris affectus,ſic oculorum moderatio plurimum valet,quoniam animi ſunt indices oculi: vt animus igitur erit affectus, ſic erunt oculi regendi atque ratione moderandi.Quod igitur nunc hilares,nunc triſtes eſſe debent, vtrum modum & vtram moderationem tenere debeamus,res ipſe de quibus agetur,& ſubiectæ quæſtiones nos docebunt.Cicero tertio de Oratore:Sed in ore ſunt omnia:In eo autem ipſo dominatus eſt omnis oculorum,quo melius noſtri illi ſenes,qui perſonatum ne Roſcium quidem magnopere laudabant.Animi eſt enim omnis actio,& imago animi vultus eſt,indices oculi. Nam hæc eſt vna pars corporis,quæ quot animi mot⁹ ſunt,tot ſignificationes & mutationes poſſit efficere,quare oculorum eſt magna moderatio. Oculi ſunt quorum tũ intentione, tũ remiſſione,tum coniectu,tum hilaritate motus animorum ſignificemus aptè cum genere ipſo orationis.Eſt enim actio quaſi ſermo corporis, quo magis menti congruens eſſe debet.Oculos autem natura nobis, vt equo & leoni ſetas,caudam,aures ad motus animorum declarandos dedit. hæc ille.Percurre totum locum, vt hæc propè eadem facilius perluſtrare poſſis.

26 Sed iam illius perfecti oratoris,& ſummæ eloquentiæ ſpecies exprimenda eſt:quem hoc vno excellere, id eſt oratione,cætera in eo latere, indicat nomen ipſum. Non enim inuẽtor,aut compoſitor,aut actor,hæc complexus eſt omnia, ſed & Græcè ab eloquendo ῥήτωρ, & Latinè eloquẽs dictus eſt.Cæterarum enim rerum quæ ſunt in oratore,partem aliquam ſibi quiſque vendicat: dicendi autem, id eſt eloquendi,maxima vis ſoli huic conceditur. Quanquam enim & philoſophi quidam ornatè locuti ſunt,ſiquidem & Theophraſtus à diuinitate loquendi nomen inuenit,& Ariſtoteles Iſocratem ipſum

ipſum laceſſiuit, & Xenophontis voce muſas quaſi locutas ferunt,& longè omnium,quicunque ſcripſerunt, aut locuti ſunt,extitit & grauitate princeps Plato.

Vt orationem,id eſt oratoris elocutionem paulò antè commẽdarat, quo planum faceret,pauciora de cæteris partibus eſſe dicenda:ſic rurſus eam cõmendat,vt,eo plus artis adhibeat. In quo vtitur authoritate Græcorum atq; Latinorum. qui quum feciſſent doctrinæ dicẽdi quinq; partes,ab elocutione ſola,ꝙ ea pars eſſet eloquentium propria,dixere rhetoricen. Orator illorũ ſententia hoc vno excellit,id eſt oratione,quæ Oratoris eſt dictio. Cæteræ partes in eo latent,quoniam minus illuſtres ſunt & inſignes,vt res propriæ magis prudentię quàm artis,iccirco multarũ artium communes. Ea de cauſa non dictus eſt inuentor ab inuentione: neque compoſitor ab artificioſa rerum collocatione:neque actor à pronunciatione:quanquam hęc arte cõplexus eſt omnia, ſed & græcè ab eloquendo ῥήτωρ & latinè eloquens dictus eſt ῥήτωρ vt ait Suidas, τὸ παλαιὸν ἐκαλεῖτο ὁ δήμῳ συμβουλεύων καὶ ὁ ἐν δήμῳ ἀγορεύων εἴτε ἱκανὸς εἴη λέγειν εἴτε καὶ ἀδύνατος, εἴτε καὶ ἀπὸ τοῦ βελτίστου καὶ δικαιοτάτου συμβουλεύων εἴτ' ἐπ' οἰκείοις λήμμασι. Rhetor olim dicebatur is qui populo conſilium dabat, quique ad populum conciones habebat:ſiue aptè diceret,ſiue id facere non poſſet,ſiue ex optimo iure & æquiſſimo conſilia tractaret,ſiue proprijs captionibus niteretur. Hæc verba tranſcripſi,vt planũ facerem Græcos in Rhetore maximè ſpectaſſe dictionẽ. Eſt ῥῆσις dictio ῥήτωρ eloquens,quæ à ῥέω videntur eſſe deducta:nunc ἐρῶ dicimus:Cęterarũ rerũ quæ ſunt in oratione,vt inuentionis,diſpoſitionis,memoriæ,partẽ aliquã ſibi quiſque vindicat,vt Dialecticus,Phyſicus,Muſicus:Eloquendi maxima vis huic ſoli conceditur. Nam ſi vis aliqua dicendi multis alijs vt poëtis,hiſtoricis,philoſophis conceditur,qui de re ſua copioſè & ornatè loqui poſſunt, ea tamen vis & facultas & δύναμις neque maxima, neque perfecta,ſed ab oratore & eius libris petita,ac in vno tantũ genere laudabilis. Perſequitur enim eandem propè loquendi viam,nec periculoſè cum aduerſario pugnat. Vis illa maxima,quæ more veteri prælium forenſe committit,in omnes ſe verſat modos, pro temporibus cauſſæ,& eloquentiæ dignitate. Cicero primo de oratore. Quamobrem ſi ornatè locutus eſt, ſicut fertur,& mihi videtur, Phyſicus ille Democritus, materies illa fuit Phyſici, de qua dixit: Ornatus verò ipſe verborũ, Oratoris putandus eſt. Et ſi Plato de rebus à ciuilibus controuerſijs remotiſſimis diuinitus eſt locutus, quod ego concedo, Si item Ariſtoteles, ſi Theophraſtus, ſi Carneades in rebus ijs de quibus diſputauerunt,eloquentes, & in dicendo ſuaues atque ornati fuerunt,ſint hæ res de quibus diſputant,in alijs quibuſdam ſtudijs, oratio quidem ipſa propria eſt huius vnius rationis, de qua loquimur & quærimus.

Hoc enim eſt proprium oratoris,quod ſæpe iam dixi, oratio grauis & ornata , & hominum ſenſibus ac mentibus accommodata . Quibus de rebus Ariſtotelem & Theophraſtum ſcripſiſſe fateor . Sed vide ne hoc Scæuola totum ſit à me. Concedit illis viris eloquentiæ ſpeciem quandam ab oratoribus petitã,nõ tamen eos dicere,ſed ornatè loqui,nõ orare,ſed ſermocinari exiſtimat.Theophraſtus a diuinitate loquẽdi nomen inuenit, Laertius τοῦτον τύρταμον λεγόμενον,θεόφραστον διὰ τὸ τῆς φράσεως θεσπέσιον ἀριστοτέλης μετωνόμασεν . Eum cui Tyrtamus nomen eſſet ab elocutione diuina,Ariſtoteles Theophraſtum nominauit.θεός deus, φράζω loquor. Ariſtoteles Iſocratem ipſum , id eſt tum facundia præcellentem laceſſiuit.Quintilianus primo capite tertij libri , Iſocratis præſtantiſſimi diſcipuli fuerunt in omni ſtudiorum genere,eóque iam ſeniore, octauum enim & nonageſimum impleuit annũ, pomeridianis ſcholis Ariſtoteles præcipere artem oratoriam cœpit , noto quidẽ illo,vt tradit,verſu ex Philotecta frequenter vſus, αἰσχρὸν σιωπᾶν μὲν καὶ ἰσοκράτην ἐᾶν λέγειν . Turpe eſt tacere, & Iſocratem pati dicere. Cicero Tuſculana prima , Ariſtoteles vir ſummo ingenio , ſumma ſcientiæ copia, quum motus eſſet Iſocratis rhetoris gloria,dicere etiam cœpit,adoleſcentes docere,& prudentiam cum eloquentia iungere. Xenophontis voce muſas, quaſi locutas ferunt. Laertius ἐκαλεῖτο δὲ καὶ ἀττικὴ μοῦσα γλυκύτητι τῆς ἑρμηνείας.Xenophon attica muſa vocabatᷣ à ſuauitate & facilitate dicendi.Quintil . Quid ego commemorem Xenophontis illam iucunditatem inaffectatam,ſed quã nulla affectatio conſequi poſſit? vt ipſe ſermonem gratiæ finxiſſe videantur.Et quod de Pericle,veteris comœdiæ teſtimoniũ eſt,in hunc transferri iuſtiſſimè poſſit,In labris eius ſediſſe quãdam perſuadendi deam. Longè omnium quicunque ſcripſerunt,aut locuti ſunt,id eſt vi tum ſcripto. tum ſermone non ſcripto extitit & excelluit grauitate princeps Plato.Quid Platoni Cicero tribuat,multis in locis teſtatur,nec res erit obſcura legentibus Platonem,cur tanti fecerit eum Cicero , quanquam ſatis eſt ad maximã laudem,illum plus omnibus placuiſſe Ciceroni.Hinc eum Quintilianus extollit:Philoſophorum , inquit , ex quibus plurimum ſe traxiſſe eloquentiæ M.Tullius confitetur,quis dubitet Platonem eſſe præcipuum? ſiue acumine diſſerendi , ſiue eloquendi facultate diuina quadam & homerica? multum enim ſupra proſam orationem,& quam pedeſtrem Græci vocant,ſurgit,vt mihi nõ hominis ingenio, ſed quodã delphico videatur oraculo inſtinctus.

27 Tamen horum oratio neque neruos, neque aculeos oratorios,ac forenſes habet.Loquuntur cũ doctis, quorum ſedare animos malunt,quàm incitare:ſiquidem de rebus placatis, ac minimè turbulentis docẽdi cauſa, nõ

capiendi loquuntur: vt in eo ipſo quòd delectationem aliquam dicēdo aucupentur, plus nonnullis, quàm neceſſe ſit, facere videantur. Ergo ab hoc genere non difficile eſt hanc eloquentiam, de qua nunc agitur, ſecernere. Mollis eſt enim oratio philoſophorū, & vmbratilis, nec ſentētiis, nec verbis inſtructa popularibus, nec iuncta numeris, ſed ſoluta liberius, nihil iratum habet, nihil inuidum, nihil atrox, nihil mirabile, nihil aſtutū, caſta, verecūda, virgo incorrupta quodammodo. itaque ſermo potius quàm oratio dicitur. Quanquam enim omnis locutio oratio eſt, tamen vnius oratoris locutio hoc proprio ſignata nomine eſt.

Vt ſeiungatur orator à philoſophorum eloquētia, à ſophiſtarum, ab hiſtoricorum, à poëtarum, quibuſdam proprietatibus oſtēdit, vt explicet tandem qualis futur⁹ ſit. Philoſophorum oratio, neque neruos, neque aculeos oratorios ac forenſes habet, neque enim colluctatur aduerſario, neque neruorum firmitate cōtendit, neque aculeis pungit, & inſtimulat obſiſtentem. Hoc eſt non munit omnia crebris enthymematis, appendicibus & negociis rerum quæ circunſtantiæ vocantur, affectibus, amplificationibus, aliiſq; munimentis, quibus vt propugnaculis belli temporibus, oppidani muros, ſic Orator ſuā firmat cauſſam. Sunt oratorii nerui probationes, aculei, contentiones, affectus & amplificationes. Ariſtoteles probationem tanquam corpus orationis & robur conſtituit: αἱ γὰρ πίστεις ἔντεχνόν ἐστι μόνον, τὰ δ' ἄλλα προσθῆκαι, οἱ δὲ περὶ μὲν ἐνθυμημάτων οὐδὲν λέγουσιν ὅπερ ἐστὶ σῶμα τῆς πίστεως. Solæ probationes artificiales ſunt. Reliqua quaſi acceſſio quædam eſt. Iſti verò de enthymematis nihil loquuntur, quod corpus eſt probationis. Vtuntur philoſophi probatione & ſyllogiſmo quaſi neruo, ſed is mollior eſt & laxior, & quietior, nulliſque rebus adiunctis munitus atque firmatus, vt ſententiis popularibus, vt affectu, vt atrocitate, vt numero. Non adducentur artis eius profeſſores, vt id verum putent niſi planum fiat exemplo. Proferamus igitur hoc Ciceronis argumētum in T. Roſcium. Quid ſi accedit eodem vt tenuis antea fueris? quid ſi vt auarus? quid ſi vt audax? quid ſi vt illi⁹ qui occiſus eſt inimiciſſimus? Num quærenda cauſſa quæ te ad tantum facinus adduxerit? Quid ergo horum negari poteſt? Tenuitas hominis eiuſmodi eſt, vt diſſimulari non queat, atq; eo magis eluceat, quo magis occulta-

nur. Auaritiam præfers, qui ſocietatem coieris de municipis cognatiq; fortunis cum alieniſſimo q̃ ſis audax(vt alia obliuiſcar) Hinc omnes intelligere potuerunt, quòd ex tota ſocietate, hoc eſt ex tot ſicarijs, ſolus tu inuentus es, qui cum accuſatoribus ſederes, atq; os tuum non modo oſtēderes, ſed etiam offerres . inimicitias tibi fuiſſe cum Sexto Roſcio, & magnas rei familiaris controuerſias, cōcedas neceſſe eſt. Reſtat Iudices vt hoc dubitemus, vter potius Sextum Roſcium occiderit, is ad quem morte eius diuitiæ venerint, an is ad quē mēdicitas? Is qui antea tenuis fuerit, an is qui poſtea factus ſit egentiſſimus? Is qui ardēs auaritia feratur infeſtus in ſuos, an is qui ſemper ita vixerit, vt quæſtum noſſet nullum, fructum autem eum ſolum quem labore peperiſſet? Is qui omnium ſectorum audaciſſimus ſit, an is qui propter fori iudiciorúmq; inſolentiam, nō modo ſubſellia, verùm etiam vrbem ipſam reformidat? Poſtremò Iudices, id quod ad rem, mea ſententia maximè pertinet, vtrum inimicus potius an filius? Hoc neruoſum atque robuſtum argumentandi genus, & aculeatum. Nam pugnat acriter & ſtimulat aduerſarium. hic Philoſophus argumentetur, in quo plures cauſſæ fuerunt, in eo veriſimilius eſt crimen. In Tito Roſcio plures cauſſæ fuerunt, vt tenuitas, quam vident omnes: vt auaritia, qua propinquum perſequitur: vt audacia, qua adductus ſedet in ſubſellijs: vt inimicitiæ cum Sexto Roſcio notæ: iſtorum nihil eſt in Sexto Roſcio. Ergo cędes in Tito quàm in Sexto veriſimilior eſt. Hic neru* mollior eſt & minores impetus habet. Id autem à rerum varietate comparatum eſt. Nam philoſophi loquuntur cum doctis, quorum ſedare animos malunt quàm incitare, quo melius eos docere poſſint. Orator agit etiā apud indoctos, quorum vult animos commouere, vt litigatorem ſeruare poſſit. Illi de rebus placatis, id eſt minimè turbulentis, vt de natura atq; virtute, docendi cauſſa non capiendi & fallendi loquūtur, iccirco ſimpliciter argumētantur: Hic de rebus agit turbulentis, ſæpe nō tam docendi cauſſa q̃ mouēdi atq; capiēdi: ea de re verſat omnē lapidē, ne quid intentatū relinquat: Illi nō opus aucupari delectationem, ſed veritatem: Huic tria incumbunt officia, vt doceat, moueat, & delectet: Mollis eſt oratio Philoſophorū: Neruoſa atque robuſta Oratorū bonorū: Vmbratilis illa eſt, ocio marcida, & cōtenta priuato: Hæc in luce hominū, & in publico verſat. Cedat igit(vt ait pro Murena) ſtylus gladio, vmbra ſoli: Illa nec ſentētijs, nec verbis inſtructa popularibus, ſed abditis doctiſq; ſententijs conſtat, verbis autē vulgò inauditis, nec elegātibus veſtitur: Hęc ſententias aptat populo: quúmq; dicit eadē quæ Philoſophus, multò facilius, dilucidiúſq; dicit, verba de medio ſumit nota omnibus, fortia tamen & grauia, vt & intelligātur & impellant: Illa caret numeris, & ſoluta liberius, vt puella incompta fertur: Hęc comptę puellæ ſimilis, rebus aptat numeros, vt facilius animos afficere poſſit: Illa nihil iratū habet, id eſt quod iram cōcitet audienti: Nihil inuidū, quod inuidiā moueat: nihil atrox, quod exaggeret facinus: nihil mirabile, quod audiēti afferat ſtuporem: nihil aſtutū, quod capiat fallátq; diſceptatorē, ſed eſt caſta ſine populariū opinio-

num corruptela,cuſtos veritatis illius naturalis,virgo incorrupta quodãmodo,ſimplex oratio,integerrima,virtutis indagatrix.Intellige orationẽ Platonis,Xenophontis,Theophraſti & optimorum , non iſtorum qui ſe vocant Philoſophos,quum ſint tamen infantiſſimi.Oratio eloquentis inuidet , atrociter adauget,admirationes inducit, nolentem trahit , ſe commiſcet populari contagione vt ad ſanitatem reducat,audax irrumpit, & tanquam virago & amazonum fortiſſima aditum rumpit , quæritque victoriam . Ergo qui conſueuerunt vmbratiles agitare diſputationes , ſi veniant in publicum , vbi magnis de rebus oratio dicenda eſt,noctuarum more caligant,ac peroſi lucem vitæ genus vmbroſum pręferunt.Pauci feliciores ex Philoſophis,Oratores facti fruſtra ſuadent iſtis quærulis bubonibus,quàm difficile ſit in publico benè verſari.Hinc fit vt Oratores boni fuerint pauci , Philoſophi permulti.Hinc fit vt mille in ſcholis garriant,pauci admodum populum dicendo cum admiratione teneant.Hinc fit vt plerique ex aratro curſu incitato ſe profiteãtur Philoſophos , doctiſſimi viri vix tandem admittantur in cancellos.Itaque Philoſophorum ſermo potius quàm oratio dicetur . Sermo quidem omnium eſt, oratio paucorum . ab orando autem dicendóque nomen eſt Oratoris,eiúſque locutio propriè dicitur oratio.

Sophiſtarum , de quibus ſupra dixi magis , diſtin- 28
guenda ſimilitudo videtur, qui omnes eoſdem volunt flores,quos adhibet Orator in cauſis, perſequi . Sed hoc differunt,quòd cum ſit is propoſitum non perturbare animos, ſed placare potius , nec tam perſuadere,quàm delectare: & apertius id faciunt quàm nos, & crebrius, concinnas magis ſententias exquirunt , quàm probabiles: à re ſæpe diſcedunt, intexunt fabulas,verba apertius tranſferunt , eáque ita diſponunt , vt pictores varietatem colorum:paria paribus referunt, aduerſa contrariis, ſæpiſſiméque ſimiliter extrema definiunt.

A Sophiſta diſtinguit Oratorem. Sophiſtas appellatos eſſe philoſophiæ & eloquentiæ profeſſores diximus,vt Protagoram,Thraſymachum, Gorgiam , Iſocratem , quorum plérique ocio freti ſcripſerunt orationes , eáſque floribus & ornamentis omnibus reſperſerunt. Hoc vnum illis deeſſe putes,ꝙ domi ſcriptæ non habitæ ſint in conuentu. Quamobrẽ comparan-

tur militum tyrocinio, qui in campo exercitati nunquam conſeruerunt prælio manum Hoc igitur ab Oratore Sophiſta differt, quod veteranus miles à tyrone. Sophiſtarum, inquit, magis quam Philoſophorum diſtinguenda ſimilitudo videtur, quia perſequuntur & collectos intexunt omnes flores, hoc eſt dicendi figuras, quibus in cauſſis vtitur Orator. Ea ſunt ornamenta figurarum, tum διανοίας, tum λέξεως, adiunctis etiam numerorum modis. Sed hoc differunt, ꝙ apertius oſtentãt orandi voluptates, vt allegorias, vt paria relata, vt contraria, vt ſimiliter deſinentia, vt ſuaues numeros, vt concinnas ſententias, vt egreſſiones plauſibiles, vt iucundiores fabulas, quibus omnib⁹ Orator in conſilijs, & iudicijs parci⁹ & rari⁹ vtet. Huic enim ſæpe propoſitum eſt perturbare animos, non voluptate mulcere: perſuadere non delectare: vt in accuſationibus, in querimonijs, in amplificationibus, in omni cauſſa graui, in inſtanti periculo. Quibus in rebus ſi comptius ornet orationem, non intempeſtiuè dicetur illud Perſianum. Fur es, ait Pedio: Pedius, quid? Crimina raſis librat in antithetis, doctas poſuiſſe figuras laudatur. Parcius ergo interponet delicias orationis, quibus frequenter & apertè vtuntur ſophiſtæ ac poëtæ, quoniam vtriſque propoſitum eſt placare animos atque delectare. Poëtæ quidem concinnas magis aptant ſententias quã probabiles, vt Vergil. multas de Eliſa & rebus inferorum. De re ſæpe diſcedunt ad aliquod genus deſcriptionis, aut perſonarum, aut rerum, aut loci, aut temporis. Intexunt fabulas & admirationes: verba apertius transferunte vt, Luctantur marmore tonſæ. Verba collocant, vt pictor colores, vt Vergilius in alijs multis, & in his verſibus:

Reſtitit Aeneas claráque in luce refulſit
Os humeroſque deo ſimilis, Nanque ipſa decoram
Cæſariem nato genitrix, luménque iuuentæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.
Quale manus addunt ebori decus, aut vbi flauo,
Argentum, pariúſve lapis circundatur auro.

Paria paribus referunt, vt omnes Heroici verſus ſunt quantitate pares, & in illis paria ſępe membra, vt,

Hic Dolopum man⁹, hic ſæuus tẽdebat Achilles.
Claſſibus hic locus, hic acies certare ſolebant.

Contraria opponunt, vt,

Ingentes animos paruo ſub pectore verſant.

Similer extrema definiunt,

O nimium cælo & pelago confiſe ſereno
Nudus, & ignota palinure iacebis arena.

Talem propè ſuauitatem quærunt ſophiſtæ. Concinnas magis ſententias exquirunt quàm probabiles, vt hanc Plinius in Panegyrico, Corrupta eſt diſciplina caſtrorum, vt tu corrector, emendatórque contingeres. Inductum peſſimum exemplum, vt optimum opponeretur. Poſtremò coactus prin-

ceps, quos nolebat occidere, vt daret principem, qui cogi non poſſet. A re ſæpe diſcedunt, intexũt fabulas, vt Iſocrates in encomio Helenæ facit, repetens res à Theſeo geſtas, ac miſcens admirationes fabularũ. exẽpla longiora ſunt, quàm quæ ſuis verbis exponi debeant. Verba apertius transferunt, vt Plinius, Reſiſtimus, vt in communi domo, quam nuper immaniſſima bellua plurimo terrore munierat, quum velut quodam ſpecu incluſa, nũc propinquorum ſanguinem lamberet, nunc ſe ad clariſſimorum ciuium ſtrages cædéſque proferret. Obuerſabantur foribus horror & minæ, & par metus admiſſis & excluſis. De ſuaui compoſitione, de paribus relatis, de contrarijs de ſimiliter definitis. hoc eiuſdem vnum ſit exemplum. Non enim periculum eſt ne quum loquar de humanitate exprobari ſibi ſuperbiam credat, & quum de frugalitate luxuriam, quum de clementia crudelitatem, quum de liberalitate auaritiam, quum de benigitate liuorem, quum de continentia libidinem, quum de labore inertiam, quum de fortitudine timorem.

Huic generi hiſtoria finitima eſt, in qua & narratur ornatè, & regio ſæpe, aut pugna deſcribitur: interponuntur etiam conciones, & hortationes. ſed in his tracta quædam, & fluens expetitur, non hæc contorta & acris oratio. Ab his non multo ſecus, quàm à poëtis hæc eloquentia, quam quærimus, ſeuocanda eſt. 29

Hiſtoricus & Orator communiter vtuntur narratione, deſcriptione rerum atque perſonarum, concionibus exhortationibúſque, vt Cicero ſæpe narrat, ſępe deſcribit aut perſonam, vt Piſonis: aut rem, vt Antonij luxuriam. Conciones habet in Seruilium Rullum. Exhortatur P. Romanum in Antonium. Hæc illi & hiſtoriographo communia ſunt. Cæterum in tractatione & figura dicendi non conuenit ei cum memoriarum ſcriptoribus. Etenim Cicero & Oratores boni, quo moueant animos, affectus interijciunt, ad hoc ſumunt amplificationem, acerbum & graue dicendi genus, quod contorqueant more fulminis, vt animum feriat acris & vehemens oratio. Hiſtoricus autem non tam mouere lectorem quàm docere contendit. Trahit igitur & tanquam flumen in longum deducit orationem, vt fluat ęquabiliter, & perpetuo quaſi filo decurrat ad finem. Non remoratur curſum, non exilit, non exclamat, non atteſtatur, non interpellat, non acriter exauget, non impetu frangit obſiſtentem. Res geſtas expoſuiſſe contentus, ęquabili penè fluxu ad finem vſque prouoluitur. In concionibus, vt magiſtratus ad populum: In exhortationibus, vt imperatoris ad milites aſſurgit, & agit Oratorem: ſed tum ferè ſummas capitaque rerum colligit, non inſiſtit in re-

bus explicandis,& in ocio ſcriptitans, vel nihil, vel parum mouetur atrocitate rerum. Quibus de cauſſis multò remiſſius ſcribit, quàm qui agitatus eſt & inflammatus acerrima pugna forenſi. In hiſtorijs igitur, tracta quædam, id eſt, ſummiſſè deducta, & fluens, ſimilis aquæ per læuia currenti, expetitur, non hæc qua vtuntur Oratores, contorta, huc illuc impetu iacta & acris ac vrgens oratio. Id ſi bonum videtur, illuſtremus exemplo. Factum Verris i Gauium Coſſanum Cicero narrat actione ſeptima. Ipſe inflammatus ſcelere & furore, in forum venit. ardebant oculi: toto ex ore crudelitas emanabat: expectabant omnes quo tandem progreſſurus, aut quidnam acturus eſſet: quum repente hominem proripi atque in foro medio nudari, ac deligari, & virgas expediri iubet. clamabat ille miſer, ſe ciuẽ eſſe Romanum, Municipem Coſſanum, meruiſſe ſe cum L. Precio ſplẽdidiſſimo equite Romano, qui Panormi negociaretur, ex quo hæc Verres ſcire poſſet. tum iſte ſe comperiſſe ait eum ſpeculandi cauſſa in Siciliam ab ducibus fugitiuorum eſſe miſſum: cuius rei neque index, neque veſtigium aliquod, neque ſuſpitio cuiquam eſſet vlla. deinde iubet vndique hominem proripi, vehementiſſiméque verberari. Cædebatur virgis in medio foro Meſſanæ, ciuis Romanus Iudices, quum interea nullus gemitus, nulla vox alia iſtius miſeri inter dolorem crepitúmque plagarum audiebatur, niſi hæc, Ciuis Romanus ſum. hac ſe commemoratione Ciuitatis, omnia verbera depulſurũm, cruciatúmque à corpore deiecturum arbitrabatur. O nomen dulce libertatis: O ius eximium noſtræ ciuitatis: O lex Portia legéſque Semproniæ, & quæ ſequuntur. Hæc oratoria narratio eſt ſummis affectibus concitata. Hiſtoricus aliter narret, Verres iu forum venit, hominem proripi & verberari iubet. oſtendit ille ſe ciuem eſſe Romanum, Municipem Coſſanum, meruiſſe ſe cũ L. Precio, Verres ſe comperiſſe ait eum ſpeculandi cauſſa in Siciliã ab ducibus fugitiuorum eſſe miſſum: ea de cauſſa cæſus eſt in foro Meſſanæ, nec in eo leges Portiæ & Semproniæ ſeruatæ. Hoc narrandi genus hiſtoricum nullis ardet affectuum incendijs, ſed vtitur ſimplici rerum expoſitione, niſi ꝙ interim ſuam pronunciat de re ſententiam. Hic Ciceronem cum Saluſtio conferre poſſis de Catilinæ coniuratione. Dicet quiſpiam, Antonius ſecundo de Oratore quum interrogaſſet, qualis Oratoris, & quanti hominis in dicendo eſſet hiſtoriam ſcribere? Reſpondit Catullus eſſe ſummi. quid igitur ſummus Orator ab Oratore ſummo differet? Dicimus opus eſſe Oratore ſummo, id eſt, eo qui vnum illud genus optimè tractet, nõ eo qui omnibus in rebus ſummus eſt, atque perfectus. Etenim hiſtoria ferè ſui ſimilis eſt, nec tam variat genera dicendi quàm eloquentia forenſis. Itaque paulò poſt Antonius, Verborũ, inquit, ratio & genus orationis fuſum atque tractum, & cum lenitate quadam æquabili profluens, ſine hac iudiciali aſperitate, & ſine ſententiarum forenſium aculeis proſequendum eſt. Hoc quoque in dubium venire poteſt, Cur arbitretur ab hiſtoricis non multò ſecus quàm à Poëtis eloquentiam perfectam ſeuocandam eſſe? Hanc eſſe cauſſam duco,

ꝙ Poëtæ

quód Poëtæ narrant ſicut Hiſtorici,regiones pugnáſque deſcribũt , conciones interponũt & exhortationes, adeóque interdum ſimiles ſunt,vt Hiſtoriographi eſſe videantur.Quid enim Lucanus ab Hiſtorico differt? niſi poëtico numero? Homerus in multis hiſtoriam meram perſequitur. Liberius tamen intexit fabulas , liberius egreditur , liberius in eadem re commoratur, quod etiam factitant Græculi mendaces in hiſtoria.

Nam etiam poetæ quæſtionem attulerunt,quidnam 30. eſſet illud , quo ipſi differrent ab oratoribus . numero maximè videbatur antea,& verſu : nunc apud oratores iam ipſe numerus increbuit.Quicquid eſt enim, quod ſub aurium menſuram aliquam cadit , etiam ſi abeſt à verſu (nam id quidem orationis eſt vitiũ) numerus vocatur,qui Græcè ῥυθμὸς dicitur . Itaque video viſum eſſe nonnullis,Platonis,& Democriti locutionem,etſi abſit à verſu,tamen quòd incitatius feratur,& clariſſimis verborum luminibus vtatur , potius poëma putandum, q̃ comicorum poëtarum, apud quos , niſi quòd verſiculi ſunt,nihil eſt aliud quotidiani diſſimile ſermonis . nec tamen id eſt poëtæ maximum , etſi eſt eo laudabilior, quod virtutes oratoris perſequitur , cum verſu ſit aſtrictior.Ego autem etiam ſi quorundam grandis,& ornata vox eſt poëtarum:tamen in ea cum licentiam ſtatuo maiorem eſſe,quàm in nobis,faciendorum, iungendorúmque verborum:tum etiam nonnullorum voluptati vocibus magis,quàm rebus inſeruiũt . Nec verò ſiquid eſt vnum inter eos ſimile (id autem eſt iudicium , electióque verborum) propterea cæterarum rerum diſſimilitudo intelligi non poteſt.ſed id nec dubium eſt,& ſiquid habet quæſtionis , hoc tamen ipſum ad id quod

propoſitum eſt, non eſt neceſſarium. Seiunctus igitur orator à philoſophorum eloquentia, à ſophiſtarum, ab hiſtoricorum, à poëtarum, explicandus eſt nobis qualis futurus ſit.

Multa ſunt poëtarum & oratorum communia. vtriꝗ nullam non intentant quæſtionem. vtriꝗ docere, mouere, delectare volunt. vtriꝗ ferè diſſerunt ex communi hominum opinione. vtrique relicta philoſophorũ nimia ſubtilitate, pleniorem magiſque popularem dicendi rationẽ obſeruant. vtriꝗ à propria cauſſa ad theſin locóſꝗ cõmunes egreſſi, longè latéꝗ ſpatiantur. vtriꝗ admirationes inducunt, & amplificationes, & inopinatos exitus. vtriꝗ ſelectis verbis cõpoſitis numeróꝗ comprehenſis vtuntur. Quas ob res tam pauci reperti ſunt boni poëtæ, ꝙ oratores ſummi atꝗ perfecti: & vulgo dictũ eſt naſci poëtas. Et hoc illi de ſe affirmare ſunt auſi: Eſt deus in nobis, agitante caleſcimus illo. Itaꝗ nõ immeritò quæſtionem attulerunt, id eſt vt dubitaremus effecerunt, quidnam eſſet illud quo ipſi differrent ab Oratoribus. Numero maximè videbantur antea & verſu, tunc quum Homerus, Heſiodus, Euripides, aliíꝗ veteres ſcripſerunt ante tempora Thraſymachi & Iſocratis, qui primi numeros inuenerunt. Ex illo apud Oratores ipſe numerus increbuit: vt autem cætera, ſic etiã numerus poëticus ab oratorio differt. In illo certi atꝗ numerati pedes, vt ſex partim dactyli, partim ſpondei numerantur in hexametro verſu. In hoc pedes quidem ſunt, ſed neꝗ certi neꝗ numerati. In illo certa ſpatia, certi ordines, certiꝗ fines, vt in hexametris ſpatia ſunt temporũ quatuor, ordo eſt vt primę quatuor ſedes, dactylo ſpondeòve ſtatuantur, quinta dactyli, ſexta ſpondei propria ſit. Finẽ modúmꝗ facit pes omnis ſextus. Oratorio numero, neꝗ certa ſpatia, neꝗ certi ordines, neque certi fines, ſed ad aurium mẽſurã, longis & breuibus ad finem vſꝗ decurrit. Suauis & iucundus eſt numerus in hac Ciceroniana ſententia, Nihil habes Cæſar, nec fortuna tua maius, ꝙ vt poſſis, nec natura melius, ꝙ vt velis ſeruare ꝙplurimos. Hanc quum Cicero modularetur, neque numerabat pedes, neꝗ certa ſpatia metiebatur, neꝗ pedes ordine præfinito collocabat, neque metam conſtituebat, quã prætergredi religioſum eſſet. Quid igitur? longas & breues temperauit, ne quid aut tardius, aut celerius, aut aſperius, aut inæqualitate ſalebroſum foret: nec ante curſum terminauit, ꝙ ſubſiſtẽdum aures exercitatæ iudicaſſent. Hanc differentiã Quintilianus oſtẽdit in nono. Cicero numeroſum putat omne quod ſub auriũ menſuram aliquã cadit, hoc eſt omne quod aptè cadit auremꝗ delectat, finita ſpatiorũ cõprehenſione. Metiuntur aures & nimium curta, & reddundantia, & iuſto modulo terminata. Curtiora & redundantia repudiant, temperata & apto modificata numero cenſent. Is numerus orationis eſt vitium, ſi cadit in verſum metrúmꝗ,

cuiuſmodi iſtuc eſt Ciceronis in Rullum, Is excipitur vnus, ne manubias referre debeat: Iambicus eſt octonarius, qui nolentibus frequenter excidit, In curſu maximè, & in ardore dicendi, quoniã ferè ex iambis noſtra cõſtat oratio. Cautius euitandi ſunt heroici, & elegi verſus. deinde hendecaſyllabi, vt ſapphici, vt phaleucij. vitandi quoque aſclepiadei, vt ſubſultantes, vt Quid, tu verberibus me miſerũ enecas? De verſibus infra Cicero. Incidere verò numeros omneis in orationem, etiam ex hoc intelligi poteſt, ꝙ verſus ſæpe in oratione per imprudentiã dicimus, quod vehementer eſt vitioſum, ſed non attendimus, neq; exaudimus noſmetipſos. Senarios verò & hipponacteos effugere vix poſſumus. Magnã enim partem ex iambis noſtra conſtat oratio, Sed tamen eos verſus facilè agnoſcit auditor. ſunt enim vſitatiſſimi. Inculcamus autẽ per imprudentiã ſæpe etiã minus vſitatos, ſed tamen verſus, vitioſum genus, & longa animi prouiſione fugiendũ. Cur autem id vitioſum eſt? an ꝙ indicat dicentis imprudentiã? an verò quia fœdum eſt, orationem quæ fluere debet, verſiculorũ frænis illigare? an potius, quia turpe eſt oratorem non potuiſſe ſuũ obire munus, quum vſurparet alienũ? Numerus à Græcis dicit ῥυθμός quod eſt τάξις ἐμμελὴς ἀκολούθου ἁρμονίας, μέλος εὔφωνον. Ordo conſonans, ad harmoniæ conſecutionẽ ſuauis & arguta modulatio. Heſychius ῥυθμός, κανών, μέτρον, μέλος εὔφωνον, ἀκολουθία, τάξις, σύγκρισις Rythmus, regula, menſura, modulus in voce concors, conſecutio, ordo, cõparatio. Rythmus autẽ ſicut & numerus nõ in oratione modo nominatur, ſed etiam in pedibus, manibus, ac toto corpore conſentiens, & concors cum iucunditate motus. Quædã oratio numeri magnitudine, poëma videri poteſt, vt Platonis ampliſſimi philoſophi, & Democriti phyſici locutio, quæ quaſi vibratis numeris incitatius, ac vehementius fertur, & clariſſimis verborum luminibus, id eſt præclaris figuris vtitur, eorũ oratio potius poëma putandũ q̃ Comicorũ poëtarum, Si poëma numeroſum quiddã grande, ornatum, ſonorũ dicimus. Nam Comicorũ verſiculi ſunt iambici & trochaici, minuti, leues, ſummiſſi, cottidiani, nulla modulationũ plena ſymmetria cõcitati. Grandior & conſonantior Platonis oratio, non igitur opus eſt poëtæ maximũ certos aptare numeros, ſed virtutes Oratoris perſequi, quum verſu ſit aſtrictior, minúſq; liberè pedibus feratur. Si quis(quod facilè eſt)experiri volet, Platonis & Ariſtophanis ſentẽtias aliquot, aut Ciceronis & Terentij cantet, vt quaſi tibiarum maiorum minorúmq; ſonitũ variantem dijudicet. Sicut autem numero differunt Oratores & Poetę, ſic etiam differunt licentia verborum. Etenim quanquam quorundam, vt heroicorum grandis & ornata vox eſt poëtarũ, quæ ſonitu cum oratione numeroſa certare poſſit, tamen in ea licentia maior eſt faciendorũ iungendorúmq; verborum. Verba deriuatione fiunt, vt indigenitalis, incurueſcere. Compoſitione iungũtur, vt expectorare, verſutiloquus. Tum etiam nonnullorum voluptati, vt ocioſorum vocibus magis q̃ rebus & ſententijs inſeruiũt, vt quum fabularum vanitate remorantur auditorem. Vnum inter eos ſimile eſt iudicium, electióq;

verborum,quód vtrique,vt ante diximus, electis verbis, compoſitis, modificatis, numeróque comprehenſis vtuntur: Quod accipe dictum de elocutione, Alioqui multa ſunt inter eos ſimilia,multáq; diſſimilia,tum in inuentione,tum in collocatione.Sed id nihil habet quæſtionis,id eſt controuerſiæ, & ſi quid habet, ad id quod propoſitum eſt non eſt neceſſarium.Quoniam de elocutione non de inuentione & diſpoſitione propoſita,quæſtio eſt.

31 Erit igitur eloquens (hunc enim authore Antonio quærimus)is qui in foro,cauſiſque ciuilibus ita dicet,vt probet,vt delectet,vt flectat.probare neceſſitatis eſt,delectare ſuauitatis, flectere victoriæ. nam id vnum ex omnibus ad obtinendas cauſas poteſt plurimum. Sed quot officia oratoris,tot ſunt genera dicendi. Subtile in probando, modicum in delectando, vehemens in flectendo:in quo vno vis omnis oratoris eſt.

Tria ſunt quæ præſtare debet Orator,vt probet, vt moueat, vt delectet. Probare neceſſitatis eſt, quia nulla controuerſia ſine probatione dirimi poteſt: vt dirimatur,exponenda res eſt, & ratione firmanda. Id Quintilianus oſtendit in præfatione libri quinti,Delectare ſuauitatis eſt. Nam facetijs & vrbanitate delectamus, vt ſuaues eſſe poſſimus. Flectere, id eſt affectu mouere,victoriæ eſt & perſuaſionis. Id vnum ex tribus ad obtinendas cauſſas, id eſt vincendas plurimum valet.Neque enim populus,neque ſemidocti viri argumentis tam mouentur quàm concitatis affectibus. Experimur in reorum ſupplicio animum noſtrum commoueri, & morbo quodam affici, ac protinus obliuiſci maleficiorum,tum rapi quo nolimus, vnóque verbo miſerabili concitari vehementius quàm graui & copioſa argumentorum probatione.Tragœdiarum lachrymæ fictæ,quanto plus animũ mouent, quàm argumentoſa philoſophorum ratio? In hoc igitur vis omnis oratoris eſt.Id Quintilianus in ſexto fuſius exponit.Cætera,forſitan tenuis quoque & anguſta ingenij vena,ſi modo vel doctrina,vel vſu ſit adiuta, generare atque ad frugem aliquam perducere queat.Certè ſunt, ſempérque fuerũt non parum multi qui ſatis peritè, quæ eſſent probationibus vtilia reperirent, quos equidem non contemno, ſed hactenus vtiles credo, ne quid per eos iudici ſit ignotum. atque (vt dicam quod ſentio) dignos à quibus cauſſis diſerti docerentur. Qui verò iudicem rapere, & in quem vellet habitum animi poſſet perducere, quo dicto flendum & iraſcendum eſſet, rarius fuit, atque hoc eſt quod dominatur in iudicijs. Multa ſunt ſuper eadem re apud

eundem. Quod ſi pluris argumēta ſunt in ſchola doctiſſimorum, non tamen falſum quod Cicero de oratione ciuili præcipit. Alia ratio eſt ſcholarũ, alia cauſarũ ciuilium, vt ſenatus, vt fori, vt concionis. Erit igitur eloquēs is qui in foro, id eſt, in iudiciali cõtrouerſia cauſſiſq; ciuilib⁹, vt in cõſilio & concione. illa tria præſtabit. Orator enim etiãſi quęſtiones omneis vt cõmunem materiam tractare poteſt, tamen in ciuili quæſtione ſępius verſatur, & hæc illius propria poſſeſſio eſt. Tribus officijs Oratoris aptanda ſunt toidē genera dicendi, Subtile probãdo, quoniam diligens expoſitio rerũ & argumentatio ſæpe captat etiã minuta & ſubtilia, ne quid vtile cauſſæ relinquat, uéve grauia tranctando minus intelligatur. Modicũ, id eſt, temperatũ delectando, vt quũ laudes optimi cuiuſq; narram⁹, aut in cõmunibus locis fuſę latéq; ſpatiamur. Vehemens & graue flectendo, vt in amplificationibus omniq; contentione grauioris affectus. Hæc genera, qui locis aptè & decenter accommodat, is eſt eloquens. Qui vnum perpetuò terit, id ſi probè facit, is eſt diſertus non eloquens.

Magni igitur iudicii, ſummæ etiam facultatis eſſe 32
debebit moderator ille, & quaſi temperator huius tripartitæ varietatis. Nam & iudicabit quid cuíque opus ſit: & poterit, quocunque modo poſtulabit cauſa, dicere. Sed eſt eloquentiæ, ſicut reliquarum rerum, fundamentum ſapientia. Vt enim in vita, ſic in oratione nihil eſt difficilius, quàm quid deceat videre. πρέπον appellant hoc Græci, nos dicamus ſane decorum, de quo præclarè, multa præcipiuntur, & res eſt cognitione digniſſima. Huius ignoratione non modo in vita, ſed ſæpiſſime & in poëmatis, & in oratione peccatur. Eſt autem quid deceat oratori videndum, non in ſententiis ſolum, ſed etiam in verbis. Non enim omnis fortuna, non omnis honos, non omnis authoritas, non omnis ætas, nec verò locus, aut tempus, aut auditor omnis, eodem aut verborum genere tractandus eſt, aut ſententiarum: ſempérque in omni parte orationis, vt vitæ, quid deceat, eſt conſiderandum:

quod & in re de qua agitur, poſitum eſt, & in perſonis & eorum qui dicunt,& eorum qui audiunt.Itaque hunc locum longè & latè patentem philoſophi ſolent in officiis tractare,non cum de recto ipſo diſputant: nā id quidem vnum eſt:gramatici in poetis,eloquentes in omni & genere, & parte cauſarum.

In omni loco vti omni genere dicendi non poſſumus. Stylus enim & character,fortunæ,ætati, honori,authoritati,loco,tempori, auditoribus & quæſtioni debet accommodari.Magni ergo iudicij, ſummæ etiam facultatis eſſe debet moderator ille, & quaſi temperator huius tripartitæ varietatis.Moderator, qui pro rerum modo componat orationem, humilia ſummiſſè, mediocria temperatè,magna grauiter dicat. Temperator, qui temperare aptéque miſcere nouerit hanc varietatem,qui & ipſe moderator eſt. Si fuerit iudicij magni,iudicabit quid cuique opus ſit,cuius rei nulla ars condi poteſt,quoniam generum atque formarum ſunt artes, non partium. Si fuerit ſummæ facultatis,poterit quocunq; modo poſtulabit cauſſa dicere, vt ſubtiliter de finibus regūdis,tēperatè de ornādisciuib⁹,atrociter de peculatu, & de cæteris cauſſis eodē modo.Eſt igitur eloquētię,ſicut reliquarum rerū, fundamentū ſapientia:quæ decorū perſpicit.Sapientiā vult accipi prudentiā magnā.Etſi ſapiētia σοφία,prudētia φρόνησις,non eadē eſt virt⁹.Hoc modo ſumit officiorū primo,vt quiſq; maximè perſpicit,quid in re quaq; veriſſimū ſit,quiq; acutiſſimè & celerrimè poteſt & videre & explorare rationem & prudētiſſimus & ſapientiſſim⁹ ritè haberi ſolet.Sapiētia vera nō fundamētū modo,ſed etiā faſtigiū eſt.Sūma prudentia,ſpeculationis & actionis eſt fundamentū:quamobrē prima virtutū cōſtituit, tanquā dux & gubernatrix cōſiliorum omnium.Itaque ſi condas orationem,ſtatuatur fundamētum prudentiæ ratio,qua ſublata,corruent omnia quæ conſtruxeris. Hac duce & in vita & in oratione videbis,quid deceat: πρέπον appellant hoc Græci, Nos Latini,quia melius non poſſumus,dicamus ſanè decorum.Illud eſt duplex, generale quoddam quod in omni honeſtate verſatur: Et aliud huic ſubiectū quod pertinet ad ſingulas partes honeſtatis. Hoc ita definitur, Decorū eſt quod ita naturæ conſentaneū eſt, vt in eo moderatio & tēperātia appareat cū ſpecie quadā liberali. Décorū natura mōſtrat,& honeſto ſic copulat, vt ab eo ſeperari nō poſſit.de quo pręclarè multa pręcipiūtur à Philoſophis in ethica diſciplina,& res eſt cognitiōe digniſſima Hui⁹ ignoratiōe,nō modo in vita peccat,vt ſi calamitoſus ſtipes emendicās proijcit ampullas & ſeſquipedalia verba.Sed ſæpiſſime & in poēmatis,vt quū Homerus Iunonē ab Ioue malè tractari fingit, & idē in medio pręlio lōga pugnātiū colloquia

tanquã ſecurã producit. Hic etiam in oratione peccat, nõ in ſentẽtijs ſolũ, ſed etiã ĩ verbis: vt ſi quis eſt glorioſus ſui iactator, & indigna ſe profundit. Decorũ diſtinguit aut fortuna, vt diuitiæ & paupertas: aut honos & magiſtratus: aut authoritas, vt vitæ dignitas: aut ætas, vt pueritia, iuuentus, ſenectus: aut locus, vt curia, forum, comitium: aut tempus, vt lætum, triſte, longum, breue: aut auditor, doctus, indoctus, grauis, leuis, conſtans, inſtabilis. Decorum tamen in tribus maximè conſiderandum eſt: In re de qua agitur: In perſonis & eorum qui dicunt, & eorum qui audiunt. Hæc Quintilianus exponit vndecimo libro. Nec tantum quis & pro quo, ſed etiam apud quẽ dicas intereſt. Facit enim fortuna diſcrimen & poteſtas, nec eadem apud Principem, Magiſtratum, Senatorem, priuatum tamẽ liberum ratio eſt. Nec eodem ſono publica iudicia, & arbitrorum diſceptationes aguntur. Nam vt orantem pro capite ſolicitudo deceat, & cura, & omnes ad amplificandam orationem quaſi machinę, ita & in paruis rebus iudicijſq; vana ſint eadem, Rideatúrque merito qui apud diſceptatorem de re leuiſſima ſedens, dicturus vtatur illa Ciceronis confeſſione, non modo ſe animo commoueri, ſed etiam corpore ipſo perhorreſcere. Quis veró neſciat, quin aliud dicendi genus poſcat grauitas ſenatoria? aliud aura popularis? quum etiam ſingulis iudicantibus, non idem apud graues viros, quod leuiores, non idem apud eruditum, quod militarem ac ruſticum deceat, Sitque nonnunquam ſummittenda & contrahenda oratio, ne iudex eam, vel intelligere, vel capere non poſſit. Tempus quoque ac locus egent obſeruatione propria. Nam & tempus tum lætum, tum triſte, tum liberum, tum anguſtum eſt. Atque ad hæc omnia componendus orator, & loco publico priuatóue, Celebri an ſecreto, aliena ciuitate, an tua, In caſtris dénique an foro dicas intereſt plurimum, ac ſuam quidque formam & proprium modum eloquentiæ poſcit. Quid moror? Perlege totum locum. Nam Fabius inſtitutionem profeſſus, non ſolum ſcientibus iſta, ſed etiam dicentibus tradidit, eáque præceptis amplexus eſt, quæ Cicero tantum notauerat. Hinc ait. Magnus eſt hic locus & magnum volumen aliud deſiderat. Perlege quoque quid aptum ſit tertio de Oratore. Itaque hunc locum longè latéque patentem, nempe in omnibus honeſti partibus Philoſophi ſolent in officijs & in ethica diſciplina tractare, non quum de recto ipſo diſputant, Nam id quidem vnũ eſt, Quoniã rectum eſt officium perfectum, perfecto nihil eſt perfectius. Perfectum officium, inquit, rectum, opinor, vocemus. quod Græci κατόρθωμα appellant, hoc autem commune officium vocant, atque ſic definiunt, vt rectum quod ſit, id perfectum officium definiant, nõ inquam quum de recto ipſo diſputant, ſed quum moderationem omnium rerum & pulchritudinem ex honeſto relucentem varijs in rebus oſtendunt, quis habitus deceat, quæ ſupellex, quæ ratio victus, quæ & quanta domus, qui ſermo, qui geſtus, qui inceſſus, qui luſus, qui iocus, & alia id genus à Cicerone collecta & tractata in officijs. Decorum grammatici tractant in Poëtis, quos ex officio debẽt

interpretari. Etenim veteres ſubiecere grãmaticis hiſtoricorũ & poëtarũ lectionem. Quintilianus in primo. Grãmaticę tenuis à fonte, aſſumptis poëtarum hiſtoricorúmque viribus pleno iam ſatis alueo fluit. De poëtatũ decoro Cicero in officijs: Sed tum ſeruare illud poëtas quod deceat, dicimus, quũ id quod quaque perſona dignum eſt, & fit & dicitur, vt ſi Aeacus aut Minos diceret, Oderint dum metuant, aut Natis ipſe ſit ſepulchrum parens. indecorum videretur quod eos fuiſſe iuſtos accepimus. At Atreo dicẽte plauſus excitantur. Eſt enim digna perſona oratio. Sed poëtæ quid quenque deceat ex perſona iudicabunt.

33 Quam enim indecorum eſt, de ſtillicidiis cum apud vnum iudicem dicas, ampliſſimis verbis, & locis vti communibus: de maieſtate verò populi Ro. ſummiſſè, & ſubtiliter? Hic genere toto, at perſona alii peccant, aut ſua, aut iudicum, aut etiam aduerſariorum, nec re ſolum, ſed ſæpe etiàm verbo, etſi ſine re nulla vis verbi eſt, tamen eadem res ſæpe aut probatur, aut reiicitur alio, atque alio elata verbo. In omnibúſque rebus vidẽdum eſt quatenus. etſi enim ſuus cuique modus eſt, tamen magis offendit nimium, quàm parum. In quo Apelles pictores quoque eos peccare dicebat, qui non ſentirent, quid eſſet ſatis. Magnus eſſet locus hic Brute, quod te non fugit, & magnum volumen aliud deſyderat: ſed ad id quod agitur, illud ſatis: cum hoc decere, quod ſemper vſurpamus in omnibus dictis, & factis minimis, & maximis: cũ hoc inquam decere dicimus, illud non decere, & id vſquequaque quantum ſit, appareat, in alióque ponatur, aliúdque totum ſit, vtrum decere, an oportere dicas. oportere enim perfectionem declarat officii, quo & ſemper vtẽdum eſt, & omnibus. decere, quaſi aptum eſſe conſentaneúmque tempori & perſonæ,

perſonæ,quod cum in factis ſæpiſſime,tum in dictis valet,in vultu dénique & geſtu,& inceſſu. cõtráque item dedecere. Quod ſi poëta fugit vt maximum vitium, qui peccat etiam cum probam orationem affingit improbo,ſtultóve ſapiẽtis:ſi dénique pictor ille vidit, cum immolãda Iphigenia triſtis Chalcas eſſet, mœſtior Vlyſſes,mœreret Menelaus, obuoluendum caput Agamemnonis eſſe, quoniam ſummum illum luctum penicillo non poſſet imitari:ſi dénique hiſtrio, quid deceat, quærit:quid faciendum oratori putemus?Sed cum hoc tantum ſit,quid in cauſis, earúmque quaſi membris faciat,orator viderit. Illud quidem perſpicuum eſt, non modo partes orationis,ſed etiam cauſas totas, alias alia forma dicendi eſſe tractandas.

Decorum tractant eloquentes in omni & genere, & parte cauſſarum:In genere,id eſt in controuerſia tota:In parte,vt in aliqua perſona aut ſentẽtia, aut verbo.In genere decorum præterit,qui de ſtillicidijs agens, apud vnum Iudicem,verbis vtitur ampliſſimis, lociſq; communibus. Nam cauſſa minor eſt q̃ quæ ſuſcipiat amplitudinem,tum verborum,tum ſententiarum. Decet hic in re parua dicere ſummiſſè & ſubtiliter.Contrà in re graui, vt de maieſtate Po.Ro.apud multos Iudices amplè,copioſè,& grauiter.Actio de ſtillicidijs eſt,ſi aqua pluuia, quæ ex ædificio vrbano aut ruſtico nocet, arcenda eſt.Ea de re lex eſt,vndequadrageſimo Pandectarum. Maieſtas eſt magnitudo quędam Po.Ro.in eius poteſtate ac iure retinendo.Sic ipſe in partitionibus.Ampliſſima verba,ſunt grãdia,grauia,plena dignitatis, vt quibus vtitur Cicero in ornando Cæſare.Loci cõmunes,ſunt quæſtiones infinitæ,quæ θέσεις appellãtur,quibus,vt antè dictũ eſt,ſummus ille ſpatiari debet Orator. In parte indecorum eſt,ſi quis aut ſua perſona peccat, vt quum Cicero ſuũ conſulatuũ ſuumq; Catilinã,nimiũ iactitat:aut perſona iudicũ, vt quum Philippus teſtem perpuſillum riſit,quum ſederet Iudex L.aurifex breuior etiam quàm teſtis:Aut etiam aduerſariorũ,vt quum relicta dignitate Salluſtius ipſe impura vomit in Ciceronẽ,Cicero in Salluſtiũ. Re peccatur, vt quũ C.Piſo, qui Cecinnam iuriſperitorũ authoritate oppugnauerat,dixit iuriſconſultorũ authoritati obtẽperari nõ oportere.Sæpe etiã verbo decorũ læditur. Clodiũ

occiderunt ſerui Milonis, parū decebat. Aptè Cicero. fecerūt id ſerui Milonis, dicā enim nō deriuandi criminis cauſſa, ſed vt factū eſt, neq; imperante, neq; ſciente, neq; præſente domino, quod ſuos quiſque ſeruos in tali re facere voluiſſet. Et pro Cœlio, non ſi quis haberet cōſuetudinem, ſed ſi quis pauló liberius ſalutaſſet, aptius dixit. In omnibus rebus videndū eſt quatenus, ne longius progrediare quàm deceat.

Eſt modus in rebus, ſunt certi déniq; fines,
Quos vltra citráque nequit conſiſtere rectum.

Quúmq; ſint extrema duo vitioſa, magis offendit nimium ꝙ parū, vt elegantior veſtitus, cœna lautior, immodica loquacitas, oratio nimiū culta, pronūciatio volubilior. Sunt qui aliter ſentiant, malintq; nimiū ꝙ parum, vt prodigum ꝙ auarum, temulentum ꝙ ieiunum, audacem ꝙ timidum. Certè ſi naturā ſequimur ducem, plus offendit nimiū ꝙ parum, & auarus vtilior eſt Reip. ꝙ prodigus: & ieiunus, ꝙ temulentus: & timidus ꝙ audax. Medici redundantiā malint, ꝙ nimiam tenuitatem. Sed miſſam faciamus hanc quæſtionē, itemúſq; poti⁹ iudicio ſummi viri, ꝙ imperitorū. Apelles Cous pictor eximius, de quo antè dictum eſt, eos peccare dicebat, qui non ſentirent quid eſſet ſatis, id eſt non viderent: quatenus nec immeritò damnabat. Quid fœdius ꝙ quod noſtri pictores frequēter admittūt, qui homines ruſticos, baiulos, ſutores, mendicos, ornant coccineo colore, argento, auro, habitu præcellenti: Reges autē more ſacerdotum, non habita locorum temporumq; ratione? Peccāt turpiter, & in alijs rebus, Sed turpius eſt quod aut in vita, aut in eloquētia peccatur. Magnus eſt hic locus, hoc eſt copioſa & vtilis diſputatio de decoro, & magnum volumen aliud deſiderat. quamobrem locum paucis attingit, non quod ad Brutum virū doctum ſcriberet, vt Quintilianus ſentit, Sed quoniā ad id quod agitur, illud ſatis. Nam propoſita quæſtio eſt de eloquētia ſumma, qualis eſſe debeat, nō quod in ea decorum ſeruari oporteat. Ad hæc, decorum ſatis eſt notum, quia quum in omnibus dictis & factis, minimis & maximis, dicimus hoc decere, illud nō decere, Id vſquequaq;, id eſt in omni re, perſona, loco, tempore, quantū ſit apparet. Conſiderandum tamen in alio poni, quod dicimus oportere, in alio quod decere, aliudq; totum eſſe vtrum decere, an oportere dicas. Sic fiet vt genera rerum ne permiſceas, & decorū quid ſit, apertius intelligas. Oportere, perfectionē declarat officij, id eſt ſpectat illud κατόρθωμα & officium rectum, ac illud honeſtum perſequendum mōſtrat, quod nemo rectus & bonus omittit. Obtemperare oportuit, id eſt rectum fuit. A matre filiū accuſari nō oportuit, idem eſt quod vitioſum prauumq; fuit. Quod igitur officio ſine culpa deeſſe non poſſumus, eo ſemper vtendum eſt, & in omnibus rebus. vnum eſt enim rectum, verum, iuſtum & æquum, & illud omni tempore retinendū. Decorū pro rebus, perſonis, temporibus, locis, immutatur. quia decere eſt quaſi aptum eſſe conſentaneumq; tempori & perſonæ. quod in factis, in dictis valet, vt exemplis antè mōſtrauimus. In vultu déniq; & geſtu, & inceſſu, quæ Cicero reprehendit in Piſo-

nem, illis indecenter abuteretur. Poſteaq̃ docuit, quid, & in quo poſitum eſſet decorũ, cõparatione ducta à poëtis, à pictoribus, ab hiſtrionibus, argumentatur, illud oratori diligenter obſeruandum. Id quod dicimus dedecere, poëta fugit, vt maximũ vitiũ, qui peccat etiã quum probã orationem affingit improbo, vt ſi Mezentius deûm contemptor religionem probet, & apud Virgiliũ de diis piè loquatur, aut ſi Therſites ſtultus oblatrator apud Homerũ, bene & ſapienter de re graui dicat. Pictor ille Timanthes vidit quum immolanda Iphigenia Agamemnonis filia triſtis Chalcas eſſet, vt alienus, & vates cõſtans. Mœſtior Vlyſſes, quia mollior regibus obſequebatur. Mœreret, luctuq; ſolueretur Menelaus patruus, obuoluendũ caput Agamemnonis eſſe patris: quoniam ſummũ illum luctũ penicillo calamoq; pictorio nõ poſſet imitari. Plinius. Timanthi vel plurimum affuit ingenij. Eius enim eſt Iphigenia Oratorũ laudibus celebrata, qua ſtante ad aras peritura; quũ mœſtos pinxiſſet omnes, præcipuè patruũ, quum triſtitiæ omnem imaginẽ conſumpſiſſet, patris ipſius vultum velauit, quem dignè non poterat oſtendere. Hiſtrio actor fabularum quid deceat, quærit in voce, in vultu, in motu corporis atq; membrorũ. vnde Roſcius hiſtrio dicere ſolebat, in arte primũ decere. Itaque quum hoc tantũ ſit, id eſt tam latè pateat, & vbiq; aptam cõformet orationẽ decorũ, viderit orator, id eſt videre debeat, quid in cauſſis totis, quid in earum membris aptè faciat. Sicut enim variant partes, ita perſpicuum eſt cauſſas totas, alias alia forma dicendi eſſe tractandas. Alia forma eſt prò Quintio, Alia pro ligario, Alia pro Rabyrio.

Sequitur, vt cuiuſq; generis nota quæratur & formula, magnũ opus & arduũ, vt ſæpe iã diximus: ſed ingredientibus, cõſiderandũ fuit, quid ageremus, nunc quidẽ iam quocunq; feremur, danda nimirũ vela ſunt. Ac primũ informãdus eſt ille nobis, quẽ ſolũ quidam vocant Atticũ. Summiſſus eſt, & humilis, conſuetudinẽ imitãs, ab indiſertis re plus q̃ opinione differens. Itaq; eum qui audiũt, quanuis ipſi infantes ſint, tamen illo modo cõfidunt ſe poſſe dicere. Nã orationis ſubtilitas imitabilis quidẽ illa videtur eſſe exiſtimãti, ſed nihil eſt experiẽti minus. Etſi enim non plurimi ſanguinis eſt, habeat tamen ſuccum aliquẽ oportet, vt etiã ſi illis maximis viribus careat, ſit (vt ita dicam) integra valetudine. 34

Sequitur vt cuiuſque generis ſubtilis, grauis, & intermedij nota quæratur & formula.hoc eſt ſignum proponatur & lex,qua quicque cognoſcere & exercere poſſimus. Magnum opus & arduum & nauigationi ſimile,Vt enim transfretaturi ante profectionem conſiderant quid agant, vbi autem dederunt vela,vento fluctúque ſæpe quo nolint feruntur,ſic etiã huic ingredienti mare,copiámque formarum,conſiderandum fuit quid ageret, quidq́ſequeretur, nunc quocunq feratur per tot generum fluctus, Danda nimirũ vela ſunt,hoc eſt in omnem ſortis euentum res ipſa tentanda eſt. His verbis ſignificat in vniuerſo genere dictum eſſe de optima ratione dicendi, nunc tranſeundum ad genera ſingula,quorum difficilior eſt explicatio.Quod autem ab imis ad ſumma conſcenditur,primũ informandus eſt & figura quadam exprimendus ille ſubtilis,quem ſolum quidã vocant Atticum. Romani quidem certè illi fuerunt, in quibus etiam Lælius & Brutus, Ciceronis vt exornatoris effuſi,nimiúmque elegantis,iniqui Iudices,quibus id demũ placebat,quod eſſet horridum,incultum,ſimplex,cottidianum.Eorum prauum iudicium ſuprà caſtigauit. Tenuis Orator,ſummiſſus eſt, quaſi ad ima deiectus: Humilis,tanquam repens humi.Conſuetudinem imitans,velut ſequens vulgatum loquendi morem.Quem quis ab indiſertis nihil differre putet,etſi re plurimum diſtat.Itaque eum qui audiunt,quanuis ipſi infantes ſint, id eſt indiſerti,nulláque dicendi arte formati,tamen illo modo confidunt ſe poſſe dicere.Nam orationis ſubtilitas, & illa ſummiſſa tenuitas,imitabilis quidem videtur eſſe exiſtimanti,ſed nihil eſt experienti minus.Exiſtimat is,qui ducitur opinione rei dubiæ.Experitur,qui rem ipſam aggreditur.Hæc ſubtilitas aptè comparatur corpori raræ,vt loquuntur medici,texturæ, temperamentique parum firmi. Corpus eiuſmodi non plurimi ſanguinis eſt, habet tamen ſuccum aliquem & humorem bonum. Quod ſi illis maximis viribus caret, quibus prædita ſunt conſtitutionis optimæ corpora, tamen eſt integra valetudine.Eodẽ modo tenuis oratio,nõ plurimi ſanguinis eſt, & inſiti roboris,habeat tamen ſuccum aliquem oportet,vt ſententijs, & verbis ſubtilibus nutriatur:vt ſi illis maximis viribus careat, quibus omnia perrumpit illud graue dicẽdi genus,ſit tamen integra valetudine, vt ſine vitio & morbo bene præclaréque conſiſtat.Proponamus exemplũ ex oratione pro Cecinna,quo res facilius intelligatur,Verùm ita eſt vti dicis,te deiectum debeo intelligere,etiam ſi tactus non fueris,nónne? Age nunc,Si ne quidem tuorũ quiſquam loco motus erit,atque omnes in ædibus aſſeruati ac retenti,tu ſolus prohibitus,& à tuis ædibus vi atque armis perterritus,vtrũ hanc actionem habebis,qua nos vſi ſumus? an aliam quampiam? an omnino nullam? Nullam eſſe actionem dicere in re tam inſigni,tamque atroci, neq prudentiæ,neque authoritatis tuę eſt. alia ſi quę fortè eſt quæ nos fugerit, dic quæ ſit? cupio diſcere. Hæc ſi eſt, qua nos vſi ſumus,te Iudice vincamus neceſſe eſt.Quam minutæ ſunt hæ oratiunculæ? quàm tenues? quàm exilibus verbis contextæ? quàm numeris illis ſonantioribus ſolutæ? Quis non illo

modo confidat ſe poſſe dicere? Subeſt tamen vis atque robur argumenti. verba non ſunt ocioſa. Venuſtas eſt in tenuitate, quam paucis liceat imitari. Nam ſi verbis vtare grãdioribus, & tracta numerorum modulatione compleas ſenſus, aliquid maius altiúſque conficies. Si negligis verba, ſi quid venit in buccam effundis, ſcopæ ſunt diſſolutæ. Tenere medium & agere honeſtè in ſumma frugalitate difficile eſt. Imi tare Catulli ſuauitatem, Terentij venuſtatem, Martialis ſubtilitatem, nihil minus aſſequeris, niſi te natura quædam, perſimilis ars, & exercitatio iuuet. Illi tamen in multis tenues ſunt atque ſummiſſi.

Primum igitur eum tanquam è vinculis numero- 35
rum eximamus. Sunt enim quidam (vt ſcis) oratori
numeri, de quibus mox agemus, obſeruandi ratione
quadam, ſed alio in genere orationis, in hoc omnino
relinquendi, ſolutum quiddam ſit, nec vagum tamen,
vt ingredi liberè, non vt licenter videatur errare. Ver-
ba etiam verbis quaſi coagmentare negligat. Habet e-
nim ille tanquã hiatus concurſu vocalium molle quid-
dam, & quod indicet non ingratam negligentiam de
re hominis magis quam de verbis laborantis. Sed erit
videndum de reliquis cum hæc duo ei liberiora fuerint
circuitus, conglutinatióque verborum. Illa enim ipſa
contracta & minuta non negligenter tractanda ſunt,
ſed quædam etiam negligentia eſt diligens. Nã vt mu-
lieres eſſe dicuntur nonnullæ inornatæ, quas id ipſum
deceat: ſic hæc ſubtilis oratio etiam incompta delectat.
Fit enim quiddam in vtroque, quo ſit venuſtius, ſed
non vt appareat. Tum remouebitur omnis inſignis or-
natus, quaſi margaritarum: ne calamiſtri quidem ad-
hibebuntur. Fucati verò medicamenta candoris, & ru-
boris, omnia repellentur: elegantia modo, & munditia
remanebit.

cap. 4

Oratio,inquit Fabius,alia vincta atque contexta: Soluta alia, qualis in ſermone & in epiſtolis,niſi quum aliquid ſupra naturam ſuam tractant, vt de Philoſophia,de Rep.ſimilibúſque.Quod non eo dico,quia nõ illud quoque ſolutum habeat ſuos quoſdam & forſitam difficiliores etiam pedes,neque enim aut hiare ſemper vocalibus,aut deſtitui temporibus volunt ſermo & epiſtola,ſed non fluunt,nec cohærent,nec verba de verbis trahunt,vt potius laxoria in his vincula quàm nulla ſint. Nonnunquam in cauſſis quoque minoribus decet eadem ſimplicitas,quæ nõ illis,ſed alijs vtitur numeris, diſſimulátque eos & tantum communit occultius: hæc ille. quibus interpretari videtur hæc verba Ciceronis: Vincula ſunt in iuncturis atque temporibus.Nam cum verba verbis molli iunctura cohærent, & tempora ſyllabarum cum ſymmetria quadam perferuntur, tum numeris illigatur oratio.Nõ multum ligauit hanc orationem Cicero.Sum ex proximi vicini fundo deiectus,qua adibam ad iſtum fundũ:Sum de via,ſum certè alicunde,ſiue de priuato ſiue de publico,eo reſtui ſum iuſſus,reſtituiſſe te dixiſti, nego me ex decreto prętoris reſtitutũ eſſe.videre quiſque poteſt minutim diuiſas particulas,iuncturas inſuaues,tempora minuta, Subinde fractum curſum. Tamẽ hęc negligẽtia eſt diligẽs, nec omnino ſoluta eſt oratio.Eſt aliquid quo ſit venuſtior, vt munda veſtis,ſed non apparet. Primum igitur Oratorem ſubtilem tanquam è vinculis numerorum non omnium, ſed illorum grandiorum eximamus. Sunt enim Oratorij quidam numeri obſeruandi ratione quadam,id eſt, arte, quæ tempora ſyllabarum rebus aptat, curſũmque metitur comprehenſionum. Sed alio in genere orationis obſeruandi, vt in graui & in medio:In hoc omnino relinquendi. Quod accipe dictum non de minutis illis numeris atque leuioribus, quibus vtitur ſummiſſus orator, Sed de artificioſa coagmentatione, & illa plena modulandi ſuauitate, quæ ſelectis verbis & compoſitis extendit orationẽ,vt gratia voluptatis expleat auriũ ſenſum. Hinc illud ſubdit.Solutum quiddam ſit,id eſt,vt Quintilianus ſentit laxius vinculum potius quàm nullum,cui Cicero acquieſcit,quum dicit:Ne ſit vagum tamen, vt ingredi liberè, non vt licenter videatur errare. Proponatur hæc oratio Ciceronis.Hic te,inquit, teneo,non eſt iſtud, iudicium pati,neque iudicio defendere,quum auxilium á Tribunis petas. Solutum quiddam eſt,quia ingreditur liberè,nec enim metuit partem verſus,Hic te, inquit, teneo,nec aſclepiadei finem,iudicium pati,nec hiatum vocalium, vt quum auxilium à Tribunis petas,nec membra contracta, & corpus minutum.Non tamen licenter errat,vt is qui ſic loquatur,hic ego,inquit,teneo te, iſtud non eſt pati iudicium,neque defendere iudicio, quum petas auxilium à Tribunis: hoc nimis ſolutum dicendi genus. Verba etiam verbis quaſi coagmentare negligat, ne quemadmodũ lapides expoliti muro coagmentantur nimium hiante iunctura, ſic vltima prioris verbi ſyllaba, & ſequentis prima, iunctim & contiguè nectantur. Hiulcus hic quaſi numerus erit tenuis ædificij,nõ ille politus & æquabilis è lapide quadrato admittan-

tur hiatus vocalium,& aſperi concurſus,vt in epiſtola: Ego omni officio ac potius pietate,erga te,cæteris ſatiſfacio omnibus,mihi ipſe nunquam ſatiſfacio.habet ille hiatus è concurſu vocalium molle quiddam, quia verba non ſuo fine terminantur,ſed interſiſtunt,& in ore quaſi luctantur, tum conatus ille pronunciãdi haud diſplicet,niſi duriorem quendam & agreſtem ſonum reddiderit, vt hoc Terentianum:Eandem illam rationem antiquam obtine. Ea compoſitio quidem aſpera eſt, ſed in hac tenuitate non vtique vitanda, quoniam indicat non ingratam negligentiam hominis de re magis quàm de verbis laborantis. Liberiora ſunt igitur huic oratori circuitus conglutinatióque verborum,nec enim circuitus & periodos complet,nec verba iungendo molliter conglutinat.Cæterum ne ſit ille putidus ſermo, nimiúmque neglectus, cauendum eſt,quali ſunt abuſi plérique Philoſophiæ ſcriptores temporibus noſtris.Illa enim ipſa cõtracta & minuta,id eſt,conciſę breuéſq; ſententiæ, neque numeris expletæ non negligenter tractandæ ſunt. Sed quædam etiam negligentia eſt diligẽs, quæ non optimè,ſed parcè & tenuiter veſtit orationem.Putet aliquis hæc verba Ciceronem temerè fudiſſe, Satis eſt argumenti nihil eſſe debitum Næuio,q̃ tandiu nihil petiuit,ſed adhibuiſſe diligentiam comperies adeò,vt nullius ordinem verbi mutare poſſis, quin minus digeſtam perturbes collocationem.Eandem ſententiam potuerat ornatius ac compoſitius illuſtrare.Eſt igitur oratio tenuis, vt mulier veſte pura aptáque corpori,modica tamen frugalíque veſtita. Quemadmodũ frugi mulier neque margaritas aſſumit, neque calamiſtro ſinuat capillum, neque fucat corpus, neque Ceruſſam ad candorem,aut lomentum, neque enchuſam, aut minyum, aut purpuriſſum ad ruborem linit, neque torques, aut armillas,aut annulos aureos gerit,ſed modicum temperat ornatum: ſic ſubtilis oratio non aſſumit inſigniores figuras, non accuratam eloquutionem, non ornamenta pulcherrima,ſed elegantiam tantum munditiamque ſeruat.Margaritę nõ ſunt omnes lapilli Lapillus genus eſt,Species eius margaritæ atq; gemmę. Margaritæ è conchylijs & mari eximuntur, dicuntúrq; latino vocabulo vniones. Calamiſtri,maiores acus, quibus calefactis & adhibitis,criſpãtur capilli.vſus eſt genere maſculino, quanquam permulti Calamiſtrum vno genere neutro cenſent.

Sermo purus erit, & latinus: dilucidè, planéque dicetur: quid deceat, circunſpicietur. Vnum aderit, quod quartũ numerat Theophraſtus in orationis laudibus,ornamentum illud ſuaue,& affluens. acutæ crebræque ſententiæ ponentur, & neſcio vnde ex abdito erutæ,atque in hoc oratore dominabuntur. Verecũdus 39

erit vſus oratoriæ quaſi ſupellectilis. Supellex eſt enim quodámmodo noſtra, quæ eſt in ornamentis, alia rerum, alia verborũ. Ornatus autẽ verborũ duplex. vnus ſimplicium, alter collocatorum. Simplex probatur in propriis vſitatíſque verbis, quod aut optimè ſonat, aut rem maximè explanat. In alienis, aut tranſlatum, aut factum aliunde vt mutuo, aut factum ab ipſo, aut nouum, aut priſcum, & inuſitatum. Sed etiam inuſitata, ac priſca ſunt in propriis, niſi quòd rarò vtimur. Collocata autem verba habent ornatum, ſi aliquid concinnitatis efficiunt, quod verbis mutatis non maneat, manente ſententia. Nam ſententiarum ornamẽta, quæ permanent etiam ſi verba mutaueris, ſunt illa quidem permulta: ſed quæ emineant, pauciora.

Orationem quatuor habere virtutes oportet, vt emẽdata, vt dilucida, vt ornata, vt apta ſit. In qua ſermo pur⁹ erit & latinus, emẽdata: In qua dilucidè planéque dicetur, dilucida: In qua quid deceat, circunſpicietur, apta· In qua ponetur ornatum illud ſuaue & affluens, & acutæ crebræque ſententiæ, ornata dicetur. Inemendata barbara eſt, Obſcura non intelligitur, Inepta non eſt conſentanea rebus aut perſonis, Inornata vileſcit: quæ vitia omnia maximè vitare debet Orator, vnde conſtat iſta in graui quoque genere medióque ſeruanda. Sed in tenui genere ſimplicior ac verecundior eſt vſus oratorię ſupellectilis. Sermo purus erit & latinus, ſi neque barbariſmus, neque ſolœciſmus admittatur. Dilucidè planéque dicetur, ſi verba erũt propria, vſitata, bene contexta. Quid deceat circunſpicietur, ſi dicantur ea quæ conueniant dicenti, & ijs apud quos dicetur, & rei de qua agetur. Ornatus orationis, eſt in verbis, in figuris, in copia, in compoſitione & numerorum modo. Ex his affluentibus ac copioſè concurrentibus ſuauis emanat oratio. Hinc eſt illud ornatum, ſuaue, & affluens, quod animum pulchritudine demulcet, & affluentia copiáque lautè reficit. Sentẽtiæ acutæ, ſubtiles ſunt & paruæ, ſed acres, quę velut acumine feriunt ſenſum punctinque mouent animum auditorum. Difficile dictu eſt vnde oriantur, A locis quidem ducuntur omnia, tamen alius alia excutit, & inuentio naturam requirit atque prudentiam, quæ diſſimilis in multis, varietatem inueniendi parit. Eruuntur ergo ex abdito, vt ab

ea re,de qua agitur,agente quadam ſubtiliore prudẽtia. Quod autem verecundus & parcus eſt hic vſus aliorum ornamentorũ, acutæ ſententię in hoc oratore dominantur. Eiuſmodi ſententijs vtitur Cicero, etiam in minoribus cauſſis, vt pro Quintio: Quid ad hæc Næuius? Ridet ſcilicet noſtram amentiam, qui in vita ſua rationem ſummi officij deſideremus, & inſtituta bonorum virorũ requiramus. Quid mihi, inquit, cum iſta ſumma ſanctimonia ac diligentia? videant, inquit, iſta officia viri boni, de me iſta conſiderent, non quid habeam, ſed quibus rebus inuenerim quærant, & quemadmodum natus, & quo pacto educatus ſum. Memini, vetus eſt, de ſcurra multo facilius diuitem, q̃ patremfamiliâs fieri poſſe. Etenim ſi vult virorũ bonorum inſtituto viuere, multa oportet diſcat atque dediſcat: quorum illi, illi ætati vtrũq; difficile eſt. Idem in eadem oratione: Pecuniam ſi cuipiam fortuna ademit, aut ſi alicuius eripuit iniuria, tamen dum exiſtimatio eſt integra, facilè conſolatur honeſtas egeſtatem. At non nemo, aut ignominia affectus, aut iudicio turpi conuictus, bonis quidem ſuis vtitur, alterius opes (id quod miſerrimum eſt) non expectat. Hoc tamen in miſerijs adiumento & ſolatio ſubleuatur. Cuius verò bona venierunt, cuius non modo ampliſſimæ illæ fortunę, ſed etiam victus veſtitúſque neceſſarius ſub præcone, cum dedecore ſubiectus eſt, is non modo ex numero viuorum exturbatur, ſed ſi fieri poteſt, infra etiam mortuos mandatur. Etenim mors honeſta ſæpe vitam quoque turpem exornat. Vita turpis ne morti quidem honeſtæ locum relinquit. hæc omnia ſentẽtioſa ſunt. Suppellex quodammodo, id eſt quadam tranſlatione verbi noſtra eſt & oratoria, ac nullius alterius propria. vt autem patrifamiliâs ornamento eſt lauta ac nitida ſupellex, ita & oratori ſplendorem afferunt ornamenta rerum atque verborum: quæ quia ſunt oratorum propria, nomen eloquentiæ dederunt. Ornatus verborum duplex, vnus ſimplicium, alter collocatorũ: Aut enim verba ſingula qualia ſint, inſpicimus, aut in oratione coniuncta conſideramus. Simplicia alia propria ſunt, certa quaſi vocabula penè vna nata cum rebus ipſis, nullâque figura modificata. Alia tanquam aliena & figuris innouata. Ex proprijs alia alijs natura præſtant, vt in verbis eiuſdem rei ſonantiora, aut rem maximè explanantia, vt informare plenius quàm inſtituere, deambulare quàm incedere, opportunitas quàm occaſio. Sonantiora in orationis amplitudine meliora ſunt, alia contrà. Si vim feſtinationémque dicimus, rem magis explanabit, erumpit quàm exit, exilit quàm egreditur, fugit quàm abit, & alia id genus rebus aptanda. Cicero tertio de Oratore. In proprijs eſt uerbis illa laus oratoris, vt abiecta atque obſoleta fugiat, lectis atque illuſtribus vtatur, in quibus plenum quiddam & ſonans ineſſe videatur. Sed in hoc verborum genere propriorum delectus eſt quidam habendus atque is aurium quodam iudicio ponderandus, in quo etiam conſuetudo bene loquendi valet plurimum. In eodem libro verba ſimplicia reducit in tria genera, In ea quæ propria ſunt, In ea quę transferuntur, & quaſi alieno in loco collocantur, In ea quæ nouamus &

facimus ipſi. Aliena partitur in tria genera. Tria ſunt, inquit, in verbo ſimplici, quæ Orator afferat ad illuſtrandam atque exornandam orationem : aut inuſitatum verbum, aut nouatū, aut tranſlatum. Eadem eſt hæc diuiſio. Nam ad tranſlata pertinent facta aliundè, vt mutuo. Facta autem ab ipſo Oratore & noua vno genere nouitatis continentur. Hoc modo ex quinque membris tria facere poſſis. Tranſlata ſunt duplicia : alia neceſſitas genuit, inopia coacta: inde gemmare vites dicimus, & lætas ſegetes, & luxuriem in herbis, equitare in arundine, os impeditū. Hæc & ſimilia facta ſunt aliunde, vt mutuo. oſtendit his verbis tertio de Oratore: Hæ tranſlationes, inquit, quaſi mutuationes ſunt, quum quod non habeas, aliunde ſumas. Illic mutuationes dixit, vt hic facta aliunde mutuo. Alias tranſlationes delectatio iucunditáſque celebrauit, vt inhorreſcit mare, feruet æſtu pelagus, eloquentiæ flumen, flos ætatis, ſylua rerum, μεταφοραὶ Græcè dicuntur, Latinè tranſlationes. Alia gignit Orator ac facit, aut facta ab alio noua vſurpat: quæ quia arte facta ſunt non ſpontè nata ex vſu loquentium, ſeparantur à proprijs: ſic facta ſunt eliminare, exterminare, expectorare, verſutiloquus, grandiloquus, volubilitas. Priſca & inuſitata ſunt in proprijs quidem, ſed quoniam rarò vtimur, à proprijs abducit, vt nūcupari, rebar, opinabar, ſoboles, proſapia, actutum: quibus loco poſitis, grandior atque antiquior oratio ſæpe videri ſolet. Quæret aliquis, Cur omittat ſynecdochen? metonymiam? antonomaſiam? metalepſin? allegoriam? periphraſin? hyperbaton? Hic propria diſtinguit ab alienis. Propria propè nata ſunt cum rebus ipſis: Aliena aut trāsferūtur in aliorū locū, quod eſt propriū metaphoræ, & allegoriæ, aut noua ſunt & inuſitata, nedum propria, aut propria proprijs cōmutata, vt tectum pro domo, Ceres pro frumento. Poſſis etiam metaphoram latè extendere, more Ariſtotelis, vt figuras antè dictas amplectatur. De confirmationibus verborum poſtea præcipiet, quum de figuris omnibus agetur. Figuræ verborum ſunt, aut in ſimplicibus, vt metaphora: aut in coniunctis, vt gradatio. Quæ ſunt in collocatis, hoc modo diſtinguntur à figuris ſententiarum. Ornamenta verborū verbis mutatis non manent, manente ſententia, vt Euita malam famam tanquam pernicioſam flammam. figura eſt proſonomaſia. Muta verbum, Euita malam famam, tanquam pernicioſum incendium. concinnitas excidit. Sententiarum ornamenta permanent, etiamſi verba mutaueris. O indomitam libidinem. ſi mutaueris, O effrenatam cupiditatem : eadem concinnitas permanebit. Sunt autem ſentētiarum ornamenta totidem, quot res natura ſpecieque diuerſæ, ſed pauciora quæ eminent, de quibus infra dicetur.

37 Ergo ille tenuis orator modo ſit elegans, nec in faciendis verbis erit audax, & in transferendis verecundus, & parcus, & in priſcis, reliquíſque ornamentis &

verborum,& ſententiarum demiſſior,tranſlatione fortaſſe crebrior, qua frequentiſſimè ſermo omnis vtitur non modo vrbanorum, ſed etiam ruſticorũ. Siquidem eſt eorum gemmare vites,ſitire agros,lætas eſſe ſegetes, luxurioſa frumenta. Nihil horum parum audacter, ſed aut ſimile eſt illi,vnde transferas, aut ſi res ſuum nullũ habet nomen,docendi cauſa ſumptum, nõ ludendi videtur. Hoc ornamẽto liberius paulò,quàm cæteris vtetur hic ſummiſſus,nec tam licenter tamen,quàm ſi genère dicendi vteretur ampliſſimo. Itaque illud indecorum,quod quale ſit ex decoro debet intelligi, hic quoque apparet,cum verbum aliquod altius trãsfertur, ídque in oratione humili ponitur, quod idem in alia deceret. Illam autem concinnitatem, quæ verborum collocationem illuminat his luminibus, quæ Græci quaſi aliquos geſtus orationis σχήματα appellant,quod idẽ verbum ab his etiam in ſententiarum ornamenta trãsfertur,adhibet quidem hic ſubtilis, quem niſi quod ſolũ, cæteroquin rectè quidam vocant Atticum : ſed paulò parcius. Nam ſi,vt in epularum apparatu à magnificentia recedens, non ſe parcum ſolum, ſed etiam elegantem videri volet:eliget quibus vtatur. Sunt enim pleræque aptæ huius ipſius Oratoris, de quo loquor, parſimoniæ.

Quæ ſuppellex eſſet oratoria prius oſtendit,vt poſtea quatenus Orator ille ſubtilis vteretur,oſtẽderet. Vtetur proprijs & vſitatis,vt ſit purus & elegans,ea eſt prima virtus orationis. Cæterùm ne in faciẽdis verbis ſit audax: Aut enim ingrata vileſcũt,vt biboſus:aut venuſta orationem extollunt, ſtylúmque floridiorem efficiunt,quàm qui tenuitati debeat adhiberi, vt Nitellæ.

In transferendo ſit verecundus,id eſt minimè audax. Grãdioribus enim cõueniunt audaciores metaphoræ, quibus ſcatent heroici Poëtæ, ac tragici. Carpebat quietem,frontem rugis arat,induit crines, flamma ſuggeritur coſtis aheni. Sic rebus in magnis Cicero. Te non exiſtimas inuidiæ incendio conflagraturum? hæc adulta Reip. peſtis, ſtirps ac ſemen malorum omniũ. Sit in priſcis reliquiſque ornamentis, & verborum, & ſententiarum demiſſior, ne ſi quid excellenter exiſtat, ac in cæteris porrò emineat, fœda ſit & prodigioſa inæqualitas, qualem videmus in literis indoctorum, qui partibus abiectis addunt ſplendidius aliquid ab affectatoribus emendicatum, in quo gloriantur,& multum ſapere ſe putant. Tranſlationes in tenuitate frequentiores erunt,non illæ audaces ac longè petitæ, ſed verecũdæ & è proximo ductę,vt video,pro intelligo:bona forma,pro pulchra:ſcitus,pro eleganti.hoc genere frequentiſſimè ſermo omnis & lingua cottidiana vtitur, non modo vrbanorum qui accuratè loquuntur, ſed etiam ruſticorum qui ſermonem negligunt.Siquidem ruſticorum eſt gemmare vites,hoc eſt velut oculos producere,vnde racemus educatur.Sitire agros,aridos eſſe,pluuiãmque cupere.Lætas ſegetes,vberes & fœcundas.Luxurioſa frumenta,exuberantia,in herbiſque paſcenda.Nihil horum parum audacter, ferendum tamen, quia res ſuum, id eſt proprium nullum habet nomen. Alienum ſumptum eſt cauſſa docendi,non ludendi atque delectandi. Ferendum quoque quod eſt illi ſimile,vnde transferas.Sunt illæ metaphoræ propiores,vt haurire documenta de fonte ſcientiarum. Omnis tranſlatio ſimile quiddam refert,ſed alia diſſimilior,in oratione tenui minus ferenda, vt venoſus liber & verrucoſus,farrago loquendi:Alia ſimilior, quo ornamento liberius paulò, quàm cæteris vtetur hic ſummiſſus,nec tam licenter tamen, quàm ſi genere dicendi vteretur ampliſſimo. Indecorum certè eſt mulierem plebeiæ conditionis etiam ditiorem auro,argento,gemmis,& ornatu ampliſſimo colluſtrari.Eiuſmodi eſt genus orationis humile, quod ſi verecundiam ſeruat,altius tranſlata repudiat. Cuiuſmodi ſunt pro Rabyrio. Quod tu ſi audiſſes, aut ſi per ætatem ſcire potuiſſes, nunquam profectò iſtam imaginem quæ domi poſita, peſtem atque exilium Sexto Titio attuliſſet, in roſtra atque in concionẽ attuliſſes,neque tuas vnquam rationes ad eos ſcopulos appuliſſes, ad quos Sexti Titij afflictam nauem,& in quibus C.Deciani naufragiũ fortunarum videres. Adhibet etiam ſubtilis Orator illam concinnitatem, quæ verborum collocationem illuminat, id eſt figuras infert verborum collocatorum,vt mutationem generum,numerorum,partium, repetitionem,duplicationem,gradationem, aſyndeton,polyſyndeton,correctionem.vocantur hæ concinnitates,& ornamenta,& lumina,& conformationes,à Græcis χήματα,id eſt habitꝰ,& quaſi geſtus orationis,quæ ne ſit perſimilis,& eadẽ facie cõſtans,nouas ſubinde formas ac figuras induit. Adhibebit hæc paulò parcꝰ,ne venuſtates & aucupiũ delectationis quæſiſſe videat̃,nec enĩ in apparatu magnificus eſſe debet,nec cõtrà ieiunus,& ſordidus, ſed is qui tẽpe-

ranter vtatur elegãti parſimonia. Quē niſi quod ſolū, cęteroquin rectè quidã vocant Atticum, Parēthesis eſt in hunc ſenſum, Oratorem tenuem quidã Atticum ſolū vocant, quod Atticū, rectè: quod ſolum, prauè. Nam ſunt Atticorum genera multa, vt antea probatū eſt. Cęterū non cęteroquin multi legendum putant. Cæteroquin, vt improbam vocem repudiant. Tamen cæteroquin dicitur, vt alioquin, & ex analogia eodem modo ſignificant, nec vlla cauſſa eſt cur repudietur.

Nam illa, de quibus antè dixi, huic acuto fugienda 38 ſunt, paria paribus relata, & ſimiliter concluſa, eodémque pacto cadentia, & immutatione literæ quaſi quæſitæ venuſtates: ne elaborata concinnitas, & quoddam aucupium delectationis manifeſtè deprehenſum appareat. Itémque ſi quæ verborum iterationes contentionem aliquam, & clamorem requirent, erunt ab hac ſummiſſione orationis alienæ: cæteris promiſcuè poterit vti: continuationem verborum modo relaxet, & diuidat, vtatúrque verbis quàm vſitatiſſimis, tranſlationibus quàm molliſſimis. etiam illa ſententiarum lumina aſſumat, quæ non erunt vehementer illuſtria. Non faciet rempub. loquentem, nec ab inferis mortuos excitabit, nec aceruatim multa frequentans vna complexione deuinciet. Valentiorum hæc laterum ſunt, nec ab hoc quem informamus, aut expectanda, aut poſtulanda. Erit enim vt voce, ſic etiam oratione ſuppreſſior. Sed pléraque ex illis conuenient etiam huic tenuitati, quanquam iiſdem ornamentis vtetur horridius: talem enim inducimus.

Propoſita ſunt ea lumina, quibus hic tenuis illuſtret orationem. Sunt alia quibus non vtetur, ſi verecundus & parcus eſſe volet. Id genus ſunt

paria paribus relata,id eſt,vt antè diximus,menſuræ & quantitatis eiuſdem membra,quæ ſunt ſua ſponte numeroſa,vt illa Ciceronis in Catilinã: Quòd ſi in vino & alea comeſſationes ſolũ & ſcorta quærerent, eſſent illi quidem deſperandi,ſed tamẽ eſſent ferẽdi:hoc verò quis ferre poſſit? Inertes homines fortiſſimis inſidiari? ſtultiſſimos prudẽtiſſimis? ebrioſos ſobrijs? dormiẽtes vigilantibus? qui mihi accubantes in conuiuijs, complexi mulieres impudicas,vino languidi,confecti cibo,ſertis redimiti,vnguentis obliti, debilitati ſtupris,eructant ſermonibus ſuis cædem bonorum atque vrbis incendia.Similiter concluſa,ſimiliter deſinentia, dicuntur ὁμοιοτέλευτα. quæ à ſimiliter cadentibus hoc differunt,quòd ſimiliter concluſa finem tenent, non ſimiliter cadentia.Similiter concluſa ſunt hæc: Bellum in Africa maximum confecit,victorem exercitum deportauit.Similiter cadentia:Philoſophia excitanda nobis eſt,vt ſi occupati profuimus aliquid ciuibus noſtris, proſimus etiam ſi poſſimus otioſi. Immutatione literæ quaſi quæſitæ venuſtates, vt pupéſque tuæ pubéſque tuorum.Nõ enim tã ſpes laudãda,quàm res eſt.talia ſunt honori oneri,orator arator,mos mors,emiſſus immiſſus.In his apparet elaborata concinnitas, & affectata elegantia, & aucupium, curioſáque inueſtigatio delectationis. Ab hac ſummiſſione,id eſt, humilitate orationis, alienæ ſunt verborum iterationes non omnes,ſed quæ contentionem aliquã vocis & laterum & clamorem requirunt.Nihil ne te nocturnum præſidium palatij? nihil ne vrbis vigiliæ? nihil timor populi? nihil concurſus bonorum omnium? nihil hic munitiſſim9 habendi ſenatus locus? nihil horum ora vultúſque mouerunt? Hæc acerba eſt iteratio verborum. Vtatur continuatione verborum,id eſt,periodo,ſi modo relaxet & diuidat,hoc eſt breuiorem ponat,euitet longiſſimam. Breuior eſt ex duobus membris aut tribus, vt Illud autem miror,cur vos aliquid contra me ſentire dicatis, quum eum authorẽ vos pro me appelletis,noſtrum nominetis.Vtatur verbis quàm vſitatiſſimis, vt,Quid ergo? Iſti homines latinè non loquuntur? Imò verò tãtũ loquuntur, quantum eſt ſatis ad intelligendam voluntatem. Vtatur tranſlationibus molliſſimis,duriores enim & aſperiores tenuitati non conſentiunt. Molles, ſunt metaphoræ,congregare viros,omnia tela cõiecere,id eſt,omnibus modis homini nocere,reſpiraſſet cupiditas,dare loum,ſe colligere,in turpitudinem venire,& ſexcenta id genus. Aſſumat etiam illa ſententiarum lumina, quæ non erunt vehementer illuſtria, vt interrogationes,admirationes, permiſſiones,conciſam breuitatem,illuſionem,rogationem, ſuperlationem, interpretationem.Non faciet remp. loquẽtem,Id maioris eſt cõtentionis,vſus eſt in deteſtãda coniuratione Nunc te patria, quę cõmunis eſt omniũ noſtrũ parens,odit ac metuit, & iamdiu te nihil iudicat,niſi de parricidio ſuo cogitare,huius tu neque authoritatem verebere? neque iudicium ſequere? neque vim pertimeſces? quæ tecum Catilina ſic agit, & quodammodo tacita loquitur,& quæ ſequuntur.Nec ab inferis mortuos excitabit,eſt hæc etiã proſopopœia grauior, qua vtitur pro Cœlio.Sed tam en ex ipſa quæram prius,

vtrum me ſecum ſeuerè & grauiter & priſcè agere malit, an remiſſè, leniter ac vrbanè. Sin illo auſtero more ac modo, aliquis mihi ab inferis excitādus eſt ex barbatis illis, non hac barbula qua iſta delectatur, ſed illa horrida quam in ſtatuis antiquis & imaginibus videmus, qui obiurget mulierē, & pro me loquatur, ne iſta fortè mihi ſuccenſeat. Exiſtat igitur ex hac ipſa familia aliquis ac potiſſimum cæcus ille & cætera. Non aceruatim multa frequentans vna complexione deuinciet, id eſt, non vtetur exaggeratione rerum atque verborum, cuius vſus eſt in amplificatione graui. Nunc iam apertè Remp. vniuerſam petis, templa deorum immortaliū, tecta vrbis, vitā ciuium omniū, Italiam dénique totam ad exitium & vaſtitatem vocas. Valentiorum hæc laterum ſunt & acriore contentione dicenda, nec ab Oratore tenui, quem informamus, aut expectanda, vt eius tenuitatis propria, aut poſtulanda, vt iure impetranda. Erit voce & pronūciatione ſuppreſſior, quia vox orationi, oratio voci debet accommodari. Quoniam oratio tenuis eſt, vox quoque careat inſigni contentione, quæ grauiſſimis illis aptanda figuris eſt. Sed pléraque ex illis ſententiarum luminibus conueniēt etiam huic tenuitati, vt quæ non erunt vehementer illuſtria, qualia pauló antè numerabamus, quanquā iiſdem ornamētis vtetur horridius, quia ſic in apparatu à magnificentia recedit, vt eleganti tamen vtatur parſimonia.

Accedit actio non tragica, nec ſcenæ, ſed modica ia- 39
ctatione corporis, vultu tamē multa conficiens, nó hoc quo dicuntur os ducere, ſed illo, quo ſignificant ingenuè, quo ſenſu quidque pronuntient. Huic generi orationis aſpergentur etiam ſales, qui in dicendo mirum quantum valent: quorum duo genera ſunt, vnum facetiarum, alterum dicacitatis. vtetur vtroque, ſed altero in narrando aliquid venuſtè, altero in iaciēdo, mittendóque ridiculo, cuius genera plura ſunt, ſed nunc aliud agimus.

In rebus & verbis eſt oratio, quæ ſi dicitur, eget etiam actione, hoc eſt pronuntiatione. Tertius eſt igitur locus præcipiendi de tenuitatis actione. Actio Oratoris ſumiſſi ne ſit tragica, & grauis inſigni contentione vocis, vultu triſti, geſtúque turbulento. Nam talis actio penè contentionibus adhibetur, qualis eſt Tragœdorum in agēdis fabulis, quo qui feruntur impetu, tragœdias excitare dicūtur. Ne ſit etiam actio ſcenæ, hoc eſt hiſtrionū quo-

rum clamoſa ſæpe & vultuoſa eſt actio. Sit modica & temperata iactatione motúque corporis, quoniam rebus in paruis membra vehementer agitare propè furioſum eſt. Decet autem pronũciatio, quæ reſpondet orationi. Vultu, nõ iactatione mẽbrorũ multa cõficiat, vt orationis intellectum iuuet. Nõ hoc quo dicuntur inepti & inuenuſti clamatores os ducere, hoc eſt labra, buccas, nares, oculos huc & illuc turpiter contorquere, ſed illo decenti vultu, quo ſignificẽt ingenuè, honeſtè & liberaliter, quo ſenſu quidque pronuncient, acriter an ſuauiter, ſeuerè an blandè, animo irato an quieto, beneuolo an auerſo. Os Cicero accipit omnem partem, quam vulgꝰ faciem dicit. Singulorum ferè verborum ſuus quidam vultus eſt, rerum naturis aptè venuſtèque conformandꝰ. Huic generi orationis aſpergentur etiam ſales, quẽadmodum ſal & condimenta cibarijs aſperguntur ad palati voluptatem. Quippè Oratoris eſt non docere modo, ſed etiam mouere atque delectare. Delectatio poſita eſt in ſalibus, ac ridiculis, quę in dicendo, mirum quantum valeãt, amabiles enim mores oratoris & acumen oſtendũt. tediũ rerũ grauiũ leuant, affectus aduerſarij triſtes eludunt, controuerſias interim grauiſſimas riſu liberali diſſoluũt. Sales alij ſunt facetiarũ, alij dicacitatis: qui quãtũ ĩter ſe diſtẽt, oſtẽdit ſecũdo de oratore. quũ duo genera ſunt facetiarũ, alterũ ęquabiliter in omni ſermone fuſum, alterum peracutũ & breue: Illa à veteribꝰ ſuperior, Cauillatio, Hęc altera dicacitas nominata eſt. Hic ſales, illic facetias, vt genꝰ ponit cõfuſis nominibꝰ. Hic autẽ facetias cauillationes vult accipi. Itaq; facetię ſiue cauillatiões à veteribꝰ dictę, perpetua eſt feſtiuitas in dicẽdo, qua feſtiuè deſcribunt hominũ mores, vt moueat hilaritas ex ipſo genere ſermonis vultu vocéq; adiuuãte. Cuiuſmodi narratio Ciceronis eſt in oratione pro Cluentio de maiore Cepaſio, & pro eodem hiſtoria de Bruto atq; Craſſo. Dicacitas autem feſtiuitas eſt breuis, & acuta, vt Catulli qui à Philippo interrogatus, quid latraret? furem ſe videre reſpondit. Superius ergo genus in narrando aliquid venuſtè, Poſterius in iaciendo mittendóque ridiculo, ideſt, eo dicto quod riſum ciere poſſit. à Græcis dicitur γέλοιον. Ridiculorum genera ſunt plura. Alia verſantur in ambiguo, alia in paronomaſia, alia in metaphoris, alia in ironia, alia in contrarijs, ſimilibus, imaginibus, apologis, hiſtorijs. Sunt alia quoque genera, quæ exponit omnia de Oratore libro ſecundo. Hic ideo omittit, quod aliud agit, quænã ſit optima dicendi figura.

40 Illud admonemus tamen, ridiculo ſic vſurum oratorẽ, vt nec nimis frequenti, ne ſcurrile ſit: nec ſubobſcœno, ne Mimicum: nec petulanti, ne improbum, nec in calamitatẽ, ne inhumanũ: nec in facinus, ne odii locum riſus occupet: neque aut ſua perſona, aut iudicum,

aut tempore alienum. Hæc enim ad illud indecorum referũtur. Vitabit etiam quæſita, nec ex tempore ficta, ſed domo allata, quæ plérunque ſunt frigida: parcet & amicitiis, & dignitatibus: vitabit inſanabiles contumelias: tantummodo aduerſarios figet, nec eos tamen ſemper, nec omneis, nec omni modo. quibus exceptis ſic vtetur ſale, & facetiis: vt ego ex iſtis nouis Atticis talem cognouerim neminem, cum id certe ſit vel maximè Atticum. Hanc ego iudico formam ſummiſſi oratoris, ſed magni tamen & germani Attici: quoniã quicquid eſt ſalſum, aut ſalubre in oratione, id proprium Atticorum eſt: è quibus tamen non omnes faceti: Lyſias ſatis, & Hyperides, Demades præter cæteros fertur, Demoſthenes minus habetur: quo quidem mihi nihil videtur vrbànius, ſed non tam dicax fuit, quàm facetus. eſt autem illud acrioris ingenii, hoc maioris artis.

Temperare iocum difficillimum eſt. Hinc Ennium dixiſſe ferunt: Flammam à ſapiente facilius ore inardente opprimi, quàm bona dicta teneat. Quamobrem quæ ridicula, vitet Orator vt illiberalia, non inutile eſt admonere. Nimium frequens ridiculum, ſcurile eſt, ideóque vitandum. Obſeruãda, inquit, temporis ratio & ipſius dicacitatis moderatio, & temperantia, & raritas. Quod Oratores cũ cauſſa dicunt, non vt ridiculi videantur, ſed vt proficiant aliquid: Scurræ totum diem & ſine cauſſa. Scurrile eſt quod Appius in Sextium coniecit: Cœnabo, inquit, apud te: vnĩ enim locum video. Luſcus erat Sextius. Permulta ſunt ſcurrilia apud Plautum, quæ riſum quidem concitant, ſed illiberaliter & agreſti more. Aliud eſt ridiculum ſubobſcœnum, quale mimi: qui ridiculè mores imitantur hominum, ſine dignitate conjiciunt: quod non reſpuunt etiam ſatyrici. Cato, vt eſt apud Horatium, quum iuuenem exeuntem fornice vidiſſet, hominẽ laudauit: Tum Cupennius adulter, Nolim me, inquit, hoc modo laudari. De ridiculo Mimico Cicero de Oratore: Quid enim poteſt eſſe tam ridiculum quàm Samnio eſt? ſed ore, vultu, imitandis moribus, voce dénique, corpore ridetur ipſo. Salſum hunc poſſum dicere, atque ita non vt eiuſmodi Oratorem eſſe velim, ſed vt Mi-

mum. Idem, Obſcœnitas non ſolum non foro digna, ſed vix conuiuio liberorum. Aliud eſt petulans & improbum, quod acerbè laceſſit & inſultat, vt Quum Candidatus Aulus Sempronius cum Marco ſuo fratre Vargulam complexus eſſet, Puer, inquit, abige muſcas. Aliud eſt in calamitatem quod inhumanum eſt. Aliud in facinus & improbitatem inſignem, quæ non riſu, ſed odio perſequenda eſt. Propterea ſi ridetur, odij locum riſus occupat. De vtroque genere Cicero, Nam nec inſignis improbitas, & ſcelere cõiuncta, nec rurſus miſeria inſignis agitata ridet. Facinoroſos enim maiore quadam vi, quàm ridiculi vulnerari volunt: Miſeros illudi nolunt, niſi ſi ſe forte iactant. Quintil. Nec accuſatorem atroci in cauſſa, nec patronum in miſerabili iocantem feret quiſquam. Materies omnis ridiculorum eſt in illis vitijs, quæ bellè agitata ridentur. Aliud eſt ab agentis perſona aut iudicũ, aut tempore alienum, vt quum dicit Orator indigna ſe, aut quæ iudicem lædunt, aut quæ non obſeruant temporis oportunitatem. hæc referũtur ad indecorum. Ea quæ dicit vir bonus, omnia ſalua dignitate ac verecundia decent. Vitabit etiam quæſita, & præparata, & ea quæ non ex tempore ſunt ficta, ſed domo allata, & plérunque frigida. Omnino (vt ait) probabiliora ſunt quæ laceſſiti dicimus, quàm quæ priores. Nam & ingenij celeritas maior eſt, quæ apparet in reſpondendo, & humanitatis eſt reſponſio. Idem in eodem loco, Ante illud facetè dictum emiſſum hærere debeat, quàm cogitari potuiſſe videatur. Parcet Orator amicitijs, ne temere in eos dicat qui diliguntur. Et ne ſubeat illud, Potius amicum quàm dictum perdidi. Parcet etiã dignitatibus, id eſt viris maieſtatis honorandæ, ne laceſſat quem lædere ſit periculoſum. Vitabit inſanabiles contumelias, quas inimicitiæ graues inſequuntur, & ſæpe turpis ſatisfactio. Tantummodo aduerſarium figet, & acuto dicto confodiet. Nec eos tamen ſemper, ne ſcurrile ſit, nec omneis, ne nulla ratio perſonę habita eſſe videatur, nec omni modo, ſed tantũ liberali. His ridiculis ineptioribus exceptis, vtetur Orator ſale, id eſt ridiculo acuto & breui, & facetijs in omni ſermone fuſis. Hic arguit iterũ Cauſidicos illos inſolentiores, de quibus antè dictum eſt, qui quòd vterentur oratione perhumili, reiecto omni ſplendidiore cultu, ſoli volebant attici videri, quaſi vero Lyſiam imitarentur, & eius viri tenuem venuſtatem, quæ ſicut eſt attica, ita non ſola dici poteſt attica. Quia quicquid eſt ſalſum & ſalubre, hoc eſt cõmodum & vtile in oratione, id propriũ atticorũ eſt. E quibus Lyſias ſatis eſt facetus, & Hyperides, Demades præter cæteros fertur, nec enim ſcripta extãt, vnde id ſcire poſſis. Demadis alterius extat adhuc fragmentũ. Demoſthenes minus habet, ab indoctis, quũ ſit ipſe perurbanus, ſed nõ tam dicax in cõijciẽdo breui ridiculo, ꝙ facetus in texẽda lepida narratione, quod eſt ingenij maioris, maius enim perpetuos ſales inſpergere, quàm vna & altera breui ſententia iocari, quanquam & hoc eſt acris ingenij, de his omnibus Oratoribus Cicero in Bruto.

41 Vberius eſt aliud, aliquãtóque robuſtius, quàm hoc

humile, de quo dictum eſt:ſummiſſius autem, quàm illud, de quo iam dicetur, ampliſſimum. Hoc in genere neruorum vel minimum, ſuauitatis autem eſt vel plurimum. Eſt enim plenius, quàm hoc enucleatũ: quàm autem illud ornatum, copioſũmque, ſummiſſius. Huic omnia dicendi ornamenta conueniunt, plurimúmque eſt in hac orationis forma ſuauitatis: in qua multi floruerunt apud Græcos. Sed Phalereus Demetrius meo iudicio præſtitit cæteris: cuius oratio cum ſedatè, placidéque loquitur, tum illuſtrant eam, quaſi ſtellæ quædã, tranſlata verba, atque immutata. Tranſlata ea dico, vt ſæpe iam, quæ per ſimilitudinem ab alia re aut ſuauitatis, aut inopiæ cauſa transferũtur. Mutata, in quibus pro verbo proprio ſubiicitur aliud quod idem ſignificet, ſumptũ ex re aliqua conſequenti. Quod quanquã trãſferendo fit, tamen alio modo tranſtulit, cum dixit Ennius, arcem, & vrbem orbas: alio modo, ſi pro patria arcem dixiſſet. & horridam Africã terribili tremere tumultu cum dicit, pro Afris immutat Africã. Hanc Hypallagen rhetores, quia quaſi ſummutantur verba pro verbis, Metonymian grãmatici vocant, quòd nomina transferuntur. Ariſtoteles autem tranſlationi hæc ipſa ſubiungit: & abuſionem, quam Catachreſin vocant: vt cum minutum dicimus animũ pro paruo, & abutimur verbis propinquis, ſi opus eſt, vel quòd delectat, vel quòd licet. Iam cum fluxerunt continuæ plures tranſlationes, alia planè fit oratio. itaque genus hoc Græci appellant ἀλληγορίαν, nomine rectè, genere melius ille, qui iſta omnia tranſlationes vocat.

Summi Oratoris imaginem delineauit, Ex ordine medium genus deſcribit hoc modo: Medium genus vberius eſt & robuſtius, quàm humile: ſummiſſius, quàm ampliſſimum: plenius, quàm tenuè: ſummiſſius, quàm graue. Vbertas eſt in ornamentorum copia, non in verborum multitudine. Robur in grandiore filo orationis, & ampliore numero, non in ſeueritate dicendi: quoniam hoc in genere fatetur minimum eſſe neruorum, propterea ꝙ plus carnis habet, ad decorem plenúmque corpus, quàm roboris & neruorum ad vim animis inferendam. Hinc plenum dicitur, ſicut gracilè & tenuè vocatur illud enucleatum quod dicit omnia, quaſi minuto corpore macilentum. Itaque verba leget grandiora, aſſumet ornamenta pulcherrima figurarum, pedes collocabit ampliores, & longiores extendet periodos. Ex his vbertas ſtylique robur, & plena modorum ratio, & erectior tum facies, tum ſonus orationis, quàm illa generis imi ſummiſſio. Huic omnia dicendi ornamenta conueniunt, vt ſententiæ, amplificationes, egreſſiones, ſchemata, numeri pleniores, copia rerum atque verborum. non tamen ideo ſummum putandum eſt, vt enim ab illa forenſi contentione non differat ornamentorum copia, genere tamen & modo plurimũ diſtat: quod multis expoſitum eſt, quum de ſophiſtarum ſimilitudine ageretur: & hic diſcrimen oſtendit, quum ſummiſſius, quàm illud ampliſſimum dicit, & plurimum eſſe in hac orationis forma ſuauitatis. Nam graue genus & quod ſummum dicitur, acre eſt & vehementer intentum, & aſperitate quadam concitatum quod paulo pôſt apertè docebit. In media ſuauitate Demetrium præfert omnibus, quem fuiſſe omnium politiſſimum ſcribit de Oratore libro ſecundo. de eodem plura de claris Oratoribus: Phalereus, inquit, ſucceſſit eis ſenibus adoleſcens eruditiſſimus ille quidem horum omnium, ſed non tam armis inſtitutus, quàm palæſtra. Itaque delectabat magis Athenienſes quàm inflammabat. Proceſſerat enim in ſolem & puluerem, non vt è militari tabernaculo, ſed vt è Theophraſti doctiſſimi hominis vmbraculis. Hic primùm inflexit orationem, & eam mollem tenerámque reddidit, & ſuauis (ſicut fuit) videri maluit, quàm grauis: ſed ſuauitate ea qua perfunderet animos, non qua perfringeret. Is quum multos annos rexiſſet Athenienſes, ſolum vertit, & Ptolemæi Soteris bibliothecæ præfectus eſt. Ab attico portu Phalero dictus eſt Phalareus, quod nomen eſt trium ſyllabarum φαληρεύς. Frequenter vtebatur metaphora, metonymia, catachreſi, allegoria, luminibus verborum, locis communibus, & oratione ſedatè, placidè & quietè profluenti: quæ Cicero medij generis ornamenta cenſet. Verba transferuntur aut ſuauitatis gratia, vt Quid enim odiſſet Clodium Milo, ſegetem ac materiam ſuæ gloriæ, Aut inopiæ, vt durus homo, fructus laborant. Ne mireris autem quòd nomine ſuauitatis, hic metaphoram cenſet. Nam etſi metaphora multiplex eſt, multiſque de cauſſis inuenta, tamen genus illud quod habet plurimum ſuauitatis, tranſlatione ſuaui frequens vtitur. Præterea ſi tranſlationem facimus citra neceſſitatem, hoc eo facimus, quòd tranſlatum

ſit in eo ſignificando quod agitur, præſtantius quàm proprium. Quod autē præſtat, id aurib⁹ & animo intelligētis ſuauius accidat, neceſſe eſt. Id oſtendit tertio de Oratore. Similitudinis eſt ad verbū vnū cōtracta breuitas, quod verbum in alieno loco tanquam in ſuo poſitum, ſi agnoſcitur delectat: ſi ſimile nihil habet, repudiatur. Immutata verba ſunt in quib⁹ pro verbo proprio ſubijcitur aliud, quod idem ſignificet, ſumptū ex re aliqua conſequenti: vt ſi pro patria, arcem dixeris: & pro Afris, Africam: intelliguntur duæ figuræ συνεκδοχὴ καὶ ὑπαλλαγή, quæ eſt verborum ſummutatio & μετωνυμία, id eſt, nominis pro nomine poſitio, & nominum quædam tranſlatio: de qua re idem de Oratore libro tertio. Ne illa quidem traductio, atque immutatio in verbo quādā fabricationē habet, ſed in oratiōe, Africa terribili tremit horrida terra tumultu. Pro Afris eſt ſumpta Africa, neque factum verbum, vt mare ſaxifragis vndis: Neque tranſlatū, vt mollitur mare: Sed ornādi cauſſa proprium proprio commutatum. Hactenus Cicero. Percurre totum locum vt quæ faciant huc, inde referre poſſis. Sic differunt hæ conformationes. In metaphora ſimilitudo eſt breuiter contracta, vt vrbs orba eſt. Hyppallage ſiue metonymia eſt quum pro inuentore inuentum, pro continente contentum, pro efficiente effectum, pro poſſeſſo poſſeſſorem, aut contrà capimus. Synecdoche dicitur, quum à parte totum intelligitur, vel numer⁹ à numero, vt ab vno plures. Notiora ſunt hæc, quàm quæ pluribus verbis exponi debeant. De catachreſi, id eſt, abuſione, Idē Cicero de Oratore: Abutimur ſæpe etiàm verbo non tam eleganter quàm in transferendo, ſed etiamſi licentius, tamen interdum non impudenter, vt quum grādem orationem pro magna, minutum animum pro paruo dicimus. Quintilian⁹ eo magis neceſſaria κατάχρησις, quam rectè dicimus abuſionem, quæ non habentibus nomen ſuū accommodat, quod in proximo eſt ſic, Equum diuina Paladis arte ædificāt. Hæc Fabius. Cicero tamen ſignificat catachreſin fieri poſſe, vbi non deficit nomen. Et Quintilianus fatetur his verbis: Nam poëtæ ſolent abuſiuè etiā in his rebus quibus nomina ſua ſunt, vicinis potius vti, quod rarum in proſa eſt. ἀλληγορία alia eſt oratio quum fluxerunt continuæ plures tranſlationes: Fabius interpretatur inuerſionem quæ aliud verbis, aliud ſenſu oſtendit, vt hoc miror, quærorque quenquam hominum ita peſſundare alterum verbis velle, vt etiam nauim ipſe perforet, in qua ipſe nauiget. Ita omnia metonymiam, ſynecdochen, catachreſin, allegoriam vno genere complectitur Ariſtoteles, & metaphoras vocat rhetoricorum tertio, vbi tranſlationum ſpecies exponit adeò fuſè, vt eius verba citare moleſtum ſit. Satis eſt aſcribere definitionem ex eius libro περὶ ποιητικῆς, μεταφορὰ δ' ἐστὶν ὀνόματος ἀλλοτρίου ἐπιφορὰ ἢ ἀπὸ γένους ἐπὶ εἶδος, ἢ ἀπὸ εἴδους ἐπὶ γένος ἢ ἀπὸ εἴδους ἐπὶ εἶδος ἢ κατὰ τὸ ἀνάλογον. Tranſlatio eſt alieni nominis inductio, quæ fit aut à genere in ſpeciem, aut a ſpecie in genus, aut à ſpecie in ſpeciem, aut à ſimilitudine rationis eiuſdem.

42 Hæc frequentat Phalereus maximè: ſuntq; dulciſſima. & quanquam tranſlatio eſt apud eum multa, tamen immutationes nuſquā crebriores. In idem genus orationis(loquor enim de illa modica, ac temperantia) verborum cadunt lumina omnia,multa etiam ſententiarum, latæ, eruditæque diſputationes ab eodem explicantur, & loci communes ſine contentione dicuntur. Quid multa? è philoſophorum ſcholis, tales ferè euadunt, & niſi coràm erit comparatus ille fortior,per ſe hic,quem dico,probabitur.Eſt enim quoddam etiam inſigne,& florens orationis, pictum, & expolitum genus, in quo omnes verborum,omnes ſententiarum illigantur lepores. Hoc totum è ſophiſtarum fontibus defluxit in forum: ſed ſpretum à ſubtilibus,repulſum à grauibus, in ea,de qua loquor,mediocritate conſedit.

Phalereus Demetrius,qui in media ſuauitate verſatur,frequenter metaphoris vtitur,id eſt,tranſlatis verbis,epithetis,imaginibus,allegorijs, abuſionibus.Vtitur etiam crebrò immutationibus,quæ ſunt ſynecdoche & hypallage,quam metonymiam grammatici vocant. Vnde conſtat his quaſi ſtellis illuſtrari modicum genus,quod eſt moderatione quadam temperatum. In idem genus orationis verborum cadunt lumina omnia.Conduplicatio, iteratio verborum,commutatio,ſimiliter cadentia, ſimiliter deſinētia, paria relata,gradatio diſſoluta,coniuncta, & id genus cætera. Multa etiam cadunt lumina ſententiarum,vt commoratio, interrogatio, deſcriptio. Nonnulla ſunt quæ perraro collocantur,vt acriora,quibus ardet illud ſupremum genus,qualis eſt,ꝓſopopœia,vrgens interrogatio,apoſiopeſis,execratio.Quòd ſi paulò antè dixit,huic generi omnia dicendi ornamenta. conuenire, nunc autem dicit multa cadere,non omnia,ne contraria præcipere putato. Ornamentorum genera conueniunt omnia,quòd iterum paulò pòſt affirmat, Eſt inquit quoddam etiam inſigne & florens orationis pictum & expolitum genus,in quo omnes verborum,omnes ſententiarum illigātur lepores. Verum eſt tamen haud conuenire ſpecies omnes, præſertim quum ſuauitati ſtudeſ,vt à Phalereo Demetrio. Quòd ad inuētionē pertinet, latę eruditæꝗ

diſputationes,de re propoſita ab eodem Demetrio explicãtur. Latitudo demonſtrat Oratoris copiam.Eruditio oſtendit artem.Loci communes,hoc eſt θέσεις ac infinitę quæſtiones ſine cõtentiõe ab eo dicunt̃,q̃ ſi cũ graui comẽtione,id eſt,acerbitate & ardore multo dicerent̃,euaderẽt in illud ardens & acre genꝰ.Recipit ergo mediũ genꝰ latas & eruditas diſputationes , ac locos cõmunes,ſed ſine cõtentiõe & orationis,& pronũciationis. E Philoſophorũ ſcholis tales euadũt,qualis ille Demetriꝰ,ſedati,quieti,diſerti,ſuaues,copioſi, omnibꝰ propè ornamẽtis illuſtres ac decori.Illi per ſe ſuóq; genere probant̃, vt ſummi, niſi quãdo cõparat̃,hoc eſt contrà nitit̃ ille fortior,qui dicit̃ eloquẽtiſſimus. Alterũ genus eſt non tam mediũ,quã ab ordinę ſummo deuolutum,quale compoſuit Iſocrates cæterique quondam vocati ſophiſtæ: aut ꝙ Philoſophia abutebãtur ad quęſtum,vt eſt in Sophiſta Platonis,aut quòd id nominis etiam cum honore ferebatur,aut ꝙ eorum plérique plus oſtentationis, quàm veræ ſcientiæ haberent.Hoc genus floret inſigni elegantia, Pictum eſt colorum & figurarum varietate. Expolitum eſt pulcherrimo quoque cultu, & ornamento.In eo omnes verborum,omnes ſententiarum illigantnr lepores,hoc eſt dicendi venuſtates.Sed quòd antè dictum eſt,neque neruos,neque aculeos oratorios ac forenſes habet, ideòque ſummiſſius habitum eſt quàm illud graue dicẽdi genus , quia animos demulcere potius quàm perturbare contendit.Hoc in forum detulerunt Iſocratis aliquot diſcipuli,& ſectatores Philoſophorum non pauci,Plerique etiã Romani moribus & ſermone elegantes. Hac dicendi figura Cicero frequenter exprimit hominum rerúmque laudes, & conſilia tranquilla , & actiones gratiarum & Philoſophiæ partes . Non eſt hæc forma dicendi ſubtilis , non grauis & ardens,ergo media,ſed grauitati propior quàm ſubtilitati.

Tertius eſt ille amplus,copioſus , grauis, ornatus,in 43
quo profectò vis maxima eſt.Hic eſt enim cuius ornatum dicendi,& copiam admiratæ gentes, eloquẽtiam, in ciuitatibus plurimũ valere paſſæ ſunt: ſed hanc eloquentiam, que curſu magno ſonitúque ferretur, quam ſuſpicerent omnes,quam admirarentur, quam ſe aſſequi poſſe diffiderent.Huius eloquẽtiæ eſt tractare animos, huius omni modo permouere . Hæc modo perfringit,modo irrepit in ſenſus,inſerit nouas opiniones, euellit inſitas.

Tertio generi ſupremóque dignitas conuenit & amplitudo, copia rerum atque verborum,grauitas ſententiarum, ornatus & elocutio magnifica. Ex quibus tertius ille orator amplus,copioſus,grauis,ornatus videbitur. Ex is quatuor rebus duæ pariunt admirationem, copia & ornatus. Copia quantitatis eſt: Ornatus qualitatis. Duæ reliquæ magnæ quidem ſunt, ſed minus admirabiles,amplitudo & grauitas. Altera eſt dignitatis, altera verò põderis.Amplitudo legit digniora grãdioráque:Grauitas robuſtiora ac vehementiora. Cæterum non modo Oratorum, ſed etiam Philoſophorum amplitudo eſt & grauitas:Ideóque minus in admiratione ſunt. Admirantur ardentem hanc eloquentiam gentes, & eo ſuſpiciunt omnes, ꝙ eam ſe aſſequi poſſe, diffidunt: vt quæ magno curſu, tanquam rapidum flumen,magno ſonitu,quaſi torrens in prærupto feratur.Quòd autem gentes hanc eloquẽtiam ſuſpiciunt,eo in ciuitatibus plurimum valere patiuntur. Plurimum ſanè valuit Athenis & Romæ. Plurimum Rhodi,& in ciuitatibus Aſianis. Hinc ſcribit C.Carbone in concione verba faciente,ꝙ illiꝰ aptè numeroſéque ferebatur oratio, tantum clamorem concionis excitatum eſſe, vt admirabile eſſet.Huius eloquentię eſt tractare animos,& omni modo permouere. Hęc perfringit difficiliores aditꝰ,& more fulminis omnia perrumpit,vt illa Periclis.Eadem leniter irrepit in ſenſus eorum, qui vtilius callidè falluntur, quã aſpere concitantur.Inſerit nouas opiniones:euellit inſitas, vt de Cenſoribus pro Cluentio:de ſtoicorum placitis pro Murena.

44 Sed multum intereſt inter hoc dicẽdi genus,& ſuperiora.Qui in illo ſubtili,& acuto elaborauit, vt callidè argutéque diceret, nec quicquam altius cogitaret: hoc vno profectò magnus orator eſt, ſi non maximus, miniméque in lubrico verſabitur,& ſi ſemel conſtiterit,nunquam cadet.Medius ille autem, quem modicũ & temperatum voco,ſi modo ſuum illud ſatis inſtruxerit,non extimeſcit ancipites dicendi, incertóſque caſus:etiam ſiquãdo minus ſuccedet,vt ſæpe fit, magnum tamen periculum non adibit,altè enim cadere non poteſt. At verò hic noſter,quem principem ponimus,grauis,acer,ardens,ſi ad hoc vnum eſt natus,aut in hoc ſolo ſe exercuit,aut huic generi ſtudet vni,nec ſuã copiam

cum

cum illis duobus generibus temperauit, maxime eſt cõtemnendus. Ille enim ſummiſſus, quòd acute, & veteratorie dicit, ſapiens iam, medius, ſuauis: hic autem copioſiſſimus, ſi nihil eſt aliud, vix ſatis ſanus videri ſolet. Qui enim nihil poteſt tranquille, nihil leniter, nihil partite, definite, diſtinctè, facete dicere, præſertim cum cauſæ partim totæ ſint eo modo, partim aliqua ex parte tractandæ, ſi is non præparatis auribus inflammare rem cœpit, furere apud ſanos, & quaſi inter ſobrios bacchari vinolentus videtur.

Formas ſingulorum generum, vt per ſe ſolæ viderentur, effinxit. Déinde ordine cõparauit inter ſe, vt earum præſtantiſſima dignoſceretur. Subtile genus & intermedium tutiora ſunt: graue in lubrico verſatur. Illa diu patienter tolerare poſſumus, hoc ſi pergit in longum, vt inſanum contemnimus. Subtilis in hoc magnus eſt Orator, quòd callide argutéque dicit, id eſt ex vſu quodam argutas ſententias & acutas collocat. Non eſt idem maximus, quia nihil quicquam altius cogitat, quod tenuitati ſit impar. Is minime in lubrico verſatur, ſed vbi ſemel conſtiterit, hoc eſt quaſi pedem firmarit, nunquam cadet. Via trita eſt multiſque cõculcata & firmata veſtigijs, nulla circunſtant præcipitia, nullæ ruinæ. Significatur oratio depreſſa, & in imo poſita, vnde non licet graui caſu quaſi ex alto gradu corruere. Nihil enim eminet, ſed omnia ſermoni proxima ſunt, quæ non quemadmodum lubrica retinere facile eſt, etſi quando titubes eſt in proximo ſolum, quo gradum ſtabilias. In figura graui res arduæ ſunt, quas ſi continuare non poſſis, aut non debeas, vident omnes, vnde turpiter decidas. Hinc ridiculi fuere mali poëtæ, qui poſitis aliquot verſibus tumidis ac ſonantibus, in miſeros quoſdam verſiculos maieſtate relicta decidebant, in quos illud eſt. Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu. Hoc inepti faciũt in oratione. Principio verba affectata ac ſeſquipedalia ferruminãt, vbi defecit illa perrara materia, tum ad ſcopas diſſolutas reuoluuntur. Tutius igitur vti ſubtili figura, ſi gradum ſummum firmare nequeas, aut ſi paruis in rebus non debeas. Medius ille & temperatus ſi ſatis inſtruxerit, & rebus omnibus apparauerit ſuum illud genus, vt quum volet & aptare & continuare poſſit, nõ extimeſcet ancipites caſus, quæ ſunt ruinæ periculoſæ neſcientibus illa ſumma retinere. Quod autẽ ſit altior paulò quàm ſubtilis, grauius aliquanto cadit. Tamen ſi minus ſuccedit, vt ſæpe accidit in orando aduerſam obſtare fortunam, magnũ periculum nõ adibit,

quia alte cadere non poteſt, qui in alto non eſt. Si ſe demiſerit, imo genere ſuſtinebitur, neque maxime claudicabit. At verò hic noſter, hoc eſt quē principem ponimus, vt quem ſuſpiciunt & admirantur omnes, quia ſit grauis pondere rerum atque verborum, acer contentione & pugna forenſi, ardens amplificationibus, ſi ad hoc vnum eſt natus, quod eſt naturæ acrioris: aut in hoc ſolo ſe exercuit, quod eſt artis ac vſus: aut huic generi ſtudet vni, quod eſt voluntatis atque delectus, maxime eſt contemnendus. Debet igitur ſuam copiam cum illis duobus generibus temperare, vt ſubtilia & minuta acute dicat, & media temperate. Quod quia Virgilius etiam fecit, multo fuit auribus gratior, quàm Lucanus, qui grauiſſimam carminis heroici maieſtatem, vbique reſonare cupiebat. Ille ſummiſſus, quòd acute & veteratorie, id eſt callide dicit, ſapiens habetur. Acutis ſententijs tanquam ſtimulis animum pungit, præſertim ſi vſu occaluit, veteratórque ſit, & arguti dialectici perſimilis, argumentatione minuta ducit audientem, propterea ſapere videtur. Medius ille ſuauis eſt æquabili tranquillitate, ac ornamentorum varietate. Hic tam copioſus & acer, ſi nuſquam flectitur ab amplificandi contentione, vix ſatis ſanus videtur. Ergo verſatur in lubrico, & ignominiæ periculum ſubit, ſiue cadit, quum in ſummo ſtare oportet: ſiue in ſummo tonat, quum agere tranquille decet. Dicet quiſpiam, quando tranquille agere decet? hic oſtendit id oportere fieri in partitionibus ac diuiſionibus, in definiendis rebus & verbis, in diſtinguendis rebus implicatis, in facetis narrationibus, in iaciendo ridiculo. Nihil iſtorum ardenter & cōcitate fieri debet, quòd animus non perturbatur, ſed docetur. Ergo qui partite, definite, diſtincte, facete dicit, is & tranquille & leniter dicit. Erunt autem cauſſæ, partim totæ eo modo tractandæ, vt de agnatione, tutela, ſtipulatione, partim aliqua ex parte cum tranquillitate tractandæ: aut vbi fama & exiſtimatio laborat, vt pro Quintio: aut vbi vita in periculo eſt, vt pro Cœlio. Adde quòd raro incipimus ex abrupto, & ab amplificatione vehementi, ſed exordijs & expoſitionibus antè paramus aures, quàm rem contentionibus inflammemus. aliquid igitur in cauſſa grauiſſima, quiete tranquilléque dicēdum eſt: quod qui non fecerit, is furere apud ſanos, id eſt nullo motu concitatos, & quaſi inter ſobrios, qui cauſſæ vim non attigerunt, bacchari temulentus videbitur.

45 Tenemus igitur Brute, quem quærimus, ſed animo. Nam manu ſi comprehendiſſem, ne ipſe quidem ſua tanta eloquētia mihi perſuaſiſſet, vt ſe dimitterem. Sed inuentus profecto eſt ille eloquens, quem nunquam vidit Antonius. Quis eſt igitur is? complectar breui, diſſeram pluribus. Is enim eſt eloquens: qui & humilia

ſubtiliter, & magna grauiter, & mediocria temperate poteſt dicere. Nemo is, inquies, vnquã fuit. nec fuerit, ego enim quid deſyderem, non quid viderim diſputo: redeóque ad illam Platonis, de qua dixeram, rei formã, & ſpeciem, quam etſi non cernimus, tamen animo tenere poſſumus. Non enim eloquentem quæro, neque quicquã mortale & caducũ, ſed illud ipſum, cuius qui ſit cõpos, ſit eloquẽs, quod nihil eſt aliud, niſi eloquẽtia ipſa, quam nullis niſi mentis oculis videre poſſumus. Is erit igitur eloquens (vt illud idem iteremus) qui poterit parua ſũmiſſe, modica tẽperate, magna grauiter dicere.

Quærit Brutus, idque iam ſæpius, quod eloquentiæ genus Cicero probet maxime, & quod idem ſummum & perfectiſſimum iudicet. quoniam Cicero in vno viro illud inuenire non poteſt, eloquẽtiæ perfectæ ſpeciẽ, ad illã Platonis ideam refert. Vt autẽ cogitatione cõcipiamus ideam, tria breuiter circumſcribit genera dicendi: Déinde latius in ſpecies diſtribuit, vt formæ permultæ laudabiles eſſe videantur: Tandem fuſius exponit generum ſingulorum proprietates, vt hoc demum conficiat eum ſummum & perfectiſſimum videri, qui & humilia ſubtiliter, & magna grauiter, & mediocria temperate poteſt dicere. Tenemus, inquit, quem quærimus oratorem, non manu, quia nemo tantus inuenitur: ſed animo, qui ideam mente complectitur, vt non ſine cauſſa idea perfectæ eloquentiæ quæſita eſſe videatur. Iocatur, vt animi cauſſa fieri ſolet, Manu, inquit, ſi prehendiſſem, non modo ille vulgaris Orator, ſed ne ipſe quidem, ſua tanta eloquentia mihi perſuaſiſſet, vt ſe dimitterem. quo dicto, ſignificat ardere ſe amore eloquentiæ perfectæ: quæ ſi videri poſſet, miros amores ſui in animis noſtris excitaret. Hanc qui tenet, eſt ille eloquens, quem nunquam vidit Antonius, qui diſertos ait ſe vidiſſe permultos, eloquentem verò neminem. Quis eſt igitur is? dicet aliquis, Complectar breui, inquit, diſſeram pluribus. facile eſt rem paucis generibus aſtringere, ſed paucis explicare difficile eſt. Comprehendit Oratorem perfectum tribus omnino proprietatibus. qui humilia ſubtiliter, magna grauiter, mediocria temperate dicat. Nemo is, inquies, vnquã fuit. nec fuerit, inquit, Cicero. hoc eſt fateamur talem nunquam fuiſſe, ego quid deſiderem, nõ quid viderim, diſputo. Deſiderat autem rei formam & ſpeciem, quã Plato vocat ἰδέαν, de qua principio diximus. Idea vt Plato vult immortalis

eſt. Eloquens autẽ mortalis & caducus. Qui quærit igitur eloquentiã ipſam, aut eloquentiæ ipſius ideam, non quærit eloquentem, neque quicquã mortale & caducum, ſed immortale quoddam bonum, quod nullis niſi mentis oculis videre poſſumus. Mens hoc videt, cui nihil deſit, id eſſe perfectum, omnem eloquentiam, tribus in generibus verſari, eloquentem igitur qui poſſit parua ſummiſſe, modica temperate, magna grauiter dicere: quæ breuiter notata res propè innumerabiles continent.

46 Tota mihi cauſſa pro Cecinna de verbis interdicti fuit: res inuolutas definiendo explicauimus, ius ciuile laudauimus, verba ambigua diſtinximus. Fuit ornãdus in Manilia lege Pompeius: temperata oratione ornandi copiam perſecuti ſumus. Ius omne retinendæ maieſtatis Rabyrii cauſa cõtinebatur: ergo in omni genere amplificationis exarſimus. At hæc interdum temperanda, & varianda ſunt. Quod igitur in accuſationis ſeptem libris nõ reperitur genus? quod in Habiti? quod in Cornelii? quod in plurimis noſtris defenſionibus? quæ exempla ſelegiſſem, niſi vel nota eſſe arbitrarer, vel poſſe eligere qui quæreret.

Aliæ cauſſæ totæ ſubtiliter tractantur, aliæ temperatæ, aliæ grauiter, aliæ miſtæ ſunt & inæquales. Tres itaq; ſuas proponit orationes, quæ fere totæ in vno aliquo genere verſantur, tres alias miſtas omniq; genere variatas. Suas autem proponere videtur, quod euitet exempla Græcorum, nullumq; vnum Romanũ reperiat, qui ſit aſſecutus illam tripertitam varietatem, quoniam ſinguli ſingulis generibus modo floruerũt. Cauſſa pro Cecinna ſummiſſa eſt ac tenuis, quia ſic voluit rerũ decorũ. Verba definiũtur, inuoluta explicantur, ambigua diſtinguuntur: decebat igitur, definite, partite, diſtincte. dicere, hoc eſt tranquille & leniter, quòd animi docendi ſunt, non perturbandi, quòdq; ea res eſt, quæ nõ deſideret illa pulcherrima ornamẽta dicendi, Vſus eſt minuto quodam numero ac muſica ſummiſſa, non ſtuduit verba verbis, quaſi coagmẽtare, nõ anxie euitauit hiatũ vocalium. Sermo purus eſt & latinus, & inornato ſimilis dilucide planeq; dicit. Sentẽtiæ multæ acutæ. Cæterũ verecũdus eſt vſus oratorię quaſi ſuppellectilis: in his reb⁹ eſt ſubtilitas, quæ vulgatã loquẽdi conſuetudinẽ ſic imitat, vt aliquid tamen muniat occultius. Cecinna & Ebutius quũ de fundo quodã lite cõtenderẽt, & Cecinna in rem

præſentem de more veſtire cuperet, non eſt paſſus eum Ebutius in agrum venire, ſed hominẽ armata multitudine reiecit. P. Dolobella prætor interdixit, vt eſt conſuetudo de vi hominibus armatis ſine vlla exceptione, vt vnde Cecinnam deieciſſet Ebutius, reſtitueret. Hoc Dolabellæ interdictum eſt ex alio isto. Vnde tu aut familia, aut procurator tuus hominibus coactis armatiſve deiecerit, eo reſtituito. Vtriuſque interdicti verba Cicero interpretatur. Eſt autem interdictum quo prætor aliquid fieri iubet, aut prohibet. Verba ambigua ſunt Ebutij ita cauſſam tuentis, non deieci, ſed obſtiti: non deieci, ſed non ſiui accedere: non deieci, ſed te reieci atque perterrui: nõ licet à verbo legis recedere: non eſt vlla vis illata, age mecum lege iniuriarum. Quæ verba Cicero diſtinguit quemadmodum definit quid ſit vis, quoniam interdictum de vi interpoſitum eſt. Ista quidẽ minuta ſunt & implicata, eam obrem enucleato facilíque genere tractanda. In oratione pro lege Manilia, Pompeius ornatur, vt ſi bellum ſuſcipiatur in Mithridatem, qui ciues Romanos in Aſia necauerit, adminiſtret illud Pompeius imperator. Laus ampliſſimi viri neque forenſi acerbitate, neque humili oratione, ſed temperata mediáque grauitate tractanda eſt. Conueniebat igitur apta modulatione, ſuauibúſque numeris explere ſententias, verba verbis coagmẽtare, & ad lenitatem modorum ſępe continuare periodos, vti dénique pulcherrimis quibúſque conformationibus & ornamentis, quibus illæ ſententiæ concinnæ, magis quàm veræ certæque veſtirentur. Pars igitur altera de laude Pompeij tibi legẽda eſt, & auribus animoq; dimetienda, vt intelligas aliquid eſſe plenius & maius quàm tenue dicendi genus exemptum numerorum vinculis, Vt etiam ſentias abeſſe contentionem acrioribus numeris ac figuris intortã, quibus fulminat acre dicendi gen⁹. Oratio pro Rabyrio Perduellionis reo, omne genus amplificationis, hoc eſt grauiſſimæ contentionis expoſtulare videbatur, proterea q; quum Saturnin⁹ decreto ſenatus à Caio Mario cõſule caſus eſſet, & vna cum alijs Rabyrius ſæuijſſet, capútque Saturnini circumtuliſſet, Labienus cui patruus fuerat Saturninus, contra legem Portiam & Semproniam ſic intendebat actionem, vt ſi Rabyrius damnatus eſſet à duumuiris, in campo Mario infœlici arbore penderet. In qua Rabyrij cauſſa ius omne retinendę maieſtatis Po. Romani continebatur, q; C. Gracchus tulerat legem, Ne de capite ciuis Romani iniuſſu populi iudicaretur, qui turpe duceret ciuem Romanum, ab vno paucíſve morte damnari. Ergo Cicero ne tam grauis accuſatio inoleſceret, ſimul vt Labieno crearet inuidiam, vehementer & atrociter egit hanc cauſſam, quę q; in manibus eſt, & ab omnibus cognoſci poteſt, & quàm grauis, acris, & ardens ſit facile iudicari, non abutar opera in conſtituendis longioribus exemplis. Ad hęc interdũ genera pro rerũ varietate temperanda, hoc eſt miſcenda variandáque ſunt. Quod ipſe fecit in accuſationis ſeptem libris, hoc eſt ſeptem actionibus in Verrem, quod in oratione pro Aulo Cluētio Habito, quod in orationib⁹ pro Cornelio. Hunc reum maieſtatis defendit Cicero prætor, nec vna oratione. Nã

infra mentionem facit de Corneliana ſecunda,ſed nõ extãt orationes,libros appellat,vt Quintilianus tertio,Et editi,inquit,in competitores, in L.Piſonẽ, & Clodium, & Ciceronem libri, vituperationem cõtinent. Longum eſt & inutile exẽpla ſecernere & aſcribere.Sat eſt igitur notare locos . Tenue genus eſt actione tertia fere tota,vbi agit de prętura vrbana & Verris edictis. Medium actione quarta,vbi commemorat Heraclij Siracuſani calamitatem. Graue autem in eadem actione,vbi Verrem vrget de accepta à Sopatro pecunia.Pro Cluentio ſubtile eſt quod Bulbus & Gutta iudices colloquuntur. Temperatum,quo iudices exornat eos,qui non abſoluerũt Opianicum.Ardens,quod excitat poſt cẽſoriam notam vbi acriter exaggerat Opianici flagitia.Eadem genera variat in alijs defenſionib⁹,pro Cœlio,pro Sextio, pro Milone,& certe natura ducit nos,vt plus minúſque conemur,vt ſunt res aut maiores,aut minores.Quæ deceant , ſentimus omnes . ſed conantibus haud ſuccedunt.Itaque ſummum eſt ſtylum rebus aptare poſſe. Monẽdi ſunt imperitiores,ne locorum diſcrimen ab vna alteráve ſententia diſcant.Totæ legendę ſunt non modo paginæ,ſed argumentationes abſolutę.Nec enim ab vno quadrato lapide & aurata columna magnificam domum iudicamus, ſed ab vniuerſa extructione,ac toto ædificij corpore æſtimare debemus.

47 Nulla eſt enim vllo in genere laus oratoris,cuius in noſtris orationibus non ſit aliqua ſi non perfectio , at conatus tamen,atque adumbratio.non aſſequimur , at quid deceat videmus:nec enim nunc de nobis , ſed de re dicimus : in quo tantum abeſt vt noſtra miremur, vt vſque eo difficiles ac moroſi ſimus,vt nobis non ſatiſfaciat ipſe Demoſthenes: qui quanquam vnus eminet inter omnes in omni genere dicendi , tamen non ſemper implet aures meas:ita ſunt auidæ,& capaces,& ſemper aliquid immenſum, infinitúmque deſyderant. Sed , tamen quoniam & hunc tu oratorem cum eius ſtudioſiſſimo Pammene,cum eſſes Athenis, totum diligentiſſime cognouiſti, neq; eum dimittis è manibus, & tamen noſtra etiam lectitas : vides profecto illum multa perficere,nos multa conari:illum poſſe, nos vel-

le,quocunque modo cauſa poſtulet,dicere.Sed ille magnus,nam & ſucceſſit ipſe magnis, & maximos oratores habuit æquales:nos magnum feciſſemus, ſi quidem potuiſſemus quo contendimus peruenire,in ea vrbe,in qua (vt ait Antonius) auditus eloquens nemo erat. Atqui ſi Antonio Craſſus eloquens viſus non eſt, aut ſibi ipſe, nunquam Cotta viſus eſſet, nunquam Sulpitius, nunquam Hortenſius. Nihil enim ample Cotta, nihil leniter Sulpitius, non multa grauiter Hortenſius. Superiores magis ad omne genus apti,Craſſum dico,& Antonium.Ieiunas igitur huius multiplicis, & æquabiliter in omnia genera fuſæ orationis aures ciuitatis accepimus,eáſque nos primi,quicunq; eramus, & quátuluncunque dicebamus, ad huius generis dicendi incredibilia ſtudia conuertimus.

Poſitis cuiuſque generis exẽplis, quid ſentiat ipſe de ſuis & alienis interpretatur.Laus oratoris eſt in aptanda generum varietate. Hanc qui perficit,habendus eſt ſummus. Qui verò conatur modo & adumbrat, vt pictor bonus quidem, ſed qui tamen extremam imponere manum neſciat, is eſt ſi non optimus,tamen in ſuo genere laudandus, qualem Cicero decori ſeruandi aptéque dicendi gratia ſe fatetur. Ineptus eſſet & ſtultus, ſi quod diuinum ſummúmque putat in nullo vno reperiri poſſe, id ſibi glorioſe arrogaret,quod facere viſus eſſet, niſi ſuſpitionem præmunitione auertiſſet. Non aſſequimur,inquit,hoc eſt id quod attingere lubet, haud apprehendimus, at quid deceat,videmus. nempe decet characteres accommodare ſententijs.Nec enim de nobis,qui ſumus homines,ſed de re, hoc eſt eloquentia diuina & immortali dicimus.nec noſtra miramur,vt qui φιλαυτίᾳ ducũtur, ſed difficiles & moroſi ſumus,hoc eſt tam moleſte ſeueri,vt nihil improbũ, nihil ineptum,nihil vlla ex parte vitioſum, nihil imperfectum arridere poſſit.Nobis Demoſthenes ſatiſfacere debeat, qui vnus eminet inter omnes in omni genere dicendi, ſed nobis non ſatiſfacit, quanto minus, egometipſe mihi? Cur ita? quia non ſemper implet aures meas.Quamobrem? Sunt aui-

dæ & capaces,hoc eſt plurima capiendi percupidæ. Sic enim verbalia iſta ſignificant,rapax,vorax,loquax.Quomodo cupidæ? ſemper aliquid immenſum infinitúmque deſiderant.Quidnam? Numerum ſane,cuius comprehenſione ad implendum aurium ſenſum cum ſuauitate procurrit oratio.Aliúdne eſt quod deſiderant? Maxime,ne quod tractare cœperis,antè relinquas alióq; diuertas,quàm totum impleueris locum,in amplificationibus præſertim,quę copiam deſiderant.Sentiunt ij qui dicere conantur amplius,aut ſcribere,animum neſcio quid parturire , quod tamen edere non poſſit . Inde fit vt alia quærentes,nec inuenientes,impetu quodã ad antedicta reuoluamur. Is animus cupit quocũque modo cauſſa poſtulat dicere,ſed hoc perraro aſſequitur,quod aſſecutus eſt ferè Demoſthenes.Sic enim Cicero non omnia , ſed multa perfeciſſe contendit.Eius rei Brutum conſtituit iudicem, qui quũ eſſet Athenis,non Demoſthenẽ ipſum cognouit,aliquot antè ſæculis mortuũ,ſed libros eius diligentiſſimè cognouit . Erat enim Brutus homo ſtudioſiſſimus philoſophiæ & eloquẽtiæ , adhibuitque ſibi virum perdoctum Pammenem Demoſthenis illius ſtudioſiſſimum , quo in ſtudijs græcis vteretur . Idem quum reuerſus eſſet in Italiam,Demoſthenis orationes atque Ciceronis frequenter habebat in manibus.Poterat igitur Brutus homo ingenioſus , doctus,diligens,de vtriuſque Oratoris virtutibus iudicare.Vides , inquit, illum multa perficere,quod eſt magnæ facultatis:nos multa conari,quod eſt egregiæ voluntatis:illum poſſe,nos velle quocunque modo cauſſa poſtulat, dicere:quod eſt optime dicere.Si omnibus in rebus ſuccederet, ſummi eſſet artificis,ſed in multis,nõ in omnibus,Demoſthenẽ hoc potuiſſe , ſuperiora declarant . An Cicero Demoſtheni cedat quadam modeſtiæ ſimulatione , an re vera inferiorem ſe putet,non eſt facile iudicare . Certe Tuſculana prima non multum,aut nihil omnino Græcorum gloriæ cedit. Oratorem , inquit, celeriter amplexi ſumus,nec eum primo eruditum,aptum tamẽ ad dicẽdum, Poſt autem eruditum,Nã Galbam,Africanum,Læliũ doctos fuiſſe memoriæ traditũ eſt.ſtudioſum autẽ eũ qui hos ætate anteibat, Catonẽ,Gracchos, deinde ita magnos noſtram ad ætatem , vt non multum , aut nihil omnino Græcis cederetur . Quintilianus in eandem ſententiam , Oratores verò vel præcipue latinam eloquentiam parem facere Græcæ poſſunt . Nam Ciceronem cuicunque eorum fortiter oppoſuerim.Deinde ſic comparat , vt Cicero par,aut maior illius ſentẽtia diſcedat.Percurre ſi videtur , locum in eius decimo libro Quòd ſi Demoſthenes arte ſuperior fuit, id nõ ingenio,& labori vult attribui,ſed tempori,quia ſucceſſit ipſe magnis, vt Pericli , Lyſiæ, Therameni,Et maximos Oratores habuit æquales,hoc eſt ætate pares , vt Hyperidem,Lycurgum, Aeſchinem,Dynarchum. Superiores habuit , quos imitaretur,Aequales à quibus exerceretur.Eodem loci contendit Cicero ,vt qualis ille fuit,ſic magnus eſſet,& eo quidem peruenit: quod quia non audet confiteri , modeſtius agit hoc modo:Nos magnum feciſſemus,ſiquidem potuiſſemus,quo contendim⁹ peruenire . quib⁹ verbis ſignificat ſe magnum

in eloquentia feciſſe,nec id gloria carere.Nam quo res difficilior,eo videtur ad gloriam victoris eſſe præſtantior. Succeſſit & Cicero multis, de quibus in Bruto multa: ſed ita clari fuerunt Oratores, vt vnum modo ſequerentur genus,vt Cotta tenue,Sulpitius graue,Hortenſius mediū.Craſſus ille quem maxime laudat,ad grauitatem,Antonius ad ſubtilitatem propenſior. Vterq; varius, quantum ferebat ætas illa rudior: qui ſi principes veterum fuerunt, nec tamen apte genera variare potuerunt,Iure ſuo dicit,aures ciuitatis accepiſſe ieiunas,inopes,& inanes huius multiplicis orationis, quæ ſe æquabiliter in omnia genera fundit, hoc eſt æquabiliter apta eſt, ad concinnandum quodcunque genus diuerſa materia poſtulabit. Primus igitur aures ciuium conuertit ad incredibilia ſtudia generis huius audiendi,& ita voluptate ciuitatem affecit,vt dictu ſit incredibile quantopere ſtuderent, vellēntque ciues audire hoc dicendi genus.

Quantis illa clamoribus adoleſcētuli diximus,de ſupplicio parricidarū?quæ nequaq̄ ſatis deferbuiſſe pòſt aliquāto ſentire cœpimus. Quid enī tā cōmune q̄ ſpiritus viuis,terra mortuis,mare fluctuantibus,litus eiectis? Ita viuunt dum poſſunt, vt ducere animā de cælo non queāt:ita moriuntur,vt eorū oſſa terrā non tangant: ita iactātur fluctibus,vt nunq̄ alluantur: ita poſtremò eiiciuntur,vt ne ad ſaxa quidem mortui conquieſcant. & quæ ſequuntur.Sunt enim omnia,ſicut adoleſcētis,non tā re,& maturitate, quàm ſpe & expectatione laudati. Ab hac indole iam illa matura, Vxor generi, nouerca filii,filiæ pellex.Nec verò hic vnus erat ardor in nobis, vt hoc modo omnia diceremus. ipſa enim illa pro Roſcio iuuenilis redundantia multa habet attenuata,quædam etiam paulò hilariora.At pro Habito, pro Cornelio,complurēſque aliæ: nemo enim orator tam multa, ne in Græco quidem otio,ſcripſit,quàm multa ſunt noſtra:eáque hanc ipſam habēt,quam probo,varietatem. 48

Subdit exempla,quibus incredibilia audiẽdi ſtudia & auditorum clamores excitauit.Alterum eſt ex oratione pro Sexto Roſcio , alterũ pro Cluentio. vtrunque graue quidem, ideóque magna contentione , magniſque clamoribus agendum fuit . Quia ſic eſt actio & pronunciatio , vt grauia contente efferat atque vehementer. Sunt alia apud ipſum permulta pro Cluentio,in Catilinam,pro Murena.quæ multis quum diceretur,admirationi fuerunt,& nunc dicendi varietatem oſtendunt . Orationem pro Sexto Roſcio dixit anno ſexto & vigeſimo,ſi Quintiliano credimus.Verba ſunt eius libro duodecimo.Fructum ſtudiorũ viridem , & adhuc dulcem promi decet,dum & venia & ſpes eſt,& paratus fauor,& audere non dedecet, & ſiquid deſit operi ſupplet ætas,& ſiqua dicta ſunt iuueniliter,pro indole accipiuntur , vt totus ille Ciceronis pro Sexto Roſcio locus.Quid enim tam cõmune quàm ſpiritus viuis? terra mortuis? mare fluctuantibus? litus eiectis? Quæ quum ſex & viginti annos natus , ſummis audientium clamoribus dixerit , deferuiſſe tempore,& annis liquata iam ſenior,idem fatetur.hac ille.de ætate Ciceronis,ſentit idem Feneſtella. Gellius affirmat annos iam ſeptem & viginti natum eam orationem dixiſſe. L. Sylla fœlice , Quinto Metello pio conſſ. Ipſe ſe adoleſcentulum,tum ſe fuiſſe dicit.Amplificat autem ſupplicium parricidarum, qui inſuti in Culeum, præcipitabantur in mare . E ſupplicio planum facere vult quam atrox facinus habeatur,interficere parentem,quo minus credibile ſit tantum ſcelus admiſiſſe Roſcium.Spiritus, id eſt aër viuis ad ſpirandum, terra mortis ad ſepeliendum, mare fluctuantibus ad deferendũ, litus eiectis ad recipiendum commne eſt Inſuti in culeum,ducere animam, id eſt aërem non queunt,eorum oſſa terram non tangunt , quoniam culeus eſt interpoſitus , quo etiam reſiſtente non alluuntur , nec ad ſcopulos conquieſcunt.Hæc ſunt adoleſcentis,aut vt paulò antè dicebat, vt res admirabilior videretur,adoleſcentuli,non re & eloquentia vera,ſed ſpe,non maturitate fructus , ſed expectatione , laudati . Nam illa tanto plauſu & clamore laudata,nequaquam ſatis deferbuiſſe , hoc eſt more muſti deferuendo atque refrigerando cocta fuiſſe poſt aliquanto ſentire cœpit.Deferuiſſe Quintilianus poſuit pro refrixiſſe , quod & Columella fecit . Paulò aliter hoc verbi Cicero vſurpauit, & tanquam verbum interpretaretur , paulò pòſt rem dixit immaturam.Quæret aliquis,Cur ea nequaquam ſatis deferbuerant? Plerique deierabunt occultari ſecreta quędam myſteria,tanquam Eleuſinę Cereris, id ſolent quidem multi, vt ſoli ſapere videantur, qui parum , aut nihil ſapiunt.Certe perſpicuum eſt,non hoc in verbis & bonis & compoſitis eſſe poſitum , ſed in re & inuentione tenui atque ſubtili , quæ multo minor eſt, quàm quæ tantæ contentioni reſpondeat . Voluit enim videri grauiſſima, quę natura ſunt leuia,vt oſſa terram non tangere,vt non allui,vt ad ſaxa nõ conquieſcere , quæ ſi quis diligenter inſpiciat , ridicula potius quàm admiranda videbuntur , ſed neſcio quomodo placent , vbi tandem incaluit oratio : quia parricidam priuare omni vſu elementorum videntur . Ab hac in-

dole,id eſt natura,bonæq; ſpei ingenio, iam quemadmodum ſuperiora ſunt feruida potius quàm matura,ſic illa matura,naturáq; grauia ſunt. Vxor generi,Nouerca filij, filiæ pellex. Quæ grauiter à Cicerone pro Cluentio dicta meruerunt ciuitatis admirationem.Saſſia Cluenti mater, Aurium Melinum generum ſuum pellexit in amorem, quod ægre ferens vxor Melini. Cluentia, diſceſſit à viro. Tum Saſſia diuortio facto nupſit Aurio Melino nuper genero ſuo.Nubit, inquit, genero ſocrus, nullis auſpicijs, nullis authoribus,funeſtis ominibus omnium,& in peroratione, atque etiam nomina neceſſitudinum,non ſolum naturæ nomen & iura mutauit, vxor generi, nouerca filij, filiæ pellex. eo iam dénique adducta eſt, vt ſibi præter formam, nihil ad ſimilitudinem hominis reſeruarit. Cur, inquies, hæc matura ſunt? Nihil coctius in eo genere inueniri poteſt, quod animi quaſi palatum iuuet,inuentio quidem optima eſt,& ipſa rei nouitate potentiſſima.Nec vero hic vnus erat ardor in nobis,quæ dicitur contentio,à Græcis φιλαρετής, vt hoc modo & tam grauiter omnia diceremus. Ipſa illa pro Roſcio iuuenilis redundantia habet attenuata,id eſt ad genus humile deiecta, vt quum diſputatur cum accuſatore Erucio,de parricidij cauſſis. Quædã etiam paulò hilariora, quæ ad generis medij ſuauitatem pertinent,vt quum agitantur accuſatores,& canibus & anſeribus conferuntur.Quam accipimus hic iuuenilem redundantiam? Sanè copiam rerum minorum, quæ non tam grauia legit, quàm dicit omnia & inculcat. Sunt & aliæ multæ Ciceronis orationes,quæ hanc ipſam habent trium generum varietatem. Nemo enim Orator tam multa ſcripſit,ne in Græco quidem ocio, quum ad tempora Socratis lex Athenis eſſet,vt quiſque pro ſe diceret,patrono & Oratore ne vteretur,& Oratores à foro ſemoti,in ocium traducti, domi ſcriberẽt orationes, quibus vterentur homines infantes & linguæ forenſis imperiti.

An ego Homero,Ennio,reliquis poëtis, & maxime Tragicis concederem,vt ne omnibus locis eadem contentione vterentur,crebróque mutarent: nónunquam etiam ad quotidianum genus ſermonis accederent:ipſe nunquam ab illa acerrima cõtentione diſcederem? Sed quid poëtas diuino ingenio profero? Hiſtriones eos vidimus,quibus nihil poſſet in ſuo genere eſſe præſtantius, qui non ſolum in diſſimillimis perſonis ſatisfaciebant,cum tamen in ſuis verſarentur:ſed & comœdum 49

in tragœdiis, & tragœdum in comœdiis admodum placere vidimus. ego non elaborem? cum dico me, te Brute dico: nam in me quidem iam pridem effectum eſt, quod futurum fuit. tu autem eodem modo omneis cauſas ages? aut aliquod cauſarum genus repudiabis? aut in iiſdem cauſis perpetuum, & eundem ſpiritum ſine vlla commutatione obtinebis? Demoſthenes quidem, cuius nuper inter imagines tuas, ac tuorum, quòd eum credo amares, cum ad te in Tuſculanum veniſſem, imaginem ex ære vidi: nihil Lyſiæ ſubtilitate cedit, nihil argutiis & acumine Hyperidi, nihil lenitate AEſchini, & ſplendore verborum. Multæ ſunt eius totæ orationes ſubtiles, vt contra Leptinem: multæ & totæ graues, vt quædam Philippicæ: multæ variæ, vt contra AEſchinem falſæ legationis, vt contra eundem pro cauſa Cteſiphontis. Iam illud medium, quoties vult, arripit, & à grauiſſimo diſcedens, eo potiſſimum delabitur. Clamores tamen tum mouet, & tum in dicendo plurimum efficit, cum grauitatis locis vtitur.

Etſi commendantur inſignes loci, & plauſum mouent orationis illæ grauiſſimæ partes, non tamen eodem modo ſemper erit agendum, quod hæc atrocitas in re minore videatur inſana. Adhibenda varietas illa naturæ grauiſſima, quam prudentiſſimi quique, etiam citra eloquentiam temperare ſolent. Conſtituit igitur ab illa acerrima contentione, ſæpe eſſe diſcedendum, nec eodem modo agendum, nec aliquod cauſſarum genus eſſe repudiandum. Hæc vt confirmet, comparationem ducit à poëtis & hiſtrionibus, cuius eſt hæc vis. Homerus poëtarum omnium facilè princeps, Et Ennius ante Virgilium, Latinorum ſummus, & tragici tam Græci quàm Latini, vt Euripides Accius, etſi grandia conſcribunt, tamen à contentione diſcedunt, & aliquando ad cottidianum genus ſermonis accedunt. Hiſtriones etiam ſubinde mutant actionem. Quid oratori faciundum eſt? qui ſi ab elocutione dictus eſt eloquens, hoc certe proprium munus habet, ſuam rebus

aptare compoſitionem? Homerus, Quintiliani verbis vtar, breuem quidem cum animi iucunditate, & propriam, id enim eſt non errare verbis, & carentem ſuperuacuis, eloquentiam Menelao dedit, quæ ſunt virtutes generis illius primi. Et ex ore Neſtoris dixit dulciorem melle profluere ſermonẽ, qua certe delectatione nihil fingi maius poteſt. Sed ſummam aggreſſus, vt in Vlyſſe facũdiã, magnitudinẽ illi iũxit. cui orationẽ niuib⁹ hybernis & copia verborum atque impetu parem tribuit. Erit igitur Homerus ipſe de ſe teſtis, non in vno ſemper genere conſtitiſſe, nec difficile eſt ſeligere locos. Certe Virgilius imitator eius, nõ modo ſingulis libris varia genera accommodat, ſed pene totos libros habet, aut tenues, vt quintum, aut medios, vt ſextum, aut graues, vt decimum. quanquam & in his eſt aliqua varietas pro conditione rerum. Sed hoc minus in Poëtis mirandum videtur, qui ſi tanto nomine digni ſunt, eo certe valent ingenio, vt afflati numine credantur. Admirabilius eſt in hiſtrionibus, hoc eſt actoribus fabularum, qui ſi in ſuo genere perfecti ſunt, qualem Cicero Roſcium vidit, in diſſimillimis perſonis ſatiſfaciunt, vt regis, patriſfamiliãs, militis, paraſiti, lenonis: quod quidem facere non poſſent, niſi genus actionis immutarent, quum tamen in ſuis perſonis verſarentur, & iidem ipſi manerent. vt Roſcius agens Agamennonem, nihil aliud eſt quàm Roſcius. Satiſfacit igitur in diſſimillima perſona, quum tamen in ſua verſetur. Nec hiſtrio in vno tantum genere fabularum mutat actionem, ſed & ipſa genera mutare poteſt, vt ſi comœdiã tragœdus, tragœdiam comœdus aget: In comœdia lenitate pronunciandi, in tragœdia lateribus & contentione vocis vtetur. Sic iuuenis Orator, vt Brutus, dum per ætatem licet, elaborare debet, ne eodem modo omneis cauſſas agat, ſed quum varia cauſſarum genera receperit, aliud humile, aliud acre, aliud medium, tum ſpiritum vimque dicendi, pro rerum natura commutare debebit. Id fecit ille Demoſthenes, cuius authoritas apud. M. Brutum plurimũm valere debet, qui hominem tam vehementer amet, vt eius imaginem, ex ære domi ſeruet, & inter imagines ſuas, ac ſuorum perinde veneretur, ac ſi vnus è familia Brutorũ Demoſtheues fuiſſet. Nobiles Romanos imagines, & ſtemmata maiorum ſuorum, maxime eorum qui vel magiſtratũ populi Romani geſſiſſent, vel alia ratione clari fuiſſent, habuiſſe, illiſque ſuas addidiſſe notum eſt. Habebat imagines ſuorum Brutus & ſuas, quas in villa Tuſculana ornamenti cauſſa ſeruabat, & in illis Demoſthenis imaginem cuius induſtriam amplectabatur. Nouit igitur Brutus, vt ille verſetur in omni genere dicendi, Nunc ſubtilia de more Lyſiæ perſequatur, & tenue filũ ducat rerum minutarum. Nũc erigat ſe paulũm ad argutias & acumen Hyperidis Oratoris clariſſimi, qui non tam familiaris erat, & obuius in oratione quàm Lyſias, de quo ſupra diximus: ſed illo paulò dulcior & compoſit⁹ magis, ac in fingendis animi ſenſibus acutior. quanquam non ita longe à tenuitate diſcedebat. Nunc genus medium teneat, ac moduletur illam Aeſchynis ſuauitatem, & illuſtret ſplendore verborũ, Nunc vt in re graui ſit omniũ

grauiſſimus acerrimúſque. Huius varietatis exempla proponuntur, ὁ περὶ ἀτελείας πρὸς λεπτίνην λόγος, oratio contra Leptinen de immunitate, qui quum ciuitas Athenienſium bene de Republica meritos immunitate donaret, & id è Repub. non eſſe videretur, legem promulgauit, ne quis immunis eſſet, & qui peteret immunitatem attributorum, & vectigalium, & grauaminum, pateretur extrema. Demoſthenes hanc legem inutilem, inhoneſtã, iniquam putat. agit in eum de ratione legum, de rogationib' populi rebúſq; Gabriç & hęc vt decet, tenuiter explicat. Contrà, vehementer agit in Philippum Macedonum regem, propterea q; dictis inflammare velit ciuitatem in eum Tyrannum, qui contendit Athenienſibus auferre libertatem. Quas in eum dixit orationes, hic à Cicerone Philippicæ dicuntur, quo nomine poſtea dixit ſuas Antonianas, quoniam Antonius in occupanda libertate Philippus alter videbatur. Nonnunquam Demoſthenes idem in eadem oratione, quum rerum variæ ſunt partes, genera mutat. vt contrà Aeſchynem περὶ τῆς παραπρεσβείας, hoc eſt reum falſæ legationis. Aeſchynes ſemel & iterum legatus fuerat ad Philippum & propoſita turpi conditione pacis cum Philocrate conſenſerat, ac in proferẽdo tempore fuerat in cauſſa cur Athenienſes in Thracia cæderentur. Obijcit etiam Demoſthenes accepta pecunia regis falſum renunciaſſe propter quòd periere Phocenſes. In ea cauſſa ſubtiliter tractat aliquot epiſtolas atque decreta. Locus eſt de teſtibus in genere temperato. Sunt & amplificationes graues de proditione legati. Egit in eundem Aeſchynem cauſſam Cteſiphontis percelebrem. de qua alio loco diximus. Idem illud medium genus quoties vult arripit tanquam bellicum inſtrumentum, & in id genus potiſſimum delabitur, quum à grauiſſima illa & acerrima contentione diſcedit, quæ plurimum efficit ad auditorem clamore perlata.

50 Sed ab hoc parumper abeamus, quandoquidem de genere, non de homine quærimus: rei potius, id eſt eloquentiæ, vim & naturam explicemus. Illud tamen, quod iã antè diximus, meminerimus nihil nos præcipiendi cauſa eſſe dicturos, atque ita potius acturos, vt exiſtimatores videamur loqui, nõ magiſtri. in quo tamẽ longius progredimur, quod videmus non te hæc ſolum eſſe lecturum, qui ea multo quàm nos, qui quaſi docere videamur, habeas notiora. ſed hunc librum etiam ſi

minus noſtra commendatione, tuo tamen nomine diuulgari neceſſe eſt. Eſſe igitur perfectæ eloquentis puto, non eam ſolum facultatem habere, quæ ſit eius propria, fuſe, latéque dicendi: ſed etiam vicinam eius, atque finitimam dialecticorum ſcientiam aſſumere: quanquã aliud videtur oratio eſſe, aliud diſputatio, nec idem loqui eſſe, quod dicere, attamen vtrunque in diſſerendo eſt: diſputandi ratio & loquendi dialecticorum ſit, oratorum autem dicendi & ornandi. Zeno quidem ille, à quo diſciplina Stoicorum eſt, manu demonſtrare ſolebat, quid inter has artes intereſſet. Nam cum compreſſerat digitos, pugnúmque fecerat, dialecticã aiebat eiuſmodi eſſe. Cum autem diduxerat, & manum dilatauerat, palmæ illius ſimilem eloquentiam eſſe dicebat. Atque etiam ante hunc Ariſtoteles principio artis Rhetoricæ dicit illam artem quaſi ex altera parte reſpondere dialecticæ: vt hoc videlicet differãt inter ſe, quòd hæc ratio dicendi latior ſit, illa loquendi contractior. Volo igitur huic ſummo, omnem, quæ ad dicendum trahi poſſit, loquendi rationem eſſe notam.

Is eſt eloqnens qui humilia ſubtiliter, & magna grauiter, & mediocria temperate poteſt dicere. Hoc, vt ait, complectitur breui, diſſerit pluribus. Incipit igitur ex ordine omnia monſtrare quæ faciunt ad eloquentiam perfectam, vt cognitis rebus, carúmque naturis, & parata dicendi facultate, tria illa genera dicendi facilè accommodentur. Ab hoc Demoſthene, inquit, parumper abeamus, redituri quum expedierit, quandoquidem de genere perfectæ eloquẽtiæ, non de homine quærimus, rei potius quã hominis, id eſt eloquẽtiæ vim & naturã explicemus, quas habeat facultates, quáſq; partes. Hæc parandi gratia dixit. Vbi quærat aliquis, quænã ratio collocãdi fecit, vt iſta ſepararet ab inuẽtione, collcatione, actione, memoria, elocutione, hoc eſt quinq; rhetoricæ partibus, quas antè mutato ordine tractauuit. Re-

ſpondeam vim Oratoris breuiter oſtendiſſe. Nunc autem fuſius explicare, qui mirabiles haberi poſſint tres ex illis ampliſſimę partes, inuẽtio, collocatio & elocutio. Superiora eo tendebant, vt inueniretur ſummus orator, hęc conſilium tractant, quibus ille rebus ſummus effici poſſit: ſic tamẽ, vt quaſi digito monſtrentur, non in aliqua præcepta redigantur. Nam dixit antea, Nulla præcepta ponemus, neq; enim id ſuſcepimus, ſed excellentis eloquentiæ ſpeciem & formam adumbrabimus. Et hic eadem conſtituit auertendæ calumniæ cauſſa. Nihil, inquit, præcipiendi cauſſa dicemus, ſed ita potius agemus, vt exiſtimatores & in ęſtimanda re arbitri videamur loqui, non magiſtri atque præceptores. Id eo facit quod alijs in libris præceperit, nunc ſuũ Bruto de ſumma eloquẽtia exponat iudicium. Quòd autem partes omneis, vt paulò antè dixi, notauit, nunc amplius exponat opes eloquentiæ ac minutius rerũ ſpecies diuidat, ideo præfat id ſe facere, quoniam hũc librum diuulgari neceſſe eſt, & ad rudiores peruenire, quibus nihil vnquam ſatis explicatum eſt. Hic Bruti commendat eruditionem, aut certe veretur ne virum doctum pluſquam velit, docendo moretur. Ad orationis materiam ſumat Orator dialecticen, philoſophiam moralem, & naturalem, ius ciuile, hiſtoriam: deinde ſe transferat ad cauſſas. Hæc qualia ſint ordine commõſtrat, & eadem tractat primo libro de Oratore. Eſt igitur eloquentiæ perfectæ non habere ſolum facultatem fuſæ lateque dicendi, hoc eſt rhetoricen copioſe differentem, quæ ſit eloquentiæ propria facultas & ſcientia, ſed aſſumere dialecticen, quæ ſit arti rhetoricæ vicina atque finitima. Hoc illę differũt inter ſe. Rhetorices eſt oratio copioſa & ornata. Dialectices autẽ diſputatio breuis & inornata: hæc loquitur incompte: illa dicit ample & ornate. Conſentiunt in alijs, vtraque in differendo eſt, vtraque inuenit differendi materiam, vtraque ad probandum tractat argumentationẽ. Zeno Stoicorũ princeps, nam fuerunt alij vt Zeno Eleales Parmenidis auditor ac dialectices inuentor. alius Zeno Rhodius, qui Rhodiorum ſcipſit hiſtoriam. alius hiſtoricus, qui Pyrrhi res in Italia geſtas literis mandauit. alius Chryſippi diſcipulus. alius medicus. alius grammaticus. alius Epicureus. hic Zeno Citticus à quo diſciplina Stoicorum eſt, quum digitis compreſſis pugnum fecerat, Dialecticam aiebat eiuſmodi eſſe prẽſſam & anguſtam. Quum autem diduxerat & manũ dilatauerat, palmæ illius, hoc eſt manus apertæ ſimilem eloquentiam, apertam, copioſam & expoſitam eſſe dicebat. Idem de eodem ſecundo de finibus, Zenonis eſt hoc Stoici omnem vim loquendi, vt iam antè Ariſtoteles, in duas tributam eſſe partes dicere, Rhetoricam palmæ, Dialecticam pugno ſimilem eſſe dicebat: quod latius loquerentur Rhetores, Dialectici autem comprehenſius. Quintilianus libro ſecundo. Itaque quũ duo ſint genera orationis, altera perpetua, quæ rhetorice dicitur. Altera cõciſa, quæ Dialectice: quas quidem Zeno adeò coniunxit, vt hãc compreſſæ in pugnum manus, illam explicitæ diceret ſimilem, etiam diſputatrix virtus erit. Ariſtoteles dixit illam artem quaſi ex altera parte reſpondere dialecticæ

lectice ἀντίστροφον ῥητορικῆ ἐστιν ἀντίστροφος τῇ διαλεκτικῇ. Rhetorice dialecæ reſpondet ex altera parte, id eſt è regione & ex aduerſo, nõ autem quód vna parte ſint inter ſe diſſimiles. Vult igitur huic ſummo Oratori loquendi rationem, hoc eſt dialecticam eſſe notam, quam cauſidicus ille Rabula nunquam neceſſariam putauit. Quatenus autem ſit expetenda, Gellius hoc modo diſſerit. Huius diſciplinæ ſtudium, atque cognitio in principijs quidem tetra & aſpernabilis inſuauiſque eſſe & inciuilis videri ſolet, ſed vbi aliquãtum proceſſeris, tum dénique & emolumentum eius in animo tuo dilucebit, & ſequetur quædam dicendi voluptas inſatiabilis. Cui ſane ſi modũ non feceris, periculũ non mediocre erit, ne ut plérique alij, tu quoque in illis dialecticæ gyris, aut mæandris, tanquam apud Sirenios ſcopulos conſeneſcas.

Quæ quidem res (quod te his artibus eruditum minime fallit) duplicem habuit docendi viam. Nam & 51
ipſe Ariſtoteles tradidit præcepta plurima diſſerendi, & poſtea qui dialectici dicuntur, ſpinoſiora multa pepererunt. Ego eum cenſeo, qui eloquentiæ laude ducatur, non eſſe earum rerum omnino rudem: ſed vel illa antiqua, vel hac Chryſippi diſciplina inſtitutus, nouerit primum vim, naturam, genera verborum, & ſimplicium, & copulatorum. Déinde quot modis quidque dicatur: qua ratione verum falſumne ſit, iudicetur: quid efficiatur è quoque: quod cuique conſequens ſit, quódque contrarium. cúmque ambigue multa dicãtur, quo modo quidque eorum diuidi, explanaríque oporteat. Hæc tenenda ſunt oratori. ſæpe enim occurrũt: ſed quia ſua ſponte ſqualidiora ſunt, adhibendus erit in his explicandis quidam orationis nitor.

Dialecticæ via duplex eſt, quæ μέθοδος à Græcis appellatur. Altera ad diſſerendum rectior & apertior, qualem monſtrauit Ariſtoteles, & illo iunior Chryſippus. Altera ſpinoſior, aſperior ac moleſta magis, qualem poſteriores implicarũt. Poſſis addere tertiũ genus ſæculi noſtri, quod omnes pene literas euertit. Spinoſiora (vt opinor) aſellis exiſtimat eſſe relinquenda. Antiqua vt ab Ariſtotele tradita, & recentiora præcepta Chryſippi legenda pu

Q

tat,non vt in illis conſeneſcat Orator,ſed vt ne ſit earum rerum omnino rudis. In quam ſententiam Antonius libro ſecundo de Oratore inducitur, hæc loquens, Sic decreui philoſophari,potius vt Neoptolemus apud Enniũ,paucis. Nam omnino haud placet, & quæ ſequuntur. Orator inſtituatur vel antiqua,vel hac,id eſt recentiore Chryſippi diſciplina,qui de re dialectica plurimos fecit libellos,de nominib⁹ dialecticorũ,de coniunctis probabilibus,de connexo,de proloquijs,de ijs quæ negantur,de ijs quæ dicuntur per priuationẽ,de optimis proloquijs,de differẽtia indefinitorũ, de interrogatione,de reſpõſione,de cathegorijs,de ſyllogiſmis,de ſoritis,de definitionibus. Scripſit alia permulta,quę numerãtur a Diogene Laertio. Idem in re dialectica,tantã ſibi gloriam cõparauit, vt plériq; dicerent,ſi apud deos vſus eſſet dialecticæ, non futuram aliam, q̃ Chryſippeam οὕτω δ' ἐπίδοξος ἐν τοῖς διαλεκτικοῖς ἐγένετο, ὥστε δοκεῖν τοὺς πλείστους ὅτι εἰ παρὰ θεοῖς ἦν ἡ διαλεκτικὴ οὐκ ἂν ἦν ἄλλη ἢ χρυσίππειος. Fuit ille vir πολύγραφος, qui cõpoſuerit volumina ſeptingẽta quinq;, in quibus acutiſſime diſputaſſe fertur,ſed ieiune & exiliter. Cicero de Oratore primo libro. Etenim videm⁹ iiſdẽ de rebus ieiune quoſdam & exiliter,vt eum quem acutiſſimum ferunt Chryſippum,diſputauiſſe. Res autem & ſcientia dialecticorũ eſt noſſe vim naturámque verborũ, quæ ſignificent ſubſtantiam,quæ qualitatem,quæ quantitatem,quę referantur ad aliquid,quæ agere,quæ pati,quæ locũ, quæ tẽpus, quæ ſitum, quæ habitum deſignent. Hęc ſimpliciũ verborũ genera decem conſtituit Ariſtoteles in Cathegorijs. Cognoſcenda eſt vis copulatorũ,quæ ſunt ὑποκείμενα καὶ κατηγορούμενα ἐν τῇ προτάσει. de quibus agit idem περὶ ἑρμηνείας. Tenẽdum quot modis quicq; dicatur,quaque ratione multiplex euoluatur,atque diſtinguatur. de qua re ſcripſit idem librum totum,qui non extat,quot modis aliquid dicatur κατὰ πρόσθεσιν Pauca dicit ea de re topicorum primo. poſſis accipere quas recentiores vocãt æquipollentias. Videndũ qua ratione verũ falſúmne ſit,iudicetur. Nam,quod ait ſecundo de Oratore, Omne quod eloquimur,ſit vt id aut eſſe dicamus,aut non eſſe: & ſi ſimpliciter dictum ſit, ſuſcipiũt dialectici,vt iudicent,verúmne ſit an falſum. Et ſi coniuncte ſit elatũ,& adiuncta ſint alia, iudicent, recténe adiũcta ſint, & veráne ſumma ſit vniuſcuiuſq; rationis. Simpliciter dictum,conſiderauit Ariſtoteles vno libro de propoſitionibus qui non reperitur,& multa dicit ad eam rem περὶ ἑρμηνείας. Conſiderandum eſt etiam quid efficiatur è quoq;, hoc eſt quid ex aſſumpto colligatur,confecto ſyllogiſmo,& quid medio conſtituto conſequatur, quidq; ſit cõtrarium,id eſt non ſequatur, de quibus agitur ab eodem in ἀναλυτικῶν libris. Pręterea noſſe debet,quomodo ambiguũ diuidi explanarique debeat. Hinc ſunt paralogiſmi,quorũ diſſolutiones traduntur in Elenchis. Hęc quia ſæpe diſſerenti occurrunt, tenenda ſunt Oratori, quia tamen ſua ſponte & natura ſqualidiora ſunt,ac impuriora,adhibẽdus erit orationis nitor,vt deterſa & exculta quaſi vaſcula eluceſcant.

Et quoniam in omnibus quæ ratione docentur & 52
via, primũ conſtituendũ eſt, quid quidque ſit (niſi enim inter eos qui diſceptent, conuenit quid ſit illud de quo ambigitur, nec recte diſſeri, nec vnquã ad exitum perueniri poteſt) explicanda eſt ſæpe verbis mens noſtra de quaq; re, atq; inuolutæ rei notitia definiendo aperienda eſt. ſiquidem eſt definitio oratio, quæ quid ſit id de quo agitur, oſtendit quãbreuiſſime. Tum, vt ſcis, explicato genere cuiuſque rei, videndũ eſt, quæ ſint eius generis, ſiue formæ, ſiue partes, vt in eas tribuatur omnis oratio. Erit igitur hæc facultas in eo, quem volumus eſſe eloquentẽ, vt definire rem poſſit, neq; id faciat tam preſſe, & anguſte, quàm in illis eruditiſſimis diſputationibus fieri ſolet: ſed cum explanatius, tum etiã vberius, & ad commune iudicium, popularémque intelligentiam accõmodatius. Idémque etiam, cum res poſtulabit, genus vniuerſum in ſpecies certas, vt nulla neque prætermittatur, neq; redundet, partietur, ac diuidet. Quando autẽ, aut quomodo id faciat, nihil ad hoc tempus, quoniã (vt ſupra dixi) iudicem me eſſe, non doctorem volo.

Quid à rebus dialecticis aſſumat Orator, anguſte breuiterq; perſtrinxit. addit huc definitionẽ & diuiſionẽ, de quibus permulta Ariſtoteles. Scripſit enim diuiſiones decem & ſeptem, & diuiſionum librũ vnum, & diuiſibilium librũ vnum, & ſyllogiſticorũ & definitionum libros duos, præterea definitionum libros tres. Iſtorũ nihil peruenit ad noſtrum tempus. Diuiſiones & definitiones ad docendum plurimũ valent. Etenim rerum diſputatio fere cõſtat diuiſione generis in ſpecies, aut totius in partes ad finem conſtitutas, & earum definitione. In omnibus (inquit) quæ ratione docentur & via, id eſt arte & methodo, primũ conſtituendum eſt quid quicq; ſit, hoc eſt definiendum illud, de quo ambigitur, quia niſi inter eos qui diſceptant, hoc eſt quæſtionem cõtrouerſiamq; tractant, conuenit quid ſit illud, de quo ambigitur, nec recte diſſeri, & ordine diſputari, nec ad exitum finemq; certum perueniri

poteſt,vt ſi controuerſia eſt.Sacrilegiū ne commiſerit,qui priuatam pecuniā de templo ſuſtulit.niſi cōueniat,quid omnino ſacrilegium ſit, res ad exitum peruenire non poſſit.Ergo mens noſtra nō aliter q̃ veſtis complicata,euoluenda eſt & explicanda verbis,quæ ſunt quaſi quædam inſtrumenta ad res explicandas & illuſtrandas, vt inuolutæ rei notitia ac cognitio definiendo aperiatur.Eſt autem definitio,oratio quæ quid ſit, id de quo agitur, oſtendit q̃ breuiſſime,vt quum dicimus rhetoricen eſſe bene dicendi ſcientiā, vim ſubſtātiamq́ rhetorices,oratione breui complectimur. Tria ſunt autem videnda definienti,vt vim ſubſtantiamq́ rei breuiter explicet: vt definitionem eius de quo agitur,definitū vocant, propriam nulliq́ alteri cōmunem conſtituat:vt nihil omittat,nihil ocioſum & redundans intromittat. Definimus autem res genere & differentia,aut proprietate,aut accidentibus,aut ſimilibus, aut contrarijs, aut cognominatis quod apertius exponunt Cicero, & Boëtius in Topicis.Explicato genere cuiuſq; rei,hoc eſt definita ſumma cuiuſque quæſtionis,videndum eſt quæ ſint eius generis formæ, quæ etiā ſpecies ſæpius appellantur,vt explicato genere virtutis,hoc eſt virtute definita, videndum eſt quatuor eſſe formas illius,Prudentiā, Fortitudinem,Iuſtitiā, Temperantiā.Aut ſi genus eſt quiddā totū,videndū eſt quæ ſint eius generis totius partes.vt ſi definita rhetorice,cōſtituas quinq; partes rhetoricæ.Nam formæ ſunt generis,totius autem partes,illa diuiſio,hęc partitio nominatur. Partes ne ſint an vero formæ,cognoſces, ſi genus de ſpecie dici non totū de parte cognoueris.Iuſtitia eſt virtus,recte dicit:eſt enī iuſtitia forma. Inuētio eſt rhetorice,dicitur falſo,quia inuentio pars eſt nō ſpecies.Lex diuidētis aut partiētis eſt, vt ſi genus vniuerſum in ſpecies certas diuidat, aut in partes diſtribuat,vt nulla neq; prętermittat,neq; redūdet.Vtrūq; vitioſum, & aduerſariorū ridiculis expoſitū,id quomodo fiat,nihil ad hoc tempus, quia quid ſit optimū,iudicat non præcepto & ratione cōprehendit.Nonnihil autem in rhetoricis & topicis oſtendit.Cæterū definitiones in illis eruditiſſimis diſputationibus,hoc eſt philoſophicis,& à ſenſu populari remotis,vult eſſe q̃ breuiſſimas & exactiſſimas,quod ſuperior illa circunſcriptio demōſtrat. Sed in oratione perpetua non vult eſſe tam preſſas & anguſtas. Præſſæ quidē ſunt inuolutæ,Anguſtæ,breues.Præſtiterit anguſtias explanare,vt ad commune, hoc eſt populare iudiciū,popularemq́ intelligentiam accōmodentur,de quo ſic Antonius de oratore libro ſecundo,atq; in hoc genere cauſſarū nonnulli præcipiūt,vt verbū illud quod cauſſam facit,lucide,breuiter, vterq; definiat: quod mihi quidē perq̃ puerile videri ſolet.Alia eſt enim quum inter doctos homines, de ijs ipſis rebus quæ verſantur in artibus diſputatur, verborum definitio.vt quū quæritur quid ſit ars,quid ſit lex,quid ſit ciuitas. In quibus hoc præcipit ratio atq; doctrina,vt vis eius rei quā definias, ſic exprimat,vt neq; abſit quicq̃,neq; ſuperſit,quod quidē in illa cauſſa,neque Sulpitius fecit, neq; ego facere conatus ſum.Nam quantū vterq; noſtrū potuit, omni copia dicēdi dilatauit,quid eſſet maieſtatē minuere.Etenim definitio primū repre-

henſo verbo vno aut addito,aut dempto,ſæpe extorquet è manibus,deinde genere ipſo doctrinā redolet, exercitationémque pene puerilem , tum & in ſenſu & in mentem iudicis intrare nō poteſt.Antè enim prӕterlabitur quàm percepta ſit.

Nec verò dialecticis modo ſit inſtructus,ſed habeat 53 omnes philoſophiæ notos, & tractatos locos . Nihil enim de religione,nihil de morte,nihil de pietate, nihil de charitate patriæ,nihil de bonis rebus,aut malis,nihil de virtutibus,aut vitiis,nihil de officio,nihil de dolore, nihil de voluptate,nihil de perturbationibus animi , & erroribus,quæ ſæpe cadũt in cauſas , ſed ieiunius aguntur,nihil inquam ſine ea ſcientia , quam dixi , grauiter, ample,copioſe dici , & explicari poteſt . De materia loquor orationis etiam nunc,non ipſo de genere dicendi: volo vim prius habeat orator rem,de qua dicat,dignam auribus eruditis, quàm cogitet quibus verbis quidque dicat,aut quomodo. Quem etiam , quo grandior ſit, & quodámodo excelſior(vt de Pericle dixi ſupra)ne phyſicorum quidem eſſe ignarum volo. Omnia profectò, cum ſe à cæleſtibus rebus referet ad humanas , excelſius,magnificentiúſque & dicet , & ſentiet. Cúmque illa diuina cognouerit , nolo ignoret ne hæc quidem humana.Ius ciuile teneat,quo egent cauſæ foréſes quotidie. Quid eſt enim turpius,quàm legitimarum, & ciuilium controuerſiarum patrocinia ſuſcipere , cum ſis legum,&ciuilis iuris ignarus ? Cognoſcat etiam rerum geſtarum,& memoriæ veteris ordinem , maxime ſcilicet noſtræ ciuitatis, ſed & imperioſorum populorum, & regum illuſtrium:quem laborem nobis Attici noſtri

leuauit labor,qui conſeruatis, notatíſque tẽporibus,nihil cum illuſtre prætermitteret, annorum ſeptingentorum memoriam vno libro colligauit. Neſcire autem quid antè quàm natus ſis, acciderit, id eſt ſemper eſſe puerum. Quid enim eſt ætas hominis,niſi cum memoria rerum veterum cum ſuperiorum ætate contexitur? Commemoratio autem antiquitatis, exemplorúmque prolatio ſumma cum delectatione & authoritatem orationi affert, & fidem.

Vna philoſophiæ pars eſt dialectice quam vult Oratori eſſe notam. Altera eſt de vita & moribus, quæ princeps nomine generis à Cicerone Philoſophia nominatur. In qua multus fuit Socrates & Plato. Hanc quoque ad eloquentiam perfectam,neceſſariam eſſe putat.Partes eius enumerat dignitate præſtantiores,quæ omnes à Platone copioſe tractantur, & ab alijs Græcis.Sed etiam à Cicerone non ineleganter. Nam de religione,diſſerit de legib⁹ & de natura deorum.De morte,Tuſculana prima.de pietate & charitate patriæ,libris de Repub.quod opus non peruenit ad nos.De bonis rebus aut malis,libris de finibus bonorum & malorum. De virtutibus aut vitijs & de officio,lib.de officijs,De dolore, Tuſculana ſecũda.De voluptate multis locis,ſed præcipuè de finib⁹.de qua Ariſtoteles librũ vnũ fecit.de perturbationib⁹ animi & errorib⁹,Tuſculana tertia & quarta.Hæc ſępe cadunt in cauſſas,ſed ieiunius agũtur ab imperitis, quia ſine philoſophia ample, & copioſe dici explicariq; nõ poſſunt.Hęc & ſimilia quaſi materiã ſubijcit Oratori,ꝙ inde ſumat ad dicẽdũ materiã. Quid autẽ materia differat ab ipſo genere dicẽdi,paucis indicat.Materia eſt de qua dicit Orator,vt res oĩs ad tractandum propoſita,quam ſic ille ſummus Orator eliget, vt abiectam repudiet,dignam auribus eruditis excipiat.Hanc priore loco conſtituit,quia materiæ verba debent accommodari.Genus dicendi in elocutione poſitum eſt. Elocutio ſuis verbis ſuóque modo materiam explicat. In ea cõſiderat Orator,quomodo dicat.Nam, quod antè dixit,tria videnda ſunt Oratori, quid dicat,& quo quicque loco,& quomodo.Et paulò pòſt. Quomodo autem dicatur,id eſt in duobus,in agendo & in eloquendo. Iam duabus philoſophiæ partibus,tertiam vult accedere,ſcientiam naturalem,quòd à reb⁹ phyſicis ſit grandior & quodammodo excelſior ille dicendi artifex, vt Pericles Athenienſis in Phædro Platonis hoc præſtitiſſe cæteris oratoribus à Socrate dicitur, quòd is Anaxagoræ Phyſici fuiſſet auditor. A quo cenſet eum

quum alia præclara quædam & magnifica didiciſſet, vberem & fœcundum fuiſſe, narúmque, quod eſt eloquentiæ maximum, quibus orationis modis quæque animorum partes pellerentur. Ne ſit igitur Phyſicorum, id eſt, rerum naturalium ignarus orator, omnia profecto, quum ſe à cæleſtibus rebus, hoc eſt ab illa diuina Philoſophia, referet ad res humanas. hoc eſt cæteras artes, excellius magnificétiúſque & dicet vt Orator, & ſentiet vt prudens & ſenator. Quúmque illa diuina cognouerit, quæ tradit ſapientiæ mater, nolo, inquit, ignoret, ne hæc quidem humana in quibus populares artes conteruntur, vt ius ciuile, hiſtoriam, res poeticas. Ius ciuile teneat, inquit, Cur ita? neceſſe eſt. Illo egent cauſſę foréſes cottidie. Etenim aliæ ſunt cauſſę, id eſt ὑποθέσεις non forenſes, quæ illo iure non egent. Deinde honeſtum eſt hoc ſcire, Quemadmodum turpe videtur patrocinia, ac defenſiones ſuſcipere legitimarum & ciuilium controuerſiarum, quæ legibus & iure ciuili ſtatui debẽt, quum ſis legum ciuiliſque iuris ignarus. de quo multa Craſſus apud Ciceronem primo libro de Oratore. Id autem eo præcipit, quod permulti Romæ cauſſas agerent, qui iuri ciuili operam nullam dediſſent, quòd tempora noſtra ſic mutarunt, vt omnes fere iure ciuili ſine aliis artib⁹ vtantur. Cognoſcat etiam rerum geſtarum & memoriæ veteris ordinem, hoc eſt cognoſcat hiſtoriam, quę ordine res geſtas in longam memoriam reponit. Hiſtoria populorũ omniũ quoniã imméſa eſt, ab Oratore alioqui multis rebus occupato cognoſci non poteſt. Cognoſcat igitur res geſtas ſuæ ciuitatis, & Pop. Romani, & imperioſorum populorum, vt Athenienſium, Lacedæmoniorum, Carthagineſium, & regum illuſtrium, vt Xerxis, Philippi, Alexandri. Horum ſimiliúmque res geſtæ vtiliores habentur, quòd eorum bonis legibus inſtituta reſpublica, à maximis viris gubernata, multis rebus bellicis ac domeſticis agitata floruerit, quem laborem multa quærendi Titi Pomponij Attici leuauerat labor. Is antiquitatis admirator conſeruatis in ordine, notatiſque, hoc eſt breuiter ſignatis temporibus, nihil quum illuſtre prætermitteret, annorum ſeptingentũm memoriam, vno libro, tanquam concha mare coarctaret, comprehendit. Is etiam ſcripſit de imaginibus & de conſulatu Ciceronis, quicum ſumma familiaritate coniunctus erat. Hæc opera, quod ſciam, non extant. Hunc iterum laborem leuauit Sabellic⁹. In annorum ſeptingentũm memoria Pomponius videtur hiſtoriam repetiuiſſe à primordio Vrbis ad tempora Auguſti Cæſaris, cui iuueni familiaris fuit. Nam Liuius non multo poſterior res geſtas Populi Romani ſupra ſeptingenteſimum annum repetere ſe dicit. Sed hic tantum P. Romani ducit hiſtoriam, ille etiam res geſtas aliarum gentium deſcribit. Ad hiſtoriam legendam Cicero cohortatur, pulchrum eſſe ſcire quid antequã nat⁹ ſis, acciderit, ne ſemper videaris eſſe puer, hoc eſt, temporis anguſti memor, Breuem eſſe hominis ætatem niſi contexitur & veluti filo coniũgitur cum memoria rerum veterum atque ætate ſuperiorum, Commemorationem antiquitatis ex hiſtoria, exemplorúmque prolationem, quam vocant

allegationem,treis vſus habere, nempe delectare,dicenti autoritatẽ afferre, ad prabationem & fidem valere.

54 Sic igitur inſtructus veniet ad cauſas: quarum habebit genera primum ipſa cognita. Erit enim ei perſpectum,nihil ambigi poſſe,in quo non aut res controuerſiam faciat, aut verba. Res,aut de vero, aut de recto,aut de nomine. Verba, aut de ambiguo, aut de contrario. Nam ſiquando aliud in ſententia videtur eſſe, aliud in verbis,genus eſt quoddam ambigui,quod ex præterito verbo fieri ſolet: in quo, quod eſt ambiguorum proprium,res duas ſignificari videmus. Cum tã pauca ſint genera cauſarum,etiam argumentorum præcepta pauca ſunt. traditi ſunt,è quibus ea ducantur,duplices loci, vni è rebus ipſis,alteri aſſumpti. Tractatio igitur rerum efficit admirabiliorem orationem: nam ipſe quidem res in perfacili cognitione verſantur. quid enim iam ſequitur, quod quidem arti ſit,niſi ordiri orationem, in quo aut concilietur auditor,aut erigatur, aut paret ſe ad diſcendum? rem breuiter exponere,& probabiliter, & aperte,vt quid agatur intelligi poſſit: ſua cõfirmare, aduerſaria euertere,eáque efficere non perturbate,ſed ſingulis argumentationibus ita concludendis,vt efficiatur quod ſit conſequẽs iis quæ ſumentur ad quanquã rem confirmandam? poſt omnia perorationem inflammantem,reſtinguentémve concludere?

Quemadmodum miles antè inſtruitur armis quàm ſe prælio committat, ita multis artibus inſtructus,id eſt,armat' Orator veniet ad cauſſas. Cauſſæ ſunt finitę quæſtiones. omnis quæſtio Oratore digna,controuerſiam habet,

Omnis controuerſia aut in re ſententiáque poſita eſt, aut in verbo. nec enim aliud in orationem venire poteſt. Sic Poſſidonius rhetor diuidebat ſtatus in voces & in res Si res controuerſiam facit, in ſtatu rationali diſceptatio verſatur: ſi verbis, legali. Status autem rationales tres numero ſunt, vnus coniecturalis, in quo de vero quæritur, hoc eſt de facto ipſo, ſit néne factũ quod obijcitur, vt verúmne eſt à Sexto Roſcio patrem interemptum? Alter eſt finitionis, in quo de nomine quidem agitur, non ad explicandum nomen, ſed ad videndam rei naturã, quamobrem non ad verba, ſed ad rem pertinet: An ſi tribunus plæbis in concione legerit codicem, id appellari debeat nomine læſæ maieſtatis? Tertius eſt qualitatis, in quo de recto quæritur, iuréne an iniuria factum ſit? an iure Clodium Milo interfecit? Status legales duo ſunt, alter ex ambiguitate, alter ex contrarijs legibus. Ponuntur ab alijs tres, ſed ad ambiguitatem Cicero refert ſcriptum & voluntatem, quia ſiquãdo aliud in ſententia videtur eſſe, aliud in verbis, id eſt ſi ſcriptum à ſcriptoris voluntate diſſentit, genus eſt quoddam ambigui, quod ex præterito verbo, id eſt omiſſo fieri ſolet. Quod igitur ſcriptor hoc preterijt, res duas ſignificari videmus. Eſt autem ambiguorum proprium duos pluréſve facere ſenſus. vt ſi vis affertur ei, qui inuitus à fundo ſuo deijcitur, an etiam illi qui in agrũ ſuũ venire non ſinitur? Legiſlator addat vnum verbum, tolletur ambiguitas hoc modo, vnde tu deieceris aut reieceris eo reſtituito. Quintilianus his tribus addit ſyllogiſmũ, quem definitione (vt opinor) Cicero comprehendit. Nam ſi quæritur an lege veneficij teneatur ea mulier, quæ dedit amatorium? Definiendum erit amatoriũ & venenum, vt definitione colligamus, ſitne amatorium quoddam venenum. Certe Quintilianus fatetur ſyllogiſmum habere aliquid ſimile ſcripto & voluntati, & nonnullam eſſe illi cum definitione coniunctionem. Hæ quæſtiones ſiue ſtatus initio collocantur, quoniã principio tenenda eſt ſumma cauſſæ, deinde inuenienda ſunt argumenta, quibus controuerſia & ambiguum ſoluatur. Argumenta ducuntur è locis. Loci traditi ſunt duplices, vni è rebus ipſis, alteri aſſumpti. Inhærent in ipſa re, definitio, enumeratio partium, notatio, coniugata, genus, forma, ſimilitudo, differentia, contraria, adiuncta, antecedentia, conſequentia, repugnantia, cauſſæ, effectus, comparatio. Aſſumpti loci ſunt remoti, qui teſtimoniorum genera continent. Locos omneis quoniam in partitionibus ac topicis exponit, nunc eos notaſſe cõtentus eſt. Ego quód eoſdem amplius in partitiones eius expoſui, eadem breuitate delector. Res quæ de locis eruuntur, in perfacili cognitione verſantur, quia pauca inueniẽdi præcepta ſunt. Tractatio rerũ efficit admirabiliorem orationẽ, quæ quinq; partibus abſoluitur, exordio, narratione, confirmatione, refutatione, epilogo. Exordium tribus de rebus aſſumitur, vt cõciliet auditorem beneuolúmq; reddat, vt erigat eius attentionẽ, vt paret ad diſcendum, docilémque efficiat. Narratio rem breuiter exponit, vt mente teneatur, probabiliter ac veriſimiliter explicat, vt mereatur fidem. Dilucide & aperte narrat, vt quid agatur intelligi poſſit. In confirmatioṇe

noſtra firmamus,in refutatione aduerſaria euertimus. Vtraq; pars ordinem quærit. Perturbationem & confuſionem fugit. Ordo ſeruabitur,ſi argumēta ſuo loco conſtituta ſic concludentur,vt efficiatur colligatúrque quod ſit cō-ſequens ijs quæ ſumentur ad quanque rem confirmandam, hoc eſt ſi recta aſſumptorum complexio nectatur. Peroratio accuſatoris, incendio grauioris affectus inflammat. hoc incendium reſtinguit peroratio defenſoris, quæ officia plérunque mutantur. Hæc breuiter de quæſtione, locis,& partibus orationis.

55 Has parteis quemadmodum tractet ſingulas,difficile dictu eſt hoc loco: nec enim ſemper tractantur vno modo. Quoniam autem non quem doceam quæro,ſed quem probem,probabo primum eum,qui quid deceat, videbit. Hæc enim ſapientia maxime adhibenda eloquēti eſt,vt ſit temporum, perſonarúmque moderator. Nam nec ſemper,nec apud omneis,nec contra omneis, nec pro omnibus,nec omnibus eodem modo dicendū arbitror. Is erit ergo eloquens, qui ad id quodcunq; decebit,poterit accōmodare orationem. Quod cū ſtatuerit,tum vt quidque erit dicendum,ita dicet: nec ſatura ieiune,nec grandia minute,nec item contrà,ſed erit rebus ipſis par,& æqualis oratio. Principia verecunda,nō elatis intenſa verbis,ſed acuta ſentētiis, vel ad offenſionem aduerſarii,vel ad commendationem ſui. Narrationes credibiles, nec hiſtorico, ſed propè quotidiano ſermone explicatæ dilucide. Dein ſi tenues cauſæ,tum etiā argumentandi tenue filum & in docendo, & in refellendo: ídque ita tenebitur, vt quanta ad rem, tanta ad orationem fiat acceſſio. Cum vero cauſa ea inciderit,in qua vis eloquentiæ poſſit expromi, tum ſe latius fundet orator: tū reget, & flectet animos, & ſic afficiet,vt

volet,id eſt,vt cauſæ natura, & ratio tēporis poſtulabit.

Conſtitutis partibus,hoc videndum eſt,quo genere dicendi ſingulæ tractari debeant,nec enim ſemper tractãtur vno modo.Nam quum multa ſint genera cauſſarum,quibus elocutio decens accōmodetur, non eſt facile præcipere de ſingulis.Confugiendum igitur ad Oratoris prudentiam. Prudentia,tempora perſonáſq; moderatur, id eſt decorū obſeruat , quod pro tempore,perſoniſq; mutatur.in tempore locus intelligitur, ſicut in perſonis ipſa res.Non eſt igitur eadem ratio dicendi in bello, in pace , in rebus proſperis, in aduerſis,in foro, in ſenatu, in concione . Perſonarum quadripertita ratio mutat actionem,auditorum,aduerſariorū , litigatorum noſtrorum , & noſtræ qui dicimus,quæ genera paucis amplectitur , quod illis decentem velit accōmodari orationem.cuius rei ſi quædam primordia & initia natura dedit indoctis,vt ſciant aptius variare ſermonē,multò facilius id poterit,multis in rebus exercitatus Orator.Decorum in ipſa re tenetur , ſi ſatura & copioſa,copioſe,alta,magnifice:ieiuna,ſicce:minuta tenuiter dicantur.Nam debet eſſe rebus ipſis par & æqualis oratio.huc pertinent illę orationū formę, quas antè diſtinxit.Partibus eſt & ſuum decorū . Principia ſiue exordia decent verecunda , quæ parce vtuntur ornamentis & ſupellectile Oratorum, nec intenduntur & augentur elatis verbis ac magnificis , ſed potius locant ſententias acutas,quaſi animorū extimulatrices,vel ad conciliandum fauorē, vel ad auertendū ſtudium, quod aduerſarius velit mereri . ad hæc enim duo ferè cōparantur exordia.Narrationes decent credibiles , contrà ineptæ ſunt fabuloſæ ac aniles.Nec affectant hiſtoricam obſcuritatem, ſed ferè cottidianum ſermonem,vt explicent rem dilucide. In ſubtilibus cauſſis decet argumentandi tenue filum,id eſt gracilis ac macilenta dictio,tum in docendo, id eſt noſtra confirmando,tum in aduerſaria refellendo.Quod ſi res ipſa,cauſſæque dignitas maior accreſcet,par ad orationem, id eſt elocutionē fiat acceſſio,hoc eſt increſcat argumentandi filū,& grandior texatur oratio.quod apte efficiet is qui rationem componendi adeptus erit . Exempla ſi quæris iſtorum,optima ſuggeret ipſius oratio,pro Sexto Roſcio . In qua principiū verecundum & acutū.Narratio perq; dilucida,confirmatio & refutatio,nūc tenuis,nunc paulò grandior pro rerum decoro . Quum vero cauſſa ea inciderit,in qua vis eloquentiæ poſſit expromi, vt cauſſa publica latæ amplitudinis magniq; momenti , qualis erat Auli Cluentij , tum ſe latius fundet & extendet Orator.Expatiabitur enī in vniuerſi generis quæſtione, quæ θέσις appellatur. Tum reget & flectet animos inſertis affectibus , non quidem vt volet,nec enim eloquentiam metimur euentu , ſed vt cauſſæ natura & perſonarum dignitas,& ratio temporis poſtulabit.

Sed erit duplex omnis eius ornatus ille admirabilis, 56

propter quẽ aſcendit in tantũ honorem eloquentia. Nã cum omnis pars orationis eſſe debet laudabilis, ſic vt verbum nullum, niſi aut graue, aut elegãs excidat: tum ſunt maxime luminoſæ & quaſi actuoſæ partes duæ. Quarũ alterã in vniuerſi generis quæſtione pono, quã (vt ſupra dixi) Græci appellant θέσιν. Alteram in augẽdis, amplificandíſque rebus, quæ ab eiſdem αὔξησις eſt nominata. Quæ etſi æquabiliter toto corpore orationis fuſa eſſe debet, tamen in cõmunibus locis maxime excellet: qui cõmunes appellati, eo quòd videntur multarũ iidem eſſe cauſarũ, ſed proprii ſingularũ eſſe debebũt. Ac vero illa pars orationis, quæ eſt de genere vniuerſo, totas cauſas ſæpe continet. Quicquid eſt enim illud, in quo quaſi certamẽ eſt cõtrouerſiæ, quod Græcè κρινόμενον dicitur, id ita dici placet, vt traducatur ad perpetuã quæſtionem, atq; vt de vniuerſo genere dicatur: niſi cum de vero ambigitur, quod quæri cõiectura ſolet. Dicetur autem non Peripateticorũ more (eſt enim illorũ exercitatio elegans iam inde ab Ariſtotele cõſtituta) ſed aliquãto neruoſius: & ita de re communia dicentur, vt & pro reis multa leniter dicantur, & in aduerſarios aſpere.

Augendis vero rebus, & contrà abiiciendis nihil eſt quod non perficere poſſit oratio: quod & inter media argumenta faciendum eſt, quotieſcunque dabitur vel amplificandi, vel minuendi locus, & pene infinite in peorando.

Iã docet quo ſe fundat Orator, quoq; regat & flectat animos. Duæ ſunt partes in dicendo admirabiles, θέσις & αὔξησις: altera facit ad copiã, altera ad

affectũ.Hæ ſunt maxime luminoſæ, quaſi ſol & luna inter ſidera.Et actuoſę hoc eſt concitatæ ac mobiles quaſi tragœdiæ partes actuoſæ. Cæteræ minus elucent,minus agitantur:quãquam debent eſſe laudabiles, ſic vt verbum nullũ niſi aut graue ad põd⁹ orationis & victoriã,aut elegãs ad auditorũ voluptatẽ excidat.dicet aliquis,quo pacto laudatur illa humilis Lyſię tenuitas: ſi omnia verba aut grauia aut elegantia eſſe debent? Iſta non pugnant.Nec enim in Lyſia quicquam vacat. Eſt igitur omne verbum in eo aut ad docẽdũ,aut ad mouẽdum,aut ad delectandum. Quod docet & mouet optime, graue debet haberi:quod delectat elegãs. αὔξησις eſt amplificatio, quæ in augendis,amplificandiſque rebus vſurpatur.Ea duplex eſt, altera minor & breuior,quæ toto corpore orationis æquabiliter fuſa eſſe debet, cuiuſmodi eſt hæc.Commoditati ingenium,grauitati ætas,libertati tempora ſunt impedimento.huc accidit ſummus timor, quẽ mihi natura pudórque meus attribuit,& veſtra dignitas,& vis aduerſariorũ,& Sexti Roſcij pericula.Altera eſt maior, amplior ac vehementior, quod genus eſt. Quouſque tandem abutere Catilina patientia noſtra? & quæ ſequuntur. Hæc in communibus locis maxime excellet. Cõmunes loci dicuntur, vt definiuit Fabius ſecundo, quibus citra perſonas,in ipſa vitia moris eſt perorare,vt in adulterum, aleatorem, petulantem,quo intellectu communes locos Cicero vult hic accipi. Communes appellantur, eo quod videtur multarum ijdem eſſe cauſſarum, vt prædonem multis in cauſſis & varijs inſectari licet.Sed proprij ſingularum eſſe debebunt,id eſt ita reliquis partibus accommodari, vt non inepte appoſiti,ſed proprie inſerti eſſe videantur.Hęc amplificatio in augẽdis rebus, & contra abijciendis minuẽdiſq; plurimũ poteſt. Locus eius frequẽs in peroratione,vt pro Flacco.nonnunquam in principio, vt in Catilinã. ſæpe poſt argumenta,vt in Verrem.At veró illa pars orationis,quæ eſt de genere vniuerſo, hoc eſt infinita quæſtio, neque perſona certa, neque tempore cõprehenſa,totas cauſſas ſæpe continet, vt Opimij,qui conſul ſenatuſconſulto C. Cracchum interemerat.vt Mancini,qui Numantinis deditus ius poſtliminij petebat.de qua re copioſe diſerit Antonius ſecundo. de Oratore. Et arguit magiſtros & rhetores,qui tum Romæ docebant tanquam hominum genus hebes atque impolitum.Hic autem iudicat in definitione & qualitate, nihil facere perſonas, quia κρινόμενον quæ iudicatio vocatur, in qua quaſi certamen eſt controuerſiæ & ſumma cauſſæ,traducitur ad perpetuam,hoc eſt infinitam quæſtiomem.Si quæritur, ſitne peculatus,retinere pecuniam P. Romani,nihilominus frumentum Siculis imperare gratis, nihil faciet perſona Verris.Si inſidiatores occidere licet,& Miloni Clodium inſidias feciſſe planũ fiat,nihil addet perſona Clodij vel Milonis.Sed in coniectura quum de vero ambigiẗ,perſona iuuat. quanquã tũ licet argumenta reuocare ad gen⁹ & ad naturã vniuerſam ꝙ ſumptuoſus de luxuria,ꝙ alieni appetẽs de auaritia, ꝙ ſeditioſ⁹ eſt aliquis de turbulẽtis & malis ciuib⁹,quod à multis arguiẗ,de genere teſtiũ diceẗ.Ex his colligiẗ nullã eſſe cauſſam in qua nõ liceat à propriꝪ

perſona rem auocare ad infinitã quæſtionẽ. Quoniã autẽ Philoſophi theſim generalémq; quæſtionẽ verſant, & frequẽter vtranque partem agitãt, vt Socrates apud Platonem, vt Peripateticorum princeps Ariſtoteles in ſcholis ſolebat, de cuius exercitatione in proœmio Tuſculanæ ſecundæ mentionẽ facit, hic admonemur illorum more non eſſe dicendum. Nudas hinc & indæ coniiciunt argumentationes. Orator aliquanto neruoſius dicet, quando miſcebit affectus, aut aſperiores in reos, aut pro reis leuiores.

57 Duo ſunt etiã quæ bene tractata ab oratore admirabilem eloquentiam faciãt. Quorum alterum eſt, quod Græci ἠθικὸν vocant, ad naturam, & ad mores, & ad omnem vitæ conſuetudinem accommodatum: alterum, quod iidem παθητικὸν nominant, quo perturbantur animi, & concitantur, in quo vno regnat oratio. Illud ſuperius, come, iucundum, ad beneuolentiam conciliandam paratum: hoc vehemens, incenſum, incitatum, quo cauſæ eripiuntur, quod cum rapide fertur, ſuſtineri nullo pacto poteſt. Quo genere nos mediocres, aut multo etiã minus, ſed magno ſemper vſi impetu, ſæpe aduerſarios de ſtatu omni deiecimus. Nobis pro familiari reo ſummus orator non reſpondit Hortenſius. A nobis homo audaciſſimus Catilina in ſenatu accuſatus, obmutuit. Nobis priuata in cauſa magna, & graui, cum cœpiſſet Curio pater reſpõdere, ſubito aſſedit, cum ſibi venenis ereptam memoriam diceret. Quid ego de miſeratiõibus loquar? quibus eo ſum vſus pluribus, quòd etiam ſi plures dicebamus, perorationem mihi tamen omnes relinquebant: in quo vt viderer excellere, non ingenio, ſed dolore aſſequebar. Quæ qualiacunque in me ſunt, me enim ipſum non pœnitet quanta ſint, ſed apparent in orationibus, etſi carẽt libri ſpiritu illo pro-

pter quem maiora eadem illa cum aguntur,quàm cum leguntur videri ſolent.

Quantum valeant affectus oſtēdit Quintilianus his verbis , Probationes efficiunt ſane,vt cauſſam noſtram meliorem eſſe iudices putent,affect⁹ præſtant,vt etiam velint.Sed id quia volunt,credunt quoque. Nā cū iraſci,fauere,odiſſe, miſereri cœperunt,agi iam rem ſuam exiſtimant. Et ſicut amantes de forma iudicare non poſſunt,quia ſenſum oculorū premit amor,ita omnē inquirendæ veritatis rationem iudex amittit occupatus affectibus,æſtu fertur,& velut rapido flumini obſequitur.Huc igitur incūbat Orator,hoc opus eius,hic labor eſt,ſine quo cætera nuda, ieiuna , infirma , ingrata ſunt,adeò velut ſpiritus operis huius atque animus eſt in affectib⁹. Idem in eodem loco refert hāc affectuū partitionē.Affectuū,inquit,ſicut antiquit⁹ traditū accepimus,duæ ſunt ſpecies : Alteram Græci πάθος vocant , quam nos recte vertentes ac proprie affectum dicimus.Alterum ἦθος cuius nomine , vt ego quidem ſentio,caret ſermo Romanus,Mores appellantur , atque inde pars quoque illa Philoſophiæ ἠθικὴ moralis eſt dicta,ſed ipſam rei naturam ſpectanti mihi non tam mores ſignificari videntur, quàm morum quædā proprietas.Nam ipſis quidem omnes habitus mentis continētur.Cautiores voluntatem complecti quàm nomina interpretari maluerunt . Affectus igitur hos concitatos πάθος,illos mites atque compoſitos ἦθος eſſe dixerunt.perlegito quæ ſequuntur . Ex ijs dicta Ciceronis aperte cognoſces . Duo ſunt affectuum genera,quę bene tractata ab Oratore,admirabilem eloquentiam faciant:Quorum alterum quod Grȩci τὸ ἠθικὸν vocant,id eſt,morale ad naturā & ad mores,& ad omnem vitæ conſuetudinem accommodatur . Illud eſt quod bonitate commendatur, non ſolum mite ac placidum , ſed plérunque blandum & humanum,& audientibus amabile atque iucūdum , quo mores dicentis ex oratione perlucent,& quodammodo agnoſcūtur ,quod eſt ſine dubio inter coniuuctas maxime perſonas,quoties perferimus,agnoſcimus, ſatiſfacimus,monemus , procul ab ira,procul ab odio, quo dénique cuique finguntur apti mores.Paucis amplectar.Sic dicet Orator,vt mores ſuos eorúmque quibus bene eſſe cupit, amabiles oſtendat . cui virtuti contraria eſt impudētia,arrogātia,inſolētia,feritas agreſtis,maledicēdi cupiditas,ſimultas, iracundia,inuidia,odium,oſtentatio.Sicut hæc vitia inter dicendum ſentiuntur,& ex oratione dicentis quodammodo colliguntur, ita contrariæ virtutes in eo qui decenter & apte dicit. Cicero ſecundo de Oratore. Conciliantur animi dignitate hominis,rebus geſtis,exiſtimatione vitæ , Sed hæc adiuuant in Oratore lenitas vocis,vultus, pudoris ſignificatio, verborum comitas.ſi quid perſequare acrius,vt inuitus & coactus facere videare , facilitatis, liberalitatis,manſuetudinis,pietatis,grati animi, non appetentis , non auidi, ſigna proferri perutile eſt,eáque omnia, quæ proborum,demiſſorum , non

neficijs & cantionibus Ticiniæ factum eſſe dicebat. Ex his colligere facile eſt, treis illas victorias non modo affectuum impetu, ſed alijs quoque rebus obtigiſſe. Affectus alij ſumuntur ad indignationem, alij ad miſericordiam. Hi ſunt quibus miſeratio mouetur, cum in alijs locis, tum in peroratione. Quibus valuiſſe Ciceronem argumento eſt oratorum iudicium, qui quum de more plures vnam eandémque cauſſam dicerent, & partibus inter ſe diſtributis, quod quiſque optime faceret, hoc ei relinquerēt, Ciceroni perorationem relinquebant. Nam quod ait in Bruto, Nemo erat qui ad iracundiā magnopere iudicem, nemo qui ad fletum poſſet adducere: Nemo qui animū eius, quod vnum eſt Oratoris maxime proprium, quocunque res poſtularet, impelleret. Hanc Cicero dedicerat artem, quum daret operam tum rhetoribus, tum philoſophis Atticis, Aſianis, Rhodijs, & in eam rem iuuabat hominem gracilitas illa corporis, oblongum collum, vox ſubaſpera, ac etiā in ſermone vehemens. Accedebat huc ſenſus hominis & dolor, qui nō ficto dolore & imitatione ſimulato mouebatur, ſed ijs ipſis ſenſibus ad quos adducere iudices vellet, maxime cōcitabatur. Neq; enim, vt ait Antonius ſecūdo libro de Oratore, fieri poteſt, vt doleat is qui audit, vt oderit, vt inuideat, vt pertimeſcat aliquid, vt ad fletum miſericordiámque deducatur, niſi omnes ij motus, quos Orator adhibere volet iudici, in ipſo Oratore impreſſi eſſe atque inuſti videbuntur. De genere pathetico ſi quærūtur exempla, in quibus ſentiatur affectus ille quo Cicero tantum potuit, apparent in eius orationibus minime petenda, cum multis in locis, tum in perorationibus pro ſexto Roſcio, pro Milone, pro Rabyrio poſthumo, quæ ſi non modo leguntur, ſed etiam actuoſe pronunciatur, adiuuante ſpiritu, viuáque voce multo magis apparent.

Nec verò miſeratione ſolum mēs iudicum permo- 58
uenda eſt, qua nos ita dolenter vti ſolemus, vt puerum infantem in manibus perorantes tenuerimus: vt alia in cauſa excitato reo nobili, ſublato etiam filio paruo, plāgore & lamentatione compleremus forum: ſed etiam eſt faciendum, vt iraſcatur iudex, mitigetur, inuideat, faueat, cōtemnat, admiretur, oderit, diligat, cupiat, ſatietate afficiatur, ſperet, metuat, letetur, doleat. qua in varietate, duriorum, accuſatio ſuppeditabit exempla, mitiorum, defenſiones meæ. Nullo enim modo animus audientis, aut incitari, aut leniri poteſt, qui modus à me

non tentatus ſit. dicerem perfectũ, ſi ita iudicarem, nec in veritate crimen arrogantiæ extimeſcerem. Sed (vt ſupra dixi) nulla me ingenii, ſed magna vis animi inflammat, vt me ipſe nõ teneam: nec vnquam is, qui audiret, incenderetur, niſi ardens ad eũ perueniret oratio. Vterer exemplis domeſticis, niſi ea legiſſes. Vterer alienis, vel Latinis, ſi vlla reperirem, vel Græcis, ſi deceret: ſed Craſſi perpauca ſunt, nec ea iudiciorum: nihil Antonii, nihil Cottæ, nihil Sulpitii: dicebat melius, quã ſcripſit, Hortenſius. Verum hæc vis quam quærimus, quanta ſit ſuſpicemur, quoniam exemplum non habemus: aut ſi exempla ſequimur, à Demoſthene ſumamus: & quidẽ perpetuæ dictionis ex eo loco, vnde in Cteſiphontis iudicio de ſuis factis, conſiliis, meritis in rempub. aggreſſus eſt dicere. Ea profecto oratio, in eam formam, quæ eſt inſita in mẽtibus noſtris, includi ſic poteſt, vt maior eloquentia non requiratur.

Indignatio miſeratióque quaſi duo genera, multas habent ſpecies. Indignationis eſt ira, inuidia, contemptus, odium, cupiditas, ſatietas, metus. Miſerationis, ira, mitigatio, fauor, amor, lætitia, dolor. Miſeratio nõ ſolum verbis, ſed etiam rebus mouetur. Itaq; more Romano Cicero puerum infantẽ hoc eſt paruulum in manibus tenuit, cũ pro P. Sylla doleuter perorauit. hic vos orat iudices paruus, vt ſe aliquando ſi non integra fortuna, at afflicta patri ſuo gratulari ſinatis. huic miſero notiora ſunt iudiciorum itinera & fori q̃ diſciplinarum. Et alia in cauſſa à ſubſellijs excitato nobili reo, vt opinor, L. Flacco gentis illius Valeriæ viro, ſublato etiã filio paruo, ita vt ab omnibus conſpici poſſet, plangore, id eſt concuſſione pectoris, & lamentatione forũ compleuit. Huic huic miſero puero veſtro, ac liberorum veſtrorum ſupplici iudices, hoc iudicio, viuendi præcepta dabitis, & quæ ſequuntur. Quemadmodum rebus ipſis mouetur animus, ſic & perſæpe verbis afficitur. Augenda flagitia, vt iraſcatur iudex, nonnunquam minuenda, aut virtute compenſanda, vt mitigetur. Extollenda aduerſariorum fortuna, potentia, inſolentia, vt inuideat. Ponenda ſub oculos miſeria & calamitas, vt faueat. Eſt enim, au-

ſtore Fabio, Naturalis fauor pro laborantibus. humiles abiectiq; ſi dicentur aduerſarij, cõtemnentur. Quintil. potentes ſequitur inuidia, & humiles abiectóſq; contemptus, & turpes ac nocentes odium. Admirabitur iudex inſignẽ hominis, aut virtutem aut nequitiam: Oderit inutiles pernicioſoſq;: Diliget vtiles ſibi, & bonos viros: Iucũda cupiet: Satiabitur nimijs rebus & iniucũdis: Bona futura ſperabit: Mala vẽtura metuet: Lætabitur opinione boni pręſentis: Præſentia malorum dolebit. Prudens igitur Orator, hoc conſiderabit quid poſtulet cauſſa, & eo iudicum mẽtes oratione flectet. Iſtorum vim naturamq; cognoſces in quæſtionibus Tuſculanis: Materiam & tractationem de Oratore libro ſecundo: Exempla in orationibus. Nam duriorum, hoc eſt affectuum grauiorum. accuſatio Verris ſuppeditabit exempla. Mitiorum, defenſiones eiuſdẽ, vt pro Cluentio, pro Ligario. In actionibus peccata Verris amplificat, inculcat, infigit, vt admirentur iudices, vt iraſcãtur, vt oderint. Intolerandam potentiã pręđicat in ſocios, in ciues Romanos, in iudices corrumpendos, vt inuideant. Adulteria viri & Chelidonẽ opponit, vt illius pręturæ fœditatem contemnant. Proponit amittendorum iudiciorum metum, ſi reum abſoluant: ſpem retinẽdorum, ſi exilio multent. Pro Sexto Roſcio mitigat omnem iram atrocitate ſceleris excitatam. Quę mala patiatur Roſcius, oſtendit ad conciliandum fauorem. aufert à iudicibus de Sylla metum. ſpem reip. confirmat Chryſogonum quãuis potentiſſimum, tamen vt viliſſimum ſeruum contemnit. admiratur illud parricidij crimen. Dolorem mouet à miſero ſtatu rerum præſentiũ. Exempla ſuis verbis non explicamus, propterea ꝙ ſic infuſa ſunt vniuerſo orationi corpori, vt in compendium reuocari nõ poſſint. Deinde quod nõ erat opus id anxie colligere, quod omnibus obuiũ Cicero reliquiſſet. Has affectuum ſpecies tentaſſe ſe modo, non etiam perfeciſſe dicit. tentaſſe, quia magna vis & impetus animi inflãmabat, vt ſe ipſe nõ teneret, nõ perfeciſſe, ꝙ ingenij vis defuerit. quod quũ ipſe de ſe fatetur, haud dubie crimen arrogantiæ extimeſcit. Nam etſi in veritate nulla arrogãtia & inſolentia eſt, tamen arrogantiæ ſuſpitio vitanda eſt. Cum omnis arrogãtia odioſa eſt, tũ illa ingenij atq; eloquentiæ multo moleſtiſſima. ſententia Ciceronis eſt in diuinatione, quam ſic transfert Fabius. Omnis ſui vitioſa iactatio eſt, eloquentiæ tamen in Oratore præcipue, affertq; audiẽtibus non faſtidiũ modo, ſed plerunq; etiam odium. Itaq; modeſte ſua cõmendat exempla. Nõ vtitur exemplis domeſticis, id eſt ſuis, quoniam Brutus ea legit. Vteretur alienis vel latinis ſi vlla reperiret, ſed nemo erat, vt eſt in Bruto, qui ad iracũdiam magnopere iudicem, qui ad fletum poſſet adducere. Vteretur exemplis gręcis, ſi deceret, hoc eſt ſi ratio latina decorumq; pateretur: ſed quod alibi ſcribit, non plus in oratione latina ſolet vti græcis, ꝗ gręci latinis. Veteres illi Romani, vt Gracchi, rationes affectuũ parum tenebant. Oratores maximi fuerunt tempore Ciceronis L. Craſſus, M. Antonius, Cotta, Sulpitius, quos omnes libro de Oratore differentes facit, quibus addatur Hortenſius. L. Craſſi perpauca ſunt exempla monumento literarum mandata, quia nul-

ſam iudicialem ſcripſit orationem. Suaſorias aliquot reliquit, vt quas olim tanquam locis contrarias agitauit nepos ille Brutus. Nihil præter vnum de arte rhetorica libellum ſcripſit Antonius, qui quantũ mouendis animis poſſet, oſtendit in Aquilij defenſione, ſed nec ille magnoperc iudices ad iracundiam fletúmve ducebat. Nihil Cotta tenuis Orator, Nihil Sulpiti⁹ grauis & ardens poſteritati reliquit. Dicebat melius quàm ſcripſit Hortenſius, id aſſequebatur eleganti pronũciatione. teſtis eſt Cicero tertio de Oratore. Quintilianus vndecimo libro de pronũciatione. Apparet, inquit, placuiſſe aliquid eo dicente, quod legentes non inuenimus. Vis affectuum quanta ſit, aut ſuſpicari, id eſt cõiectura aſſequi poſſumus, aut exemplis optimi cuiuſque cognoſcere. Si exempla ſequimur antiquorum, à Demoſthene ſumamus, non illa breuia quæ minus habent artis, vt ô incredibile ſcelus, dij te perdant, miſerum me, ſed illa perpetuæ dictionis, id eſt orationis continuæ, in quibus ſicut in ridiculis facetijſque perpetuis ars oratoria dominatur. Arduum magis eſt Demoſthenem pro Cteſiphonte ſua facta, conſilia, merita in Remp. non modo narrare vt intelligat auditor, ſed etiam rem totam multis affectibus immiſcere, vt etiam moueatur, quo velit, quàm ſi impetum faciente natura in vnum aliquem affectum repente prorupiſſet. Quemadmodum multo difficilius eſt lepidas totas aptare narrationes, quàm breue ridiculum dictúmque proijcere. De iudicio Cteſiphontis antea mentionem fecimus. Cicero ſic illam commendat orationem, vt includi poſſe arbitretur in eam formam, quæ eſt inſita in mentibus noſtris, hoc eſt referre ideam, & imaginem eloquentiæ perfectæ, cuius ſpeciem quandam inſeuit natura mentibus noſtris, non quòd ea ſit eloquentia numeris omnibus abſoluta, vt æterna Platonis idea, ſed quòd in ea parte ab homine maior eloquentia non inquiratur. Dictum eſt enim eloquentiam perfectam in vno aliquo reperiri non poſſe.

59 Sed iam ipſa forma reſtat, & character ille qui dicitur: qui qualis eſſe debeat, ex ipſis quæ ſuprà dicta ſunt, intelligi poteſt. Nam & ſingulorum verborum, & collocatorum lumina attigimus, quibus ſic abundabit, vt verbum ex ore nullum, niſi aut elegãs, aut graue exeat. ex omníque genere frequentiſſime tranſlationes erũt, quòd eæ propter ſimilitudinem transferunt animos, & referunt, ac mouent huc, & illuc: qui motus cogitationis celeriter agitatus per ſe ipſe delectat. Et reliqua ex

collocatione verborum quæ ſumuntur quaſi lumina, magnum afferunt ornatum orationi. Sunt enim ſimilia illis quæ in amplo ornatu ſcenæ, aut fori, appellantur inſignia, non quòd ſola ornent, ſed quòd excellant. Eadem ratio eſt eorum, quæ ſunt orationis lumina, & quodammodo inſignia. CVM autem duplicantur, iterantúrque verba, aut breuiter commutata ponuntur, aut ab eodem verbo ducitur ſæpius oratio, aut in idem coniicitur, aut in vtrunque, aut adiungitur idem iteratum, aut idem ad extremum refertur, aut continenter vnum verbum non in eadem ſententia ponitur, aut cũ ſimiliter vel cadunt verba, vel deſinunt, aut multis modis contrariis relata contraria, aut cum gradatim ſurſum verſus redîtur, aut cum demptis coniunctionibus diſſolute plura dicuntur, aut cum aliquid prætereuntes, cur id faciamus, oſtendimus: aut cum corrigimus noſmetipſos quaſi reprehendentes, aut ſi eſt aliqua exclamatio vel admirationis, vel conqueſtionis: aut cum eiuſdem nominis caſus ſæpius commutantur.

Artes quibus inſtruatur Orator, & genera cauſſarum, & locos communes attigit. Forma reſtat, à Græcis χαρακτὴρ, hoc eſt ſpecies & figura dicendi nominatur. Vis eius eſt aptare verba rebus, & figuras, tum rerum, tum verborum, déinde cõpoſitionem & numeros. Qualis eſſe debeat, ex ipſis quæ ſupra dicta ſunt intelligi poteſt. Nam cuiuſq; generis nota & formula delineata eſt, dictumq́; ſuppellectilem Oratorũ poſitam eſſe in ornamentis, ex quibus alia rerum ſunt, alia verborũ. Singula verba, aut propria, aut aliena, in alienis eſſe aut trãſlata, aut facta aliũde vt mutuo, aut facta ab ipſo Oratore, aut noua, aut priſca, aut inuſitata. Collocata habere ornatũ ſi aliquid concinnitatis efficiũt, quod verbis mutatis nõ maneat manẽte ſententia. Sententiarũ ornamẽta quę permanẽt, etiãſi verba mutaueris, eſſe quidẽ permulta, ſed quę emineant, pauciora his omnibus, veluti luminibus, ſic abundabit Orator vt

verbũ ex ore nullũ,niſi aut elegans,aut graue exeat. In elegãti gratia eſt.In graui põdus & virtus.vſus enĩ figurarũ talis eſt,vtemur Quintiliani verbis, vim rebus adijciunt & gratiam præſtãt.Ex omnique genere figurarũ,quarum magna ſylua eſt,frequentiſſime tranſlationes erunt,quæ μεταφοραὶ dicuntur.quippę quæ gratiam præſtant & voluptatem,propterea ꝙ transferunt animos à re præſenti ad illud vnde propter ſimilitudinen aſciſcuntur. referunt ab vno ad aliud ſimile,ac mouent huc & illud, qui motus animi diuerſa cogitantis celeriter agitatus per ſe ipſe delectat. Hæc cauſſa naturalis oſtendit quanti ſit in tropis & ſimplicibus verbis apte deducta tranſlatio.Reliqua præter metaphoram & tropos non è ſimplicibus verbis,ſed ex collocatione verborum ſumuntur ea quaſi lumina quibus illuſtratur oratio. Hæc quoque magnum afferunt ornatum orationi. Sunt enim ſimilia illis quæ in amplo ornatu ſcenæ, in qua fabulæ ludis publicis aguntur, aut fori in quo gladiatores & ſpectacula exhibentur, appellantur inſignia, hoc eſt excellentia ornamenta, quæ magiſtratus,vt ædiles, vt prætores vndique ad ludorum magnificentiam comparabant. Quod in foro gladiatores pugnauerint,Suetonius oſtendit in Iulio Cæſare,Munere,inquit,in foro depugnauit Furius Leptinus ſtirpe prætoria,& A.Calpenus ſenator quondã actorq́ue cauſſarum.De ludis alijs,Idem in Auguſto.Fecit ludos nonnunq̃ vicatim,ac pluribus ſcenis per omniũ linguarũ hiſtriones,nõ in foro modo,nec in amphiteatro,ſed in circo & in ſeptis.Inſignib⁹ ludorũ ſimilia ſunt orationis lumina,id eſt quæ rerũ & verborũ figurę vocant,de quib⁹ Quintilianus in nono. Cicero quidem omnis orationis lumina in hunc locum congerit, mediam quandam, vt arbitror, ſecutus viam,vt nec omnis ſermo iudicaretur, nec ea ſola quæ haberent aliquam remotam ab vſu communi fictionem, ſed quæ eſſent clariſſima,& ad mouẽdum auditorem valerẽt plurimum,quem duobus ab eo libris tractatum locum ad literam ſubieci, ne fraudarem legentes iudicio maximi authoris.hęc ille.In tertio de Oratore paulò plures enumerat. Geminatio verborum ſiue conduplicatio ἐπανάληψις dicitur, ab alijs ἀναδίπλωσις, ab alijs παλιλογία occidi occidi,ah Corydon Corydon, viuis & viuis non ad deponendam,ſed ad confirmandam audaciam. Paulum commutata verba παρονομασία non emiſſus ex vrbe,ſed immiſſ⁹ in vrbem. Sum vobis oneri, non honori.Eiuſdem verbi crebra à primo repetitio ἐπιβολὴ & ἐπαναφορὰ dicitur,Nihil ne te nocturnum pręſidiũ palatij? nihil vrbis vigiliæ? nihil timor populi? nihil conſenſus bonorum omnium? nihil hic munitiſſimus habendi ſenatus locus? nihil horum ora vultúſque mouerunt?

Eiuſdem verbi crebra in extremum conuerſio ἐπιστροφὴ & ἐπιφορά:Frumẽti maximus numerus è Gallia, peditatus ampliſſimi, copiæ è Gallia, equites numero plurimi è Gallia.

In eadem verba concurſio κοινότης ab alijs συμπλοκή. Quis eos poſtula-

nit? Appius. Quis eos perduxit? Appi⁹. Adiunctio eiuſdem iterati, Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa. Differt à figura priore, quia hæc in eadem ſententia eſt, illa in diuerſis. Aliter capit adiunctionem, qui ſcripſit ad Herennium. Sed de figuris & nominibus earum multa diſſenſio eſt. Ad extremum relatio ſiue regreſſio dici poteſt ἐπάνοδος, Pierides vos hæc facietis maxima gallo, gallo cuius amor tantum mihi creſcit in horas, Quantum vere nouo viridis ſe ſubijcit aln⁹. Eſt & ἐπάνοδος, diuellimur inde Iphitus & Pelias mecum, quorum Iphitus æuo Iam grauior, Pelias & vulnere tardus vlyſſi.

Similiter cadens ὁμοιόπτωτον. Similiter definiens ὁμοιοτέλευτον, illud in caſibus nominum & verborum temporibus, etiam ſi non cadunt in finem orationis. hoc in extremis verbis eſt. Vtriuſque ſit hoc exemplum, In rebus aduerſis cui conſilium præſto eſt, huic auxilium deeſſe nō poteſt. Similiter cadunt conſilium & auxilium, Similiter deſinunt eſt, & poteſt.

Cōtrarijs relata cōtraria ἐναντιότης & ἀντίθετα. Eorum ſpecies nouē Fabi⁹ enumerat. Faciamus quinque, alia ſunt oppoſita, alia priuātia, alia quæ relatiua dicuntur, alia contradicentia, alia repugnantia. Si conſeruator reip. Brutus, hoſtis Antonius, odit P. Romanus priuatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit.

Gradatio κλίμαξ. Neque verò ſe populo ſolum, ſed etiam ſenatui cōmiſit, nec ſenatui modo, ſed etiam publicis præſidijs & armis, neque ijs tantum, ſed etiam eius poteſtati cui ſenatus totam Remp. commiſit.

Solutum ἀσύνδετον abijt, exceſſit, erupit, euaſit.

Contrarium πολυσύνδετον, illud in celeritate, hoc in tarditate melius eſt, & tu te collige, & qui ſis, & quid facere poſſis conſidera.

Præteritum aut omiſſum, ἔλλειψις eſt quædam non illa ſententiarum παράλειψις Nouimus & qui te. verum proferre me pudeat.

Correctio ἐπανόρθωσις, hoc conſilio atque adeo hac amentia impulſi, quem ipſi quum cuperent, non potuerunt occidere, eum iugulandum vobis tradiderunt.

Exclamatio admirationis, O ſcelus incredibile & ante hoc tempus inauditum.

Exclamatio conquæſtionis, O meam calamitoſam ac præcipitem ſenectutē. O turpem exacta dementique ætate caniciem. De hac figura Quintilianus in nono. Sola, inquit, in eo libro, de hoc ipſo loquitur, ponitur inter figuras verborū exclamatio: quā ſententiæ potius puto. Ego quoq; idē puto. Nā ſententiarū ornamēta, ſi permanēt, etiamſi verba mutaueris, talis eſt exclamatio. Forte Cicero ſpectauit in exclamatione tantum mutari pronunciationem, quæ ab ipſo verbis & elocutioni ſubijcitur.

Caſuum commutatio πολύπτωτον, à quibuſdam traductio nominata. Senat⁹ eſt ſummi imperij conſilium, Senatui reip. cura mandatur, ad ſenatum in du-

bijs periculoſiſque rebus omnis ciuitas reſpicit. Lucreti⁹. Quem tu dea tempore in omni, omnibus ornatum voluiſti excellere rebus.

60 · Sed ſententiarum ornamenta maiora ſunt, quibus quia frequentiſſime Demoſthenes vtitur, ſunt qui putent idcirco eius eloquētiam maxime eſſe laudabilem. Et vero nullus fere ab eo locus ſine quadam cōformatione ſententiæ educitur: nec aliud quicquā eſt dicere, niſi omnes, aut certe pleraſque aliqua ſpecie illuminare ſententias: quas quum tu optime Brute teneas, quid attinet nominibus vti, aut exemplis? tantummodo notetur locus. Sic igitur dicet ille quem expetimus, vt verſet ſæpe multis modis eandem & vnam rem, & hæreat in eadèm commoretúrque ſententia, ſæpe etiam vt extenuet aliquid, ſæpe vt irrideat, vt declinet à propoſito, deflectátque ſententiam, vt proponat quid dicturus ſit, vt cum tranſegerit iam aliquid, definiat, vt ſe ipſe reuocet, vt quod dixit iteret, vt argumentum ratione concludat, vt interrogãdo vrgeat, vt rurſus quaſi ad interrogata ſibi ipſe reſpondeat, vt contra ac dicat accipi & ſentiri velit: vt addubitet quid potius, aut quomodo dicat: vt diuidat in partes, vt aliquid relinquat ac negligat, vt antè præmuniat, vt in eo ipſo, in quo reprehendatur, culpam in aduerſarium conferat: vt ſæpe cū iis qui audiunt, nonnunquam etiam cum aduerſario quaſi deliberet: vt hominum ſermones moréſque deſcribat, vt muta quædam eloquētia inducat, vt ab eo quod agitur, auertat animos, vt ſæpe in hilaritatem riſúmve cōuertat, vt antè occupet, quod putat opponi, vt comparet ſimilitudines, vt vtatur exemplis, vt aliud alii tribuēs diſpertiat

ſpertiat, vt interpellatorem coerceat, vt aliquid reticere ſe dicat, vt denunciet quid caueat, vt liberius quid audeat, vt iraſcatur etiam, vt obiurget aliquãdo, vt deprecetur, vt ſupplicet, vt medeatur, vt à propoſito declinet aliquantulũ, vt optet, vt execretur, vt fiat iis apud quos dicet, familiaris. atque alias etiam dicendi quaſi virtutes ſequatur, breuitatem, ſi res petet. ſæpe etiam rem dicẽdo ſubiiciet oculis, ſæpe ſuprà feret quàm fieri poſſit, ſignificatio ſæpe erit maior, quàm oratio, ſæpe hilaritas, ſæpe vitæ naturarũmq; imitatio. Hoc in genere (nã quaſi ſyluam vides) omnis eluceat oportet eloquẽtiæ magnitudo: ſed hæc niſi collocata, & quaſi ſtructa, & nexa verbis, ad eam laudem quã volumus, aſpirare nõ poſſunt.

Rerum quàm verborum maior eſt authoritas, ideóq; ſententiarũ q̃ verborum ornamenta maiora ſunt. quibus quia frequentiſſime Demoſthenes vtitur, ſunt qui late ducentes figuræ nomen putent iccirco eius eloquentiam maxime eſſe laudabilem. ſed aliæ ſunt plurimæ virtutes eloquentiæ, quãobrem falſum putant, ſi modo hoc vnũ laudandum putãt: illorum tamen opinio valet, ad commendationem figurarum. Enimuero nullus fere ab eo locus ſine quadam conformatione, id eſt χηματισμῶ & figura ſententiæ educitur, hoc eſt altiore gradu collocatur, vt humilitate ſermonis relicta, exiſtat is locus & emineat. a locis hanc eſſe tranſlationem perſpicuum eſt, q̃q̃ fuerũt qui legendũ putarent edicitur. Porrò ſuperiorem confirmat opinionem, nec aliud quicquam eſt dicere, hoc eſt Oratorum more pulcherrime diſſerere, niſi omnes ſi fieri poteſt, aut certe pleraſque id ſi tantum datur, aliqua ſpecie, id eſt ſchemate & figura, illuminare ſentẽtias. Hic ſpeciem latius ampliauit ad omnem orationis decorem, vt cõformationes ex arte commendaret. Nemo ſane dixerit in his ſententiarum figuris omnem eſſe poſitam eloquẽtiam, niſi quicquid in oratione laudabile eſt, hac appellatione cenſuerit. Hic nomina Græcorum præſertim relinquit & exempla. Tantummodo locum notat, vnde figuras inſigniores excipere poſſis. Commoratio eſt quum in loco firmiſſimo manetur diutius, & eodẽ ſæpius reditur. Cicero pro Sexto Roſcio, rogat, orátque te Chryſogone, ſi nihil de patris fortunis ampliſſimis in ſuam rem conuertit, ſi nulla in re te fraudauit, ſi tibi optima fide ſua omnia conceſſit, adnumerauit, appendit, ſi veſtitum quo ipſe tectus erat, an-

nulúmque dedit, os ſuum tibi tradidit, ſi ex omnibus rebus ſeipſum nudam, neque prӕterea quicquam excepit, vt ſibi per te liceat innocenti amicorum opibus vitam in egeſtate degere. verſat eandem ſententiam Prӕdia mea tu poſſides, ego aliena miſericordia viuo. Mea domus tibi patet, mihi clauſa eſt. familia mea maxima vteris, ego ſeruum habeo nullum. Illud idem in curſu partium frequenter inculcauit. Eſt igitur longioris exempli commoratio. Extenuatio eſt eleuatio ἐξουθενισμός. Eieci ego te armatis hominibus, non deieci, vt tantum facinus non in ӕquitate iuris, ſed in vna litera latuiſſe videatur. Sic extenuauit ſcientiam iuris pro Murena, in quo μείωσις eſſe dicitur, quę etiam extenuatio quędã eſt. Irriſio διασυρμὸς & σαρκασμός. Quod facerem vehementius, niſi mihi intercederent inimicitiӕ cum iſtius mulieris viro, fratrem volui dicere, ſemper hic erro.

Declinatio à propoſito eſt egreſſio ἔκβασις, qualis eſt pro Sexto Roſcio, de accuſatoribus, & altera de ſtatu reip. exempla longiora vito.

Propoſitio vt aliӕ multӕ in figuris illuſtrioribus non habetur. Quomodo, inquit Fabius, iudex doceri poteſt, ſi deſit illuſtris explanatio, propoſitio, permiſſio, finitio, ſeiunctio, expoſitio ſententiӕ ſuӕ, rationis apta concluſio, prӕmunitio, ſimilitudo, exemplum, digeſtio, diſtributio, interpellatio, interpellantis correctio, contentio, purgatio, lӕſio?

Propoſitio eſt. Non fuit cauſſa cur Nӕuius poſtularet à prӕtore, vt Quintij bona ex edicto poſſideret.

Tranſacti definitio, ſententiӕ ſuӕ expoſitio ὁρισμὸς & ἐπεξήγησις, qua quod antè dictum eſt, aliquo finiendi genere explicatur. Pro Roſcio. Teſtimonium dicturus eſt, qui & ſector eſt & ſiccarius, hoc eſt qui & illorum ipſorum bonorum, de quibus agitur, emptor atque poſſeſſor eſt, & eum hominem occidendum curauit, de cuius morte quӕritur.

Reuocatio ſuiipſius, ſed finis ſit, neque enim prӕ lachrymis loqui poſſum. Finis non erit, ſi ſingula perſequamur. Plin. in epiſtolis. Penè prӕterij quod minime prӕtereundum fuit, accepiſſe me cariotas optimas.

Iteratio dictorum ἐπανάληψις à Rufiniano dicitur, Pro Quintio. Oſtendam primum cauſſam non fuiſſe, cur à prӕtore poſtulares, vt bona P. Quintij poſſideres, deinde ex edicto te poſſidere non potuiſſe, poſtremo non poſſediſſe. Quӕſo C. Aquili voſque qui eſtis in conſilio, vt quid pollicitus ſim diligenter memoriӕ mandetis. Nego fuiſſe cauſſam cur poſtularet, nego ex edicto poſſidere potuiſſe, nego poſſediſſe.

Argumenti concluſio figuram nouam induit, quum ratione firmatur, vt his de cauſſis ego huic cauſſӕ patronus exiſti, non electus vnus qui maximo ingenio, ſed relictus ex omnibus, qui minimo periculo poſſem dicere.

Interrogatio. ἐρώτημα, vbi eos cõuenit? quicum locutus eſt? quomodo perſuaſit? precium dedit? cui dedit? per quem dedit? vnde & quantum dedit?

Ad interrogata reſponſio, dicitur à quibuſdam ἀπόφασις, domus tibi deerat? at habebas, pecunia ſupererat? at egebas.

εἰρωνεία eſt quę contra ac dicat, accipi & ſentiri velit. Nouũ crimen C. Cęſar, & ante hũc diẽ inauditũ, propinquus meus ad te Q. Tubero detulit, Quintũ Ligariũ in Aphrica fuiſſe. Eo refer & ea quæ falſo per modeſtiam dicũtur. Addubitatio διαπόρησις vel ἀπορία. Equidem quo me vertam neſcio, negem fuiſſe illam infamiam iudicij corrupti? negem illam rem agitatam in concionibus? euellam ex animis hominum tantam opinionem?

Diſtributio, animaduerti iudices omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes. Alexandro Macedoni, neque in deliberando conſilium, neque in pręliando virtus, neq; in beneficio benignitas deerat. Nã quũ aliqua res dubia accidiſſet, apparebat ſapientiſſimus, quũ autem confligendũ eſſet cũ hoſtibus, fortiſſimus: quum vero præmium dignis tribuendũ, liberaliſſimus.

Ἀπόλειψις eſt quæ aliquid relinquit ac negligit, niſi forte expectatis, vt, illa diluam quæ de peculatu, ac de eiuſmodi rebus commentitijs inaudita nobis ante hoc tempus ac noua obiecit, de quibus quum verbo arguit, verbo ſatis eſt negare.

Præmunitio παρασκευή. Anna ſoror quæ me ſuſpenſam inſomnia terrent: & quæ ſequuntur. Prætexit aliquid ad amorem ſorori detegendum.

Reiectio criminis culpam in aduerſarium confert. In Antonium reiecit obiectum crimen. Tu tu inquam Marce Antoni princeps C. Cæſari perturbare omnia cupienti cauſſam belli contra patriam inferendi dediſti. Sic & parricidium refert in accuſatores Sexti Roſcij.

Communicatio ἀνακοίνωσις, aduerſarios conſulit, aut cum iudicibus deliberat. Si vos in eo loco eſſetis, quid aliud faceretis?

Deſcriptio morũ ſermonúmque ἠθοποιία, hac vtitur in Piſonem, & in Chryſogonum pro Sexto Roſcio. exempla longiora non pono.

προσωποποιία, muta quædam loquentia inducit, vt in Catilinam. Si mecum patria ſic loquatur, Marce Tulli quid agis? Quæ tecum Catilina ſic agit, & quodam modo tacita loquitur.

Auerſio quæ a propoſita quæſtione abducit audientem ἀποστροφὴ quædam eſt. Non ego cum Danais, Troianam excindere gentem, Aulide iuraui. Huc pertinet ἀποπλάνησις quæ audientem ducit in errorem.

Hilaritas & riſus, ἀστεισμὸς dicitur, id eſt vrbana ratio loquendi, vt lepida narratio in Cepaſios fratres pro Cluentio. Et in Verrem, Execrabantur ſacerdotem qui tam nequam Verrem reliquiſſet.

Occupatio προκατάληψις, Neq; me argolica de gente negabo, dicat aliquis, Sic inſtituis mores?

Comparatio ſimilitudinum ὁμοίωσις in qualitate, σύγκρισις in quantitate. Similitudo eſt, fertur vt torrens. Comparatio, tantũ matri quantũ patri debeo.

Exemplum παράδειγμα. Neque enim potuiſſet, aut Ala ille Seruilius, aut P. Naſica, aut L. Opimius, aut C. Marius, aut me conſule Senatus non nefarius haberi, ſi ſceleratos ciues interimere nefas eſſet.

μερισμὸς, eſt qui aliud alij, partiendo tribuit. Tres ſunt res quæ obſtent hoc

tempore Sexto Roſcio, crimen aduerſariorum, & audacia, & potentia. Criminis confictionem accuſator Erucius ſuſcepit, Audaciæ partes Roſcij ſibi popoſcerunt, Chryſogonus autem is qui plurimũ poteſt, potentia pugnat.
Interpellatoris correctio pro Rabyrio. Nihil me clamor iſte commouet, ſed conſolatur cum indicat eſſe quoſdam ciues imperitos, ſed non multos. Quin continetis vocem indicem ſtultitiæ veſtræ? teſtem paucitatis?
Reticẽtia ἀποσιώπησις. Demoſthenes, Nõ pari ego, & aduerſari⁹ periculo ad iudiciũ venimus, Sed mihi quidẽ nolo quicq̃ initio dicẽdi ominoſius ꝓloqui.
Denunciatio cauentis, verum homines notos ſumere odioſum eſt, quum & illud incertum ſit, velintne ij ſeſe nominari.
παῤῥησία, id eſt licentia, liberius quid audet. Quid aliud egimus Tubero, niſi vt quod hic poteſt, nos poſſemus?
Ira ἀγανάκτησις, Fero ego te Torquate, Iamdudum fero.
Obiurgatio, ἐπιτίμησις alter ἐπίπληξις, ſi quis eſt iudices, qui illam Poſthumi ſiue inanem ſpem, ſiue inconſultam rationem, ſiue vt grauiſſimo verbo vtar, temeritatem vituperandam putet, ego eius opinioni non repugno. Alia eſt, Patere tua conſilia non ſentis?
Deprecatio δέησις, vos obſecro iudices, vt huic optimo viro, quo nemo melior vnquam fuit, nomen equitis Romani & vſuram huius lucis, & veſtrum conſpectum ne eripiatis.
Supplicatio plus eſt q̃ deprecatio. Præclarũ eſt exemplum actione ſeptima in Verrem in peroratione, vbi ſupplex deos, deaſque obſecrat, quorum fama Verres depeculatus fuerat.
Medela quæ morbis & vulneribus adhibetur. Morbi dicuntur affectus, vulnera autem, acerba maledicta. Nunc eiuſdem Appię nomen quantas tragœdias excitat? quæ cruentata antea cæde honeſti, atq; innocentis viri ſilebatur, eadẽ nũc crebro vſurpat, poſteaq̃ latronis & parricidæ ſanguine imbuta eſt.
Eſt etiam medela quę ἐπιθεράπευσις ab Aſco. dicitur in Verrem. An me taciturum tantis de reb. existimauistis? Breuior a re digreſſio. Et aſpexit me illis quidẽ oculis, quibus tum ſolebat, quum omnibus omnia minabatur.
Optatio, Vellem dij immortales feciſſent, P.C. vt viuo potius Seruio Sulpitio gratias ageremus, quàm mortuo honores quæreremus.
Execratio ἀρεά. O ſcelus, ô portentum in vltimas terras exportandum.
Significatio familiaritatis, quędã eſt συνοικείωσις nõ illa quę duas res diuerſas colligit. Fide ſapiẽtiaq; fretus plus oneris ſuſtuli, q̃ ferre me poſſe intelligo.
Breuitas βραχυλογία. Quæres a me, quo iure obtinere poſſim, quo iure mihi Polien⁹ reliqt. Pętor dedit poſſeſſionẽ. aliā ſunt exẽpla quarto ad Herẽniũ.
ὑποτύπωσις, rem dicendo ſubijcit oculis. Ipſe inflammatus ſcelere, ac furore in forum venit, ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emanabat.
Superlatio ὑπερβολή, Oceanus mediusfidius vix videtur tot res tam diſſipatas, tam diſtantibus in locis poſitas, tam cito abſorbere potuiſſe.
Significatio maior quam oratio ἔμφασις. Non licuit thalami expertem

ſine crimine vitam degere moræ feræ?
Hilaritas χαριεντισμὸς. Paulò antè ſcripſit, Sic dicet Orator vt ſæpe in hilaritatem riſúmve conuertat, illic accipimus ridiculum ſalſúmque dictũ, quod riſum mouet, hic lepidum florénſque dicendi genus, quod etiam citra riſum exporrigit animum audientis, quale eſt in Rullum de obſcura concione.
Imitatio μίμησις dicebam habere eos actorem Quintum Cæcilium. Quid mihi, inquit, cum iſta ſumma ſanctimonia ac diligentia? viderint, inquit, iſta officij boni viri.
Hæc conformationum ſylua, hoc eſt confuſa materia eſt, quæ collocata ordine diſponendi, & ſtructa coagmẽtatione verborum, & nexa vinculis numerorum, eloquentię magnitudinem oſtendit.

De quo cum mihi deinceps viderem eſſe dicẽdum, 61
etſi mouebãt etiam me illa, quæ ſuprà dixeram, tamen iis quæ ſequũtur, perturbabar magis. Occurrebat enim poſſe reperiri non inuidos ſolum, quibus referta ſunt omnia, ſed fautores etiam laudũ mearum, qui non cenſerẽt eius viri eſſe, de cuius meritis tanta ſenatus iudicia feciſſet comprobante populo Ro. quanta de nullo, de artificio dicendi literis tam multa mandare. Quibus ſi nihil aliud reſponderem, niſi me M. Bruto negare rogãti noluiſſe: iuſta eſſet excuſatio, cum & amiciſſimo, & præſtantiſſimo viro, & recta, & honeſta petẽti ſatiſfacere voluiſſem. Sed ſi profitear, quod vtinã poſſem, me ſtudioſis dicendi, præcepta, & quaſi vias, quæ ad eloquentiam ferrent, traditurum: quis tandem id iuſtus rerum æſtimator reprehenderet? Nam quis vnquam dubitauit, quin in republica noſtra primas eloquentia tenuerit ſemper vrbanis, pacatíſque rebus, ſecundas iuris ſcientia? cum in altera gratiæ, gloriæ, præſidii plurimum eſſet, in altera perſecutionũ, cautionúmque præceptio: quæ quidem ipſa auxilium ab eloquentia ſæpe

peteret, ea vero repugnante vix ſuas regiones fineſque defenderet. Cur igitur ius ciuile docere ſemper pulchrum fuit, hominúmque clariſſimorum diſcipulis domus floruerunt? ad dicendum ſi quis acuat, aut adiuuet in eo iuuentutem, vituperetur? Nam ſi vitioſum eſt dicere ornate, pellatur omnino è ciuitate eloquentia. ſin ea non modo eos ornat penes quos eſt, ſed etiam vniuerſam remp. cur aut dicere turpe eſt, quod ſcire honeſtum eſt: aut quod noſſe pulcherrimum eſt, id non glorioſum docere?

In elocutione figuræ verborũ conſiderãtur, vt tropi & ſchemata lexeos, deinde lumina ſententiarum, poſtea iunctura ſyllabarum & coagmentatio, de qua quum dicturus eſſet, veritus eſt, ne minora dignitate ſua tractare videretur. Præſumit igitur ea quę obijci poſſunt, vt ſimul ĩteruallis quibuſdã & egreſſionib⁹ præcepta diſtinguat, ſimul obtrectatorib⁹ occurrat. De collocandis verbis ſtruendiſque quum mihi deinceps viderem eſſe dicendum, quia is eſſet locus alter loquendi, etſi mouebant me illa quæ ſupra dixeram, de rebus & partibus eloquentiæ perfectæ, tamen iis quæ ſequuntur verborum ſtructuris perturbabar magis, eo quod minus eſt dignitatis in præceptionibus verborum quàm ſententiarum. Veniebant in mentem inuidi, quibus referta ſunt omnia, veniebant etiam fautores laudum mearum, qui non cenſerent viri conſularis eſſe, de artificio dicendi literis tam multa mandare, quàm multa ſcripta ſunt in libris de Oratore, in partitionibus, de claris oratoribus, in fine Topicorum, in Oratore, quæ etſi omnia plena ſunt authoritatis, quibuſdam tamen inferiora videantur honoribus viri de cuius meritis in Remp. permulta ſenatus iudicia feciſſet. Nam Q. Catull⁹ princeps ſenatus, frequenti ſenatu M. Tullium parentem patriæ nominauit. L. Gellius Ciuicam coronam ei deberi à Rep. dixit. Eidem togato ſenat⁹, nomine conſeruatæ reip. ſingulari genere ſupplicationis, deorum immortalium templa patefecit, Exuli partiam reſtituit, domum publico ſumptu refecit, hęc ita magna ſunt, vt nihil literarum monumenta vincant: Itaque cauſſam tuetur, & Marci Bruti authoritate, & exemplo iuriſperitorum, & rei cum vtilitate, tũ dignitate. Cur autem M. Bruto ſatiſfactum velit, hæc faciunt ꝙ Brutus eſt pars nominis ampliſſimæ familiæ, ꝙ rogat, ꝙ amiciſſimus, ꝙ præſtantiſſim⁹ vir, ꝙ recta & honeſta petit. Deinde nemo iuſtus rerum æſtimator qui res omneis æquo metiatur pręcio, reprehendet eum qui ſuo iure profiteatur ſe

ſtudioſis dicendi præcepta & quaſi vias, id eſt, methodos quæ ad eloquentiã ferunt, traditurum. Etenim Romę nõ in ſagis & in re militari, ſed in toga & in vrbanis pacatiſque rebus, duę fuerunt artes ampliſſimæ, eloquentia & iuriſcientia. Primas eloquentia partes habuit, Secundas iuriſciẽtia. In eloquẽtia gratiæ, gloriæ, præſidij plurimum fuit. Hoc eſt Oratores gratiam multorum amicitiámque iungebant, magnam ſibi parabant gloriam, multos veluti præſidio tuebantur. In iuriſcientia perſecutionum, cautionúmque præceptio. Hoc enim officium iuriſperiti præcipere quid perſequare iuſtum, quid caueas iniuſtum. Summa iuris eſt honeſte viuito, Neminem lædito, Ius ſuum cuique tribuito. Hęc ipſa auxilium ab eloquentia petit, cuius oratione explicat æquitatem, coniecturas euoluit, rationem mentémque legis exponit, ſcriptum & voluntatem, quæque leges etentu collidũtur, inter ſe comparat. Nimium muta ſi ſola eſt iuriſprudentia. Quemadmodum princeps opibus & arte bellica inferior aduerſus hoſtẽ ſuos fines tueri nõ poteſt, ita iuriſprudentia repugnante & concertante eloquentia, vix ſuas regiones finéſque defendit, quod tum aperte videbatur, quum Oratores cauſſas dicerent, Iuriſperiti veluti monitores conſiliũ ſuggererent. Ergo ſi ius ciuile docere, ſemper pulchrum fuit, hominúmque clariſſimorum, vt Scæuolæ, vt Sulpitij, diſcipulis domus floruerunt, cur vituperetur, qui eloquentiæ præcepta profiteatur, & ad dicendum acuat & adiuuet in eo iuuentutem? Certe quod in eo genere maius eſt, id quoque honeſtius videtur. Idem ἐκ τῶν πρὸς ἄλληλα, id eſt, ex his quæ ſub eandem rationem veniunt, & conſequentia ſunt, oſtendi poteſt. Non eſt vitioſum dicere ornate, non igitur vitioſum diſcere ornate. Non eſt turpe diſcere, quod ſcire honeſtum eſt, quod autem noſſe pulcherrimum eſt, id quoque glorioſum docere. Eiuſmodi eſt eloquentia, quæ ſi quos ornat, honeſta ſit neceſſe eſt, ornat autem eos penes quos eſt, qui ſunt eloquẽtes, ornat vniuerſam remp. Pulchrum quidem ciuitati & imperio ciues habere eloquentes qui cõcilia, iudicia, conciones, legationes oratione moderari poſſint.

At alterum factitatum eſt, alterum nouum. fateor, 62
ſed vtriuſque rei cauſa eſt. Alteros enim reſpondentes audire ſat erat, vt ii qui docerent, nullum ſibi ad eam rem tempus ipſi ſeponerent, ſed eodem tempore & diſcentibus ſatisfacerent, & conſulẽtibus. Alteri, cum domeſticum tempus in cognoſcendis, componendíſque cauſis, forenſe in agendis, reliquum in ſeipſis reficiendis omne conſumerent, quem habebant inſtituẽdi, aut docendi locum? Atque haud ſcio, an plerique noſtro-

rum oratorum ingenio plusvaluerint,quā doctrina.itaque illi dicere melius,quàm præcipere, nos contrà fortaſſe poſſumus. At dignitatem docere non habet.certe, ſi quaſi in ludo:ſed ſi monendo, ſi cohortando , ſi percontando,ſi communicando,ſi interdum etiam vnà legendo,audiendo:neſcio cur nō docendo etiam aliquid aliquādo,ſi poſſis meliores facere,cur nolis? An quibus verbis ſacrorum alienatio fiat,docere honeſtum eſt:quibus ipſa ſacra retineri,defendiq; poſſint nō honeſtū eſt? At ius profitentur etiā qui neſciunt:eloquentia autem illi ipſi,qui conſecuti ſunt,tamen ſe valere diſſimulant, propterea quòd prudentia hominibus grata eſt, lingua ſuſpecta.Num igitur aut latere eloquentia poteſt,aut id quod diſſimulat,effugit, aut eſt periculum ne quis putet in magna arte,& glorioſa turpe eſſe docere alios id, quod ipſi fuerit honeſtiſſimum diſcere? Ac fortaſſe cæteri tectiores:ego ſemper me didiciſſe præ me tuli.quid enim poſſem?cum abfuiſſem adoleſcens,& horum ſtudiorum cauſa mare tranſiſſem , & doctiſſimis hominibus domus referta eſſet , & aliquæ fortaſſe ineſſent in ſermone noſtro doctrinarum notæ,cùmque vulgo ſcripta noſtra legerentur,diſſimularem me didiciſſe ? quid erat cur probarem?niſi quod parum fortaſſe profecerā.

Proponit ἀντιπεφορὰς & obiectiones numero treis,quas ordine refutet, Semper,inquiunt aduerſarij,factitatum eſt , vt iuriſperiti docerent , nouum eſt Romę inſtitutionis oratoriæ genus.Etenim ſi de ſcriptoribus agim⁹ Romanorum,primus, quantum ego quidem ſciam,inquit Quintilianus,condidit aliqua in hāc materiam M. Cato ille Cēſorius,pòſt M.Antoni⁹ inchoauit.Si de ludimagiſtris loquimur, eos paulò ante tempora M . Antonij cœpiſſe conſtat. diſſoluit iſtuc Cicero nō id eſſe factum rei indignitate, ſed occupatione Oratorum, & imperitia docendi.Sat erat diſcipulis ſi iuriſperitos reſpon-

reſpondentes conſulentibus audirent, quamobrem ij qui docebant, nullum ſibi ad docendum tempus ipſi ſeponebant, quum eodem tempore & diſcipulis ſatisfacerent & conſulentibus. Oratores domeſticum tempus adhibebant primum cognoſcẽdis à litigatore cauſſis, deinde componẽdis ac digerendis in orationem. Forenſe tempus inſumebãt agendis cauſſis. Reliquum temporis ſpacium in ſeipſis reficiendis, curandiſque omne conſumebant. Non habebant igitur inſtituendi adoleſcentes, aut docendi locum, quod eſt tempus opportunũ. Ne miremur igitur ſi ante iuriſconſulti, q̃ oratores iuuẽtutem docere cœperunt. Altera cauſſa eſt, Plerique Romanorũ, non ita multi Græcorum, ingenio, naturâque plus valuerunt q̃ doctrina. Ingenioſi dicere poterant ex communi illa hominum opinione. Incruditi præcipere de arte dicendi non poterant, non præcipiebant igitur, ij qui diſſerebant. Ingenium quidem non arroget ſibi Cicero modeſtus, ſed diſcendi laborem, quo præcipere poſſit. Scit autem ſe & ingenio & doctrina valere. Alterũ quod obijcitur, hoc eſt, Docere rhetoricas artes dignitatẽ non habet, Romæ maxime, vbi honoribus, magiſtratibus, imperijs & gloriæ ſtudeant omnes, qui nolint eſſe in ocio, in ſchola, in vmbratili vita, ſed in adminiſtratione reip. in luce & ſplendore ciuium. Hic occurrendo duplicem facit doctrinam, alteram ludi magiſtri, quæ vt honeſta eſt, ſic iſto iudice, alta dignitate & ſplendida magnificentia caret, quanquam Socrates, Plato, Ariſtoteles, Theophraſtus, non minorem ſibi gloriam in ſchola quæſierũt, q̃ qui Romæ, aut ſenatores, aut conſules fuerunt, & huic idem Marco non minus ad gloriæ fructũ domeſticæ literę, quàm res in rep. geſtę attulerunt. Alterum docendi genus eſt, quum monemus aliquem ſui muneris, quum cohortamur ad ſuſcipiendum aliquid, quum percontamur quæ ſit eius aliqua de re ſententia, quum communicamus ſtudia noſtra, quum vnà legimus aliquod ſcripti genus, quum audimus alium verba facientem, quum docemus rudiores nobis, hoc genus non tollit viri dignitatem. Nam quemadmodum iuriſperiti nihil amittũt ſuæ dignitatis, ſi tradunt eam formulam, & eam verborum conceptionẽ, qua ſit vtendum in alienatione ſacrorũ, ſic & Orator non amittit dignitatem ſi docet quibus verbis, quâve ratione dicendi, ſacra retineri defendiq́ue poſſint. Hic cum iuriſperito confertur Orator, & verba iuris cum verbis orationis. Non profana modo, ſed etiam ſacra familiarum poſſunt alienari. Alienatio profanorum liberior, eaq́ue cauſſa notior, arte minus eget: hinc itaq́ue non deſumitur exemplum. Alienatio ſacrorum libera minus, formulas & verborũ conceptiones habet occultiores, quærit igitur eruditionem & ſcientiã iuris. Hinc igitur maluit exemplum ducere, in quo partes alienandi iuriſperito, retinẽdi vero tribuit Oratori, quoniã ſecundæ ſunt in actione & honeſtiores videntur. Sicut autem nulla ſunt Oratori verba certa & propria, quibus ſacra retineri poſſit, ſed è communi extruendę orationis artificio propria componit, ita iuriſperitus è genere legum ſpecies educit, è formis autẽ ſingulas partes. Quibus ergo verbis ſacrorum alienatio fiat, reſpondebit è cõmuni formula;

ſicut Orator ex vniuerſo genere præceptionu̅ colliget, quibus ſacra verbis retineri defendiq̃ poſſint. De ſacris publicis hic nõ agit, ſed familiarũ, quibus erãt ſacra ꝓpria ac domeſtica, de quibus Cicero pro domo ſua. Quæ deinde cauſſa cuiq; ſit adoptionis, quæ ratio generum ac dignitatis, quæ ſacrorum, quæri à pontificum collegio ſolet, ibidem. Quas adoptiones, ſicut alias innumerabiles, hæreditates nominis, pecuniæ, ſacrorum ſecutæ ſunt. Hinc elicias per adoptionem ſacra aliquando alienari, ibidem. Ita perturbatis ſacris, contaminatis gẽtibus, & quas deſeruiſti, & quas polluiſti, iure Quiritium legitimo, tutelarum & hæreditatum relicto, factus es eius filius contra fas, cuius per ætatem pater eſſe potuiſti: ibidem. Quid? Sacra Clodiæ gentis, cur intereunt quod in te eſt? Horum ſacrorum deteſtatio, interim fieri ſolebat in comitijs calatis. Gellius libro decimo quinto. Iiſdem comitijs quæ calata appellari diximus, & ſacrorum deteſtatio, & teſtamenta fieri ſolebant.

Tertium eſt quod obijcitur, moris eſſe diſſimulare artificium dicendi, non item iuris prudentiam? quia prudentia qua valere debet iuris interpres, hominibus grata eſt, lingua dicentis artificio polita, ſuſpitione falli laborat. quamobrem ius profitentur, etiam qui neſciunt, aut prudentia freti, aut quæſtu ducti, aut temeritate impulſi. Eloquentia autem illi ipſi qui conſecuti ſunt, tamen ſe valere diſſimulant, vt ille Marcus Antonius, diſſimulator artis, hinc effici videtur, non eſſe diuulganda præcepta dicendi. Occurrit hoc modo, neq; artem latere poſſe, neq; ſe vnquam doctrinam diſſimulare voluiſſe. Eloquentia latere non poteſt, nec ſi diſſimulat artem, ſuſpitionem tamen effugit, quoniã ſubeſſe artem ſentiũt omnes, nec turpe tibi eſt alios id docere, quod tu ab alijs ipſe didiceris honeſtiſſime. Quod igit̃ neq; celari poſſit, neq; ſi poſſit debeat, nemo vereatur eius pręcepta profiteri. Ac fortaſſe Oratores cęteri tectiores ac diſſimulantiores eruditionis fuerũt. Etenim permulti verebantur, ne ſi detegeretur artificium, minus authoritatis haberent in dicendo, minúſque aſſequerentur fidei. Ego ſemper, inquit, me didiciſſe præ me tuli. Quid enim poſſem? hoc eſt eruditionẽ diſſimulare non poſſem, quum abfuiſſem adoleſcens ab Italia, rhetoricorúmque ſtudiorum cauſſa mare Ionium tranſijſſem in Græciam. Cicero quum Moloni Romæ dediſſet operam, profectus Athenas cum Antiocho veteris Academiæ philoſopho, cumque Demetrio Syro dicendi magiſtro fuit. Deinde peragrauit Aſiam, vbi verſatus eſt cum Menippo Oratore florentiſſimo, hinc Rhodum venit, ſeque ad eundem quem Romæ audiuerat Molonem applicauit, vbi domum reuerſus eſt, ac in cauſſis agendis anteceſſit omneis, doctiſſimis hominibus domus eius referta eſt. Confluebant enim plerique adoleſcentes ad optimum dicendi magiſtrum, ſummúmque temporis eius Oratorem. Inerãt in ſermone viri doctrinarum notæ, quæ multarum ſigna ſunt artium, nec in ſermone tantum doctrinam redolebat, ſed & in ijs orationibus, quæ ab eo ſcriptæ vulgo legebãtur, propterea non erat cui probaret nihil arti dediſſe, niſi parum profeciſſe videretur, qui plurimum profecerat.

Quod cum ita ſit, tamen ea, quæ ſupra dicta ſunt, plus in diſputando, quàm ea de quibus dicendum eſt, dignitatis habuerunt. De verbis enim componendis, & de ſyllabis propemodũ dinumerandis, & dimetiendis loquemur: quæ etiam ſi ſunt, ſicuti mihi videntur, neceſſaria, tamen fiunt magnificentius, quàm docentur. Eſt id omnino verum, ſed proprie in hoc dicitur. nam omniũ magnarum artiũ, ſicut arborũ, altitudo nos delectat, radices, ſtirpéſque non item. ſed eſſe illa ſine his non poteſt. Me autem ſiue peruagatiſſimus ille verſus, qui vetat artem pudere proloqui quã factites, diſſimulare non ſinit, quin delecter: ſiue tuum ſtudiũ hoc à me volumen expreſſit: tamen eis, quos aliquid reprehenſuros ſuſpicabar, reſpõdendum fuit. Quòd ſi ea, quæ dixi, non ita eſſent: quis tamen ſe tam durum, agreſtémque præberet, qui hanc mihi non daret veniã, vt cum meæ forenſes artes, & actiones publicæ concidiſſent, non me aut deſidiæ, quod facere non poſſum: aut mœſtitiæ, cui reſiſto, potius quàm literis dederem? quæ quidem me antea in iudicia, atque in curiam deducebant, nunc oblectãt domi. nec vero talibus modo rebus, quales hic liber continet, ſed multo etiam grauioribus, & maioribus: quæ ſi erunt perfectæ, profecto forenſibus noſtris rebus & domeſticæ literæ reſpondebunt. Sed ad inſtitutam diſputationem reuertamur. 63

Planum factum eſt orandi profeſſionem, nihil habere indignitatis, quod quum ita ſit, tamen ea quæ ſupra dicta ſunt, de partibus eloquẽtiæ perfectæ, plus in diſputando dignitatis habuerunt, quàm ea de quibus poſtea dicendum eſt, cuiuſmodi ſunt iunctura, pedes, numerus. De verbis enim compo-

nendis & ordine digerendis,& de ſyllabis propemodum dinumerandis,& dimetiendis agitur. Verba componũtur,vt in muro lapides, ne quid ſit hiulcum,diſſentaneum,inæquale. Dinumerantur autem ſyllabæ & comprehenduntur temporibus & interuallis , vt breuibus & longis tanꝙ pedibus apte progrediatur oratio. Hæc etiam ſi ſunt, ſicuti videntur neceſſaria , quia nihil intrare poteſt in affectum,quod in aure velut quodam veſtibulo ſtatim offendit,tamen fiunt magnificentius quàm docentur. Eſt id omnino,id eſt rebus in omnibus verum,magnificentius aliquid fieri quàm doceri,propterea quòd fini proprior eſt vſus,proprie tamen illud in hac verborum compoſitione dicitur,quia nihil maius videtur,quàm perſequi numeros orãdo. Cõtrà nihil humilius,quàm docere ſyllabas & pedes orationis. Id autẽ natura comparatum videtur,vt omniũ magnarum artium qualis eſt rhetorice,altitudo nos delectet,radices & ſtirpes quę ſtatim ab radice prodeunt,non eodem modo.Ea quidem prima ſunt artium fundamenta diſcenti moleſtiora. Quia vero altitudo ſine radicibus imis ac primis ſtirpibus eſſe non poteſt, iaciuntur honeſte fundamenta. Reſponſum eſt eis quos aliquid reprehenſuros cõiectura fuit,huc accedit peruagatiſſimus ille verſus iambicus trimeter , quem vulgo inter artifices iactari ſolitum ſignificat. Ne pudeat artem proloqui'quam factites.Cuius eſt hic ſenſus.Turpe non eſt explicare verbis eam quã factitas artem.Nec enim turpius eſt aliquid proloqui , quàm idem facere. Huc aliquid affert,etiam ſtudium Bruti, quæ magna viro fuit ſciendi voluntas , à qua volumen hoc expreſſum & veluti extortum videri cupit. Huc adijcienda ratio temporis.Etenim regnante Iulio Cæſare , & libertatẽ occupante,conciderunt forenſes artes,id eſt illæ cauſſæ iudiciales , quæ magno cum apparatu agi ſolebant.Conciderũt actiones publicæ,id eſt orationes perpetuæ,quæ in ſenatu & concionibus habebantur. Quamobrem Cicero relicta ciuitate ſeceſſit in Tuſculanũ, vbi ne ſe aut deſidiæ vt voluptuarius,aut mœſtitiæ vt impatiens imperij dederet, horis matutinis rhetoricari, pomeridianis philoſophari cœpit . videretur ergo durus & agreſtis homo, id eſt moroſus,indomitus,& inhumanus,qui non daret ei veniam,ſi quæ literæ antea in iudicia atq; in curiam & ſenatum deducebant,poſtea oblectarent domi,quandoquidem ſenectutis dulcis eſt comes eruditio. Nec vero talibus modo rebus,quales hic liber continet, id eſt rhetoricis artibus ſe dedidit,ſed multo etiam grauioribus & maioribus,quas philoſophia profitetur. Scripſit enim de philoſophia libros tot & tantos,vt illę domeſticę & quietę lucræ,forenſibus rebus & ſcriptis orationibus reſpondiſſe videantur.

64 Collocabũtur igitur verba , aut vt inter ſe quã aptiſſime cohæreant extrema cum primis, eáq; ſint quã ſuauiſſimis vocibus:aut vt forma ipſa, cõcinnitáſq; verborum cõficiat orbem ſuũ:aut vt cõprehenſio numeroſe,

& apte cadat. Atque illud primum videamus, quale ſit, quod vel maxime deſyderat diligentiam, vt fiat quaſi ſtructura quædam, nec tamen fiat operoſe. nam eſſet cum infinitus, tum puerilis labor, quod apud Lucilium ſcite exagitat in Albutio Scæuola. Quàm lepide lexeis compoſtæ, vt teſſerulæ omnes arte pauimento atque emblemate vermiculato. Nolo tam minuta hæc conſtructio appareat, ſed tamen ſtilus exercitatus efficiet facile hanc viam componendi. Nam vt in legẽdo oculus, ſic animus in dicendo proſpiciet quid ſequatur, ne extremorum verborum cum inſequentibus primis concurſus aut hiulcas voces efficiat, aut aſperas. Quanuis enim ſuaues, grauéſque ſententiæ, tamen ſi inconditis verbis efferũtur, offendant aures, quarum eſt iudicium ſuperbiſſimum. Quod quidem latina lingna ſic obſeruat, nemo vt tam ruſticus ſit, quin vocaleis nolit coniungere. In quo quidã etiã Theopompum reprehẽdunt, quòd eas literas tantopere fugerit: & ſi id magiſter eius Iſocrates, at non Thucydides: ne ille quidem haud paulo maior ſcriptor Plato, nec ſolum in his ſermonibus qui dialogi dicuntur, vbi etiam de induſtria id faciendum fuit, ſed in populari oratione, qua mos eſt Athenis laudari in cõcione eos, qui ſint in præliis interfecti: quæ ſic probata eſt, vt eã quotãnis (vt ſcis) illo die recitari neceſſe ſit. i ea eſt crebra iſta vocũ cõcurſio, quã magna ex parte, vt vitioſam, fugit Demoſthenes. Sed Græci viderint: nobis, ne ſi cupiamus quidem, diſtrahere voces conceditur. Indicant orationes illæ ipſæ horridulæ Catonis, indicant omnes poetæ, præter eos, qui vt

verſum facerent, ſæpe hiabant, vt Næuius, Vos qui accolitis Hiſtrum fluuium, atque Algidam. & ibidem, Quã nũquã nobis Grai, atq; Barbari. At Ennius ſemel, Scipio inuicte. Et quidem nos, Hoc motu radiantis Eteſiæ in vada pôti. Hoc idem ſæpius noſtri non tuliſſent, quod Græci laudare etiam ſolent.

Collocationem verborum partitur in iuncturam, qua inter ſe quàm aptiſſime cohęrent extrema verbi prioris cum primis ſyllabis proximi verbi, in voces ſonoſque verborum, in numerum quendam apte cadentem, quo forma ipſa concinnitáſque verborum, id eſt, figura aut ſimiliter cadẽs & deſinens, aut paria ac contraria referens, conficit orbem ſuum, id eſt, abſoluit periodum, tandem in numerum artificioſum, quo comprehenſio, id eſt periodus citra figuram verborum, numeroſe & apte cadit. In his eſt compoſitio verborum. Quintilianus diuidit in ordinem, iuncturã & numerum. Iunctura vel maxime deſiderat diligentiam, vt fiat quaſi ſtructura quædam, & verba verbis ſic coagmẽtẽtur, vt in pauimento muróq; lapides. Id fiet ſi quo optime ſedent, eo demum componantur loco. Ne tamen fiat iſtuc operoſe nimiâque cura. Nam eſſet cum infinitus, tum puerilis labor. Infinitę quidem ſunt ſyllabæ atque iuncturæ, & puerile eſt, omiſſa grauitate rerum, hærere circa momenta verborum. Hinc apud Lucilium Satyræ inuentorem Mutius Scæuola augur reprehendit Albutium in Oratione quam dixit de pecunijs repetundis contra T. Albutium, & aduerſarium tanquam nimis ſtudioſum compoſitionis inſectatus eſt. Cicero tertio de Oratore, Collocationis eſt componere & ſtruere verba, ſic vt neve aſper eorum concurſus, néve hiulcus ſit, ſed quodammodo coagmentatus & leuis, in quo lepide ſoceri mei perſona, luſit is qui elegantiſſime id facere potuit Lucilius Quàm lepidè λέξεις compoſtæ, vt teſſerulæ omnes arte pauimento atque emblemate vermiculato, quæ quum dixiſſet in Albutium illudẽs, ne à me quidem abſtinuit. Craſſum habeo generum ne ῥητορικώτερος tu ſis. Λέξεις, id eſt, dictiones & verba quàm ſunt lepide ſuauitérque compoſita in oratione, non aliter quàm teſſerulæ arte componuntur in pauimento. Teſſerulæ ſunt lapilli quadrati, lateréſite quibus ædium ſolum conſternitur, quod opus apte conſertum & effigie rerum animaliúmque diſtinctum, emblema vermiculatum dicitur. Ἔμβλημα, opus inſititium, ἀπὸ τοῦ ἐμβάλλω, quod eſt interſero. Vermiculatũ, minutim ſectum atque variatum. Id operis non in pauimento modo, ſed etiam in pariete ſtrui aptariq; poteſt. Sunt alia emblemata vaſorum, de quibus non hic agitur. Quod igitur hæc ſolicita coagmentatio præbet anſam male dicendi, non vult tam minuta hæc constructio, id eſt, compoſitio appa-

reat, quàm minutum eſt vermiculatū opus. Stylus eſt exercendus, multáque ſæpe ſcribenda ſunt, vt etiam feſtinanti pateat illa via cōponendi. Nam quēadmodum in legendo oculus exercitatus & priora videt, & ſequentia intuetur, ſic animus in dicēdo aliud agens etiam proſpicit quid ſequatur, ne extremorum verborum cum inſequentibus primis concurſus & iunctura aut hiulcas voces efficiat in vocalibus, aut aſperas in conſonantibus, Cuiuſmodi ſunt. Non eſt magnum habere aurum atque argentum. Illa bona natura caduca facile labuntur. Vſus autem compoſitionis eſt, vt ſententiæ lænius ac mollius ad aurem perferantur. Quæ ſi inconditis & incompoſitis verbis efferuntur, offendunt aures, vt ſi dicas, res paruæ creſcunt concordia, magnæ labuntur diſcordia. Aurium eſt iudicium ſuperbiſſimum. Repudiant enim quicquid incompoſitum & inſuaue eſt, quippe natura modos amamus, & vt muſicæ, ſic & orandi ſuauitate capimur. Indoctus eſt, vt aiunt, qui à muſis & gratijs abeſt. Vitanda eſt igitur aſperitas quæ acerbius corradit aures, niſi quum ex induſtria affectamus aſperum & ſpinoſum dicendi genus. Quod quidem aurium iudicium latina lingua ſic obſeruat, vt nemo tam ruſticus ſit & in ſermone durus, quin vocales nolit coniungere. Lego quin, non qui. Sēſus eſt. Non vrbani modo, ſed etiam ruſtici nolunt vocales coniungere. Inde ſunt multæ conciſiones vſitatæ vulgo, ad euitandum vocalium concurſum, de quibus poſtea dicetur. Neque ſi nolunt, ideo ſemper euitant, ſed frequēter euitant, adeo vt vocales ſine vocalibus breuitatis cauſſa contrahant. Nō procedit illud, cum ruſticū cenſeri, qui vocales nolit coniungere. Non enim quia non vult, eſt ruſticus, ſed nimium mollis & delicatus. In hac obſeruatione reprehenditur Theopompus hiſtoricus Iſocratis ille diſcipulus, quem præceptor egere freno dictitabat. Is vocales tantopere fugit, quantopere magiſter eius Iſocrates. Princeps Iſocrates inconditam antiquorum dicendi conſuetudinē delectationis atque aurium cauſſa numeris aſtrinxit, qui quātopere vocalium concurſum fugerit, oſtendunt ei⁹ orationes, vt Areopagiticus. Thucydides celeberrimus hiſtoriæ ſcriptor, hiatum frequēter admittit, vt hic, πολλάκις μὲν ἤδη ἔγωγε καὶ ἄλλοτε ἔγνων δημοκρατίαν ὅτι ἀδύνατόν ἐστιν ἑτέρων ἄρχειν. Plato quidem ſcriptor haud paulò maior, id eſt, multo maior quam Thucydides in dialogis, id eſt, in ſermonibus ad differēdum comparatis, hiatum vocalium ex induſtria recipit, vt cotidianæ linguæ decorū ſeruet, vt hic, τί τηνικάδε ἀφῖξαι ὦ Κρίτων; ἢ οὐ πρῲ ἔτι ἐστίν. Vtitur & in oratione, vt in apologia Socratis Εὖ ἴστε ὅτι ἀληθῆ ἐστιν καὶ τοῦτ' ἐστὶν ὃ ἐμὲ αἱρήσει, ἐάνπερ αἱρῇ, οὐ Μέλητος οὐδὲ Ἄνυτος, ἀλλ' ἡ τῶν πολλῶν διαβολήτε καὶ φθόνος. Vtitur eodem concurſu in oratione populari, id eſt ea quæ quod ſit habenda ad populum, delicias aurium venatur, qua mos eſt Athenis laudari in cōcione & in conuentu populi eos qui ſunt in prælijs interfecti, vt ad virtutem bellicam iuuenes excitemur. Ea ſic probata eſt, vt eam quotannis illo die quo primū habita eſt, recitari neceſſe ſit, quę legis & moris neceſſitas eſt. Demoſthenes in ea vocum concurſione parcior eſt, nec tamen ſuperſtitioſe

fugit.Sed Græci viderint,quib⁹ dedit ore rotũdo Muſa loqui,nobis eſſe tã diſertis haud licet.Sermo Romanus,inquit Fabius,non recipere videtur illam ſolis conceſſam Atticis venerem. Adde ꝙ inopia verborum laboram⁹,vt ne ſi cupiamus quidem diſtrahere voces & hiulcum concurſum vitare concedatur.Indicant orationes horridulæ,id eſt,aliquantum aſperæ Cenſorij Catonis,quale eſt hoc ex oratione de præda militibus diuidunda. Fures priuatorum furtorum in neruo atque in compedibus ætatem agunt.Fures publici in auro atque in purpura.Indicant omnes poëtę Latini,qui vt ſuauitati ſtuderent,collidebant vocales quidem, non tamen ſemper,ſed vt verſum facerent,ſæpe hiabant,vt Næuius ille tragicus, cuius eſt hic verſiculus ſenarius.

Vos qui accolitis hiſtrum atque algidam.

Hic pronomen illud,qui,& ſyllaba prima verbi, accolitis,non conflantur in ſyllabam vnam,ſic & in poſteriore trimetro.

Quem nunquam nobis Graij atque Barbari.

Poſtrema verbi,Graij,cum prima parte coniunctionis, atque, non eliditur. Eodem Virgilius vſus eſt hiatu.

Et ſuccus pecori & lac ſubducitur agnis.
In actæo aracyntho.
Aſtant Iuniperi & caſtaneæ hirſutæ.Lucretius.
Sed magis vt merito poſſis euenta vocare
Corporum, atque loci res in quo quæque gerantur.

Ennius ſemel admiſit hanc figuram ſynalœphæ contrariam, vt in hoc initio carminis heroici.Scipio Inuicte.Scipio dactylus eſt ſine vlla colliſione. Et quidem nos ſemel admiſimus hunc hiatum,de ſe loquitur ipſe. Cicero quidem verſus aliquando ſcripſit,vt ipſe teſtatur epiſtola quadam.Scripſi etiam carmina quædam,Nam ab orationib⁹ diſiungo me fere,referóque ad manſuetiores muſas,quæ me maxime, ſicut iam à prima adoleſcentia delectarunt.Scripſi etiam verſibus tres libros de temporibus meis, quos iampridem ad te miſiſſem,ſi eſſe edendos putaſſem. Idem Aratum latinum fecit, cuius carminis hodie fragmenta reſtant,in eo fuit hic verſiculus heroicus.

Hoc motu radiantis Eteſiæ in vada ponti.

Pertinet ad hunc Arati locum.

τῆμος καὶ κελάδοντες ἐτησίαι εὐρέϊ πόντῳ Αθρόοι ἐμπίπτουσι.Tum obmurmurantes Eteſiæ vaſto mari collecti ruunt. Eteſiæ annui ſunt venti,qui, vt ait Gellius,certo tempore anni quum Canis oritur ex alia atque alia parte cæli ſpirant.ἐτήσιος annuus redditur.Cicero imitat⁹ eſt Aratum,qui in eodẽ verbo non eliſit vocalem.Idem fecit Lucretius in ſexto,

Aut quia ſunt æſtate aquilones,oſtia contra.
Anni tempore eo qui Eteſiæ eſſe feruntur.

Hoc latini frequens haud ferant. Græci etiam laudare ſolent quod Homero frequentiſſimum eſt, vt ſtatim initio Iliados, μῆνιν ἄειδε θεὰ πηληϊάδεω ἀχιλῆος. Et primo verſu odyſſeæ ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον.

ἴστωρ. Multos id genus verſus apud eumdem, alióſque poëtas Græcos reperies.

Sed quid ego? vocales ſine vocalibus ſæpe breuitatis 65
cauſa contrahebant, vt ita dicerent, multi' modis, vaſ' argenteis, palm' & crinibus, tecti' fractis. Quid vero licentius, quàm quòd hominũ etiam nomina contrahebant, quo eſſent aptiora? nam vt duellum bellũ, & duis bis, ſic duellium eum, qui Pœnos claſſe deuicit, Bellium nominauerunt, cum ſuperiores appellati eſſent ſemper Duellii. Quinetiam verba ſæpe contrahuntur, non vſus cauſa, ſed aurium. Quo modo enim veſter Axilla Ala factus eſt, niſi fuga literæ vaſtioris? Quam literam etiã è maxillis, è taxillis, & vexillo, & paxillo cõſuetudo elegans Latini ſermonis euellit. Libenter etiam copulando verba iungebant, vt ſodes, pro ſi audes: ſis, pro ſi vis. Iam in vno capſis, tria verba ſunt. Ain', pro aiſne: nequire, pro non quire: malle, pro magis velle: nolle, pro non velle. Dein, etiam ſæpe, & exin, pro deinde, & pro exinde dicimus. Quid illud, nõ olet vnde ſit? quòd dicitur cum illis, cum autem nobis nõ dicitur, ſed nobiſcum. quia ſi ita diceretur, obſcœnius concurrerent literæ, vt etiam modo, niſi (autem) interpoſuiſſem, concurriſſent. Ex eo eſt mecum, & tecum, nõ cum me, & cum te, vt eſſet ſimile illis vobiſcum, atque nobiſcum.

Non hiatus ille modo vocalium offendit aures, ſed etiam quarundã cõſonantium moleſta concurſio eſt. Ne miremur ergo ſi veteres Latini vocales ſine vocalibus ſæpe breuitatis cauſſa contrahebant, vt ita dicerent, multi' modis, vaſ' argenteis, palm' & crinibus, tecti' fractis: pro multis modis, vaſis argenteis, palmis & crinibus, tectis fractis. Nam ſi interrogemus aures

hæc integra durius enunciãtur. Similem in Terentio contra ctionem repe-
ries, Modo vt tacere poſſ', abi ſis inſciens, hem iſtuc viri eſt officium? in me
omnis ſp' eſt mihi Sic veteres pronunciabant, vt in oratione Græci. dicet ali-
quis, quum mult' modis, & tecti' fractis enunciam us, non vocalem contra-
himus, vt vult Cicero, ſed, s, literam tantum ſupprimimus. Ita quidem vide-
tur. Sed multi' modis proferimus, vt omnipotẽs correpta cõtra naturã, ti, ſyl-
laba, non in verſu quidem, ſed in pronunciatione verborum. Vocalis igitur
in breuius tempus & interuallum contrahitur. Lucretius hæc duo coniũxit,
Multimodis agitatur, & omneis accipit in ſe lætitiæ motus. Hoc vero licen-
tius antiqui, quòd hominũ etiam nomina, quæ fere manent eadem apud o-
mnes, vt Amilcar, Annibal, contrahebant, quo eſſent aptiora, id eſt ad vſum
faciliora ac magis decora. Vnde duellium eum qui Carthaginienſes prælio
nauali deuicit, Bellium nominauerũt, quum maiores appellari eſſent ſemper
duellij. Hoc Quintilianus aſſumit, nec non, inquit, eadẽ fecit ex duello bel-
lum. vnde duellios quidam dicere bellios auſi. Flor' in Epitome, Cn. Duel-
lius Conſ. aduerſus claſſem Pœnorum, proſpere pugnauit, primúſq; omniũ
Romanorum ducum, naualis victoriæ duxit triumphum, ob quam cauſſam
ei perpetuus honos habitus eſt, vt reuertenti à cœna tibicines canerent, &
funale præferretur. Sunt qui duillium ſcribant, inepte, mea ſententia. Eadem
ratione à duello quod duarum partium certamen eſt, fecère bellum, non
ex eo dictum, quòd minime bellum pulchrúmque ſit, vt indocti fabulan-
tur. Eadem ratione à duis, quòd aduerbium natum eſt à vocabulo duo bis,
particulam fecerunt. Quædam contrahuntur non vſus, id eſt conſuetudi-
nis cauſſa, vt Bellius, ſed aurium gratia quæ fugiunt literam vaſtiorem, id
eſt rictum diducẽtem & agreſtiorem, vt veſter Axilla Brute, Ala factus eſt.
M. Brutus paterno genere à Iunio Bruto duxit originem, Materna ſtirpe,
ab Ala Seruilio, qui Spurium Melium largitione frumentaria regnum affe-
ctantem interemit. Cicero Philip. ſecunda, Etenim ſi authores ad liberandã
patriam deſiderarentur, illis authoribus, Brutos ego impellerem? quorum
vterque Iunij Bruti imaginem cottidie videret, alter etiam Alæ. His igitur
maioribus orti ab alienis potius conſilium peterent, quàm à ſuis? & foris po
tius quàm domi? Is ergo primum dictus Axilla, deinde Ala, poſtea Hala, &
tam Axilla, quàm Ala nunc propria nomina ſunt, nunc communia. Propter.
eandem literam, x, è maxillis malas, è taxillis talos, è vexillis vela cõſuetudo
elegans latini ſermonis effecit. Alia contrahuntur in compoſitionem, nec
ſimplicia mutantur vt ſuperiora. Horum frequens erat vſurpatio Comicis.
Sodes, pro ſi audes. Sis, pro ſi vis: hæc ex duobus ſunt. Capſis ex tribus, ca-
pe ſi vis. Terent. Dic ſodes, quis heri Chryſidem habuit? Idem, Abi ſis in-
ſciens. Cicero pro Roſcio, Refer animum ſis ad veritatem. Ciceroni repu-
gnare videtur Fabius. Ex tribus corporibus, inquit, verba coaleſcere noſtræ
vtique linguæ non conceſſerim, quamuis Cicero capſis dicat eſſe compoſi-
tum ex cape & ſi vis. Concedat aliquando, non vtique quod eſt ſemper.

Mollius eſt,non autem breuius,nequire pro non quire: Sed etiam non queo dicimus.Cicero pro Sexto Roſcio,Tenuitas hominis eiuſmodi eſt, vt diſſimulari non queat.Malle & nolle dicuntur, non ita frequenter. magis velle & non velle, niſi interiectis alijs verbis: quæ vt ſeparari poſſunt, ita nunquam dicimus nult,ſed non vult.Déinde & éxinde patiuntur apocopen, ac in dyſſyllaba reducuntur dein,exin,quibus vti licet in oratione. Liuius,exin duabus admotis quadrigis,in curru earum diſtentum illigat mætium.Quid? illud nō olet vnde ſit nobiſcum?,certe ad æſchrologiam & cacophaton cuitandum,quoniā obſcœnius concurrerent literæ,& ex ſyllaba,cum,ac priore parte verbi,nobis, id contexeretur vocabulum, quo muliebria membra ſignantur.Effugies illam turpitudinem,ſi quid interpoſueris hoc modo.Cum autem nobis non dicitur. Pullos aufert caſſita cum ſuo nido, venerat cum multis numis. Hinc illa turpia dicūtur:Arrige aures Pamphile, Incipiūt maria exagitata tumeſcere,dorica caſtra, Numerum cum nauibus æquat, quia in his omnibus ſe referre poteſt animus auditoris, ad id quod natura turpe ſit.Quæret aliquis,cur ergo dicimus,mecum,tecum, ſecum, quicum, vobiſcum,& cætera id genus quæ nullam fugiunt αἰσχρολογίαν; Vt eſſent,inquit, illi ſimilia nobiſcum. Hoc igitur ad effugiendum cacophaton, illa ad analogiam quandam reperta ſunt. Cicero de Oratore, Noluimus cum me, & cum te dicere, ne eidem computationi adiungendum eſſet cum nobis, Sed potius mecum & tecum,& ſecum,& nobiſcum diximus,cum præpoſitione quæ facit obſcœnum,aſſidue poſtpoſita.

Atque etiam à quibuſdam ſero iam emendatur an- 66
tiquitas,qui hæc reprehendunt:nam Proh deûm,atque hominum fidem,deorum aiunt.Ita credo, hoc illi neſciebant:an dabat hanc conſuetudo licentiam? Itaq; idē poëta,qui inuſitatius contraxerat,Patris mei meûm factûm pudet,pro meorum factorū. & Texitur exitiûm examen capiti,pro exitiorum.nō dicit liberum, vt plerique loquimur,cum cupidos liberum, aut in liberum loco dicimus:ſed, vt iſti volunt, Neque tuum vnquam in gremium extollas liberorum ex te genus. & idem, Nanque AEſculapii liberorum. At ille alter in Chryſe non ſolum,Ciues antiqui amici maiorum meûm,quod

erat vſitatum:ſed durius etiam, Conſilium ſocii, auguriûm, atque extûm interpretes. Idémque pergit, Poſtquam prodigiûm horriferûm, portentûm pauor. quæ non ſane ſunt in omnibus neutris vſitata. Nec enim dixerim tam libenter armûm iudiciũ (etſi eſt apud eundẽ, Nihílne ad te de iudicio armûm accidit?) quàm armorum. Iam vt cenſoriæ tabulæ loquuntur, fabrûm, & procûm audeo dicere, non fabrorum, & procorum. Planéque Duorumuirorum iudicium, aut Triumuirorum capitalium, aut Decemuirorum litibus iudicandis, dico nunquã. atqui dixit Accius, Video ſepulchra dua duorũ corporũ. Idémque, Mulier vna duûm virûm. Quid verum ſit, intelligo:ſed aliâs ita loquor, vt cõceſſum eſt, vt hoc, vel proh deûm dico, vel proh deorũ:aliâs vt neceſſe eſt, cũ Triumvirûm, non virorũ, cũ ſeſtertiûm numûm, non numorum, quòd in his conſuetudo varia non eſt.

Syncope fit & conciſio, molliendi verbi gratia. quod qui non intelligũt, & neceſſitate metri ſolum fieri arbitrantur, ſero iam, ideóque fruſtra emendant antiquitatem, quæ etiam in oratione dicebat, proh deûm atque hominum fidem, quod & Cicero vſurpauit pro Roſcio Comœdo, Proh deûm hominúmque fidem, hoc Roſcius vnquam à Clunio periuiſſet? Nec ſi Terentius dixit in Andria, Proh deûm atq; hominũ fidem, neceſſitate coactus id dixit. Secutus eſt veterẽm illũ morem loquendi. Ridet igitur eos, qui ſemper dicendũ putant, proh deorum atq; hominũ fidem, quum vtrunque liceat deûm & deorũ. Ita credo, inquit, hoc illi veteres neſciebant, quaſi dicat, optime ſciebãt, id eſſe verum & integrũ, ſed dabat cõſuetudo licentiã, aut potius ratio ſuauitatis inducebat hanc conſuetudinem. Itaq; idem poëta, id eſt vnus & idem, ſiue Accius (vt opinor) ſiue alius quiſpiã, nomina neutra in caſu patrio cõcidit, Meûm factûm. cõtrà maſculinũ ponit integrũ, vt liberorũ, vnde colligitur id eſſe conſuetudinis & licentiæ cuiuſdã, vnde pauló póſt auribus indulgere conſuetudinem ſcribit, & indoctam conſuetudinem ſuauitatis artificem. Truncati ſunt iambici tres.

Patris mei meûm factûm pudet.

Texitur exitiûm examen capiti.

Nãque Aeſculapij liberorum. Octonari⁹ eſt vn⁹. Neque tuum vnquam in gremium extollas liberorum ex te genus. Nihil eſt autem cur ſenſus horum verſuum petam⁹, quia non extat id opus, vnde quod deeſt explere poſſim⁹. Cæterum inde colligas licet, neutra cõcidi. Et liberorum & liberûm pro natis vſitate dici. Cicero tertia actione in Verrem, Nemo iam Dolabella, neq; tui, neque tuorũ liberûm, quos tu miſeros in egeſtate atque ſolitudine reliquiſti, miſereri poteſt. Plerique ſic loquebantur, vt cupidum liberûm dicerẽt, non liberorum, in liberum haberi loco qui percharus eſſet. Alterius poëtę ſenarij quatuor nõ oſtendunt maſculina modo, ſed etiam neutra ab antiquis eſſe conciſa.

Ciues antiqui amici maiorum meûm.
Conſilium ſocij, augurium atque extûm interpretes.
Poſtquam prodigiûm horriferûm portentûm pauor.
Nihilne ad te de iudicio armûm accidit?

Hic armûm durius eſt, Cætera molliora quàm quæ vera ſunt, vt maiorum meorum, conſiliorum ſocij, auguriorum & extorum interpretes, prodigiorum, horriferorum, portentorũ. Pacuuius eſt qui tragœdiã nomine Chryſen fecit. Chryſes autem ſacerdos, Apollinis fuit & Chryſeidis pater, quam raptam quum patri nõ redderet Agamennon, Apollo peſtilentiam in Græcorum miſit exercitum. Eandem loquendi conſuetudinem Cenſoriæ tabulæ monſtrant, id eſt, commentarij & literæ cenſorum, in quas referunt ciuium nomina & ſingulorum cenſum. Sunt & cenſoriæ tabulę, quib⁹ ignominioſi notantur, in quos à cenſoribus ſuſcriptum eſt. In ijs legit Cicero fabrûm & procûm, vnde præfectum fabrûm dixit in oratione pro Murena, non auſit fabrorum dicere, neque procorum, neque duorumuirorum, neque triũuirorum, neque decẽuirorũ, Sed hãc perpetuo conſuetudinem ſeruet duumuirûm, triumuirûm, decẽuirûm. Pro Rabyrio, Hic popularis à duumuiris iniuſſu veſtro ciuem Romanum capitis condemnari coegit. In Seruiliũ Rullũ, Sequitur omnes agros extra Italiam cognitio decemuirûm. ibidem decẽuirûm ſatellitibus agri cãpani poſſeſſio tota traditur. Cæſar de bello ciuili cõmẽtario primo, Quod aurum aduexerat Domitius, atque in publico depoſuerat, allatum ad ſe ab duumuiris Corfinienſibus, Domitio reddit. Ibidem reducitur ad eum depræhenſus in itinere Cn. Magius Cremona præfectus fabrûm.

Duumuirûm iudicium, ab rege tertio Hoſtilio cõſtitutum eſt in caput M. Horatij, poſtea fuerunt duũmuiri qui perduellionis diem ad populum dicerent, & mortis pœna reum agerent. Alij ſunt duũmuiri, de quibus nihil eſt dicendum in præſentia. Triumuiri capitales cùram gerebant Carceris, Neci deſtinatis incumbebant, de criminibus ipſi aliquando cognoſcebant ad columnam Meniam decemuiri, quum prætores ad belli munia ab vrbe auocarentur, ne iudicia Romæ deeſſent, litibus iudicandis præfecti ſunt, alij fuere triumuiri, & decemuiri in aliud tempus relinquendi, ne quod minime vo-

lamus,aberrare videamur. Duorum & duûm poſſe dici oſtendit Accius. Integrum ponit nomen duorum in hoc ſenario tragico.
Video ſepulchra dua duorum corporum.
Concidit in hoc carminis fragmento, Mulier vna duûm virûm. Dua vetuſto more dixit, Quintilianus barbariſmum eſſe cenſet. Quid, inquit, quòd quædam quæ ſingula proculdubio vitioſa ſunt, iuncta ſine reprehenſione dicuntur: Nam dua & tre & pondo diuerſorũ generum ſunt barbariſmi, at duapondo, & trepondo, vſque ad noſtram ætatem ab omnibus dictum eſt, & recte dici Meſſala confirmat. Hæc ratio componendi videtur oſtendere, dua veteres vt ſcamna dixiſſe. Et illud quidem verum eſt. Eſt autem verum lege communi & præceptione formatum, vt duorum virorum, non eſt verum duûmuirûm Sed aliâs ita loquimur vt conceſſum eſt, & varia conſuetudo permittit, vt proh deûm & deorum ſine vitio dicimus: aliâs vt neceſſe eſt, hoc eſt vt lex & norma loquẽdi ſine exceptione iubet, vt numûm dicimus, non numorũ. pro Sexto Roſcio, Duobus milibus numûm ſeſe dicit emiſſe. Sextertiûm pro Roſcio Comœdo frequentiſſime.

67 Quid quòd ſic loqui, noſſe, iudicaſſe vetant, nouiſſe iubent, & iudicauiſſe? quaſi vero neſciamus in hoc genere, & plenum verbum recte dici & imminutũ vſitate. Itaque vtrũque Terentius, Eho tu cognatum tuum non noras? Poſt idem, Stilphonem inquam noueras? Siet, plenum eſt, ſit imminutum. licet vtare vtroque. ergo ibidem, Quàm chara ſintque, pòſt carendo intelligunt, quámque attinendi magni dominatus ſient. Nec vero reprehenderim, Scripſere alii item, & ſcripſerunt eſſe verius ſentio, ſed conſuetudini auribus indulgenti libenter obſequor. Idem campus habet, inquit Ennius, & in tẽplis iſdẽ. probauit iſdẽ, at eiſdẽ erat verius, nec tamen opimius: male ſonabat iiſdem. Impetratum eſt à conſuetudine, vt peccare ſuauitatis cauſa liceret: & pomeridianas quadrigas, quàm poſtmeridianas libẽtius dixerim, & mehercule, quã me hercules. Nõ ſcire quidẽ barbarũ iã videtur, neſcire dulcius. Ipſum meridiẽ,

cur non medidiem? credo quòd erat inſuauius. Vna præpoſitio eſt abs,eáque nunc tantum in acceptis tabulis manet,nec his quidem omnium:in reliquo ſermone mutata eſt.Nam amouit dicimus,& abegit, & abſtulit, vt iã neſcias,ábne verũ ſit,an abs.Quid ſi etiam abſugit turpe viſum eſt?& abſer noluerũt,auſer maluerũt?quæ præpoſitio præter hæc duo verba,nullo alio in verbo reperitur.Noti erant, & naui, & nari, quibus cum (in) præponi oporteret,dulcius viſum eſt ignoti,ignaui,ignari, dicere,quàm vt veritas poſtulabat.Ex vſu dicunt, & è repub. quòd in altero vocalis excipiebat, in altero eſſet aſperitas,niſi literam ſuſtuliſſes. vt exegit, edixit, refecit,retulit,reddidit,adiuncti verbi primam literam præpoſitio cõmutauit,vt ſubegit,ſummutauit, ſuſtulit.

Arguit eos qui nõ minus in conciſione verborum quàm nominum ſero iam emendant antiquitatem,iſti ſic loqui, noſſe, iudicaſſe facta ſyncope, vetant,Nouiſſe iubent & iudicauiſſe. His,vt vult Quintilianus,permittamus & audiuiſſe, & ſciuiſſe, & tribunale,& faciliter dicere. Iidem centum milia numûm & fidẽ deûm oſtendant duplices quoque ſolœciſmos eſſe,quando & caſum mutant & numerum.Neſciebamus enim, ac non conſuetudini & decori ſeruiebamus,ſicut in plurimis quæ Tullius in Oratore diuine, vt oĩa exequitur.Hactenꝰ Fabius.Certe nouiſſe & noſſe recte dicimus,Iudicauiſſe & iudicaſſe,non male. Vtrum vero dicendum ſit,aures conſulendæ ſunt in periodi comprehenſione,At in verſu legi carminis inſeruiẽdum. Ergo Terentius in Phormione, Noueras,plenum, & noras imminutum. eodem in loco dicit,Eho tu cognatũ tuũ non noras? in Terentio, Sobrinum tuum legitur,Poſt idem poëta, Stilphonem inquam noueras? Eodem modo, Siet, plenum eſt verbum,Sit,autem imminutum cõciſumq́ ab illo ſiet. Licet vtare vtróque.Ergo ibidem, id eſt, in eodem loco poëtæ cuiuſpiam non illius Terentij vtrunque vſurpatur his duobus ſenarijs.

Quàm chara ſint q́ poſt carendo intelligunt.

Quámque attinendi magni dominatus ſient.

Neć vero Tullius reprehenderit,ſint,& ſient,nec ſcripſere atque ſcripſerunt,

alij quidem verbum ſcripſère dixerunt,quod aliquando melius eſt in contextu orationis, ſi verbum proximum ducit initium a litera conſonante,Subière pedues,deuenère locos.vtimur & in vocaliũ cõcurſu, vt cõmnuère oẽs, Tenuere arce Sabini.Scripſerũt autẽ verius eſt,quia legi verborum,nõ indocta conſuetudini, paret. Non defuerunt qui uerbũ ſcripſere ad duos modo pertinere exiſtimarẽt,quaſi numeri dualis eſſet, ſcripſerunt autem pluralis,quod Quintilianus redarguit exemplis. Nec enim præceptis inhærendũ pertinaciter, quin potius conſuetudini, quæ auribus indulget, ac licentiam concedit,obſequendum:quemadmodum nouiſſe & noſſe dicimus, aut pro metri neceſſitate,aut pro ratione periodi.ſic eiſdem & ηſdẽ variare poſſumꝰ. Rectus eſt caſus,idem,compoſitus ex duobus corruptis,is & demũ. in qua compoſitione,ſuauitatis gratia,litera,s, auferiur,attamẽ aures in eo caſu nõ magis repudiabant iſdem quam in plurali vel datiuo, vel ablatiuo, vbi dixit Ennius idem.Sed ille ex conſuetudine dixit,idem,ſingulariter in hac penthemimeri verſus heroici,Idem campus habet.Quum vero præcepti ratio cõſtitueret in ablatiuo caſu plurali, aut eiſdem, aut ηſdem, neutrum probauit Ennius,ſed iſdem maluit,id quod ſingularis ille rectꝰ euitaſſet: dixit igitur, in templis iſdem,pro eiſdem,vel ηſdem.Nam ſi genitiuus eſt eius,dẽpta poſteriore ſyllaba, datiuus eſt ei, vt verius veri, illius illi. Huic datiuo ſimilis eſt rectus pluralis,ei,vt illi,neutri.Cui ſi iungas,s,literam, tum pluralis datiuus ſic erit, illis, neutris, eis.ergo ab illo genitiuo ſingulari, eiuſdem,verus eſt datiuus eiſdem,non ηſdem.Iam hic nominatiuꝰ,is, ſi literam nõ mutet in obliquo, vt ea quæ recte flectuntur, creabit genitiuum non eius, ſed ius.Huic erit datiuus η,hinc poſitio nominatiui pluralis,η,ex illo fiet ηſdem non iſdem.Qua ratione motus Priſcianus,vt opinor,verum putauit eſſe nominatiuum pluralem,η.Verba ſunt eius,Regula exigit per duas,ij,vel per,e, &,i,tam nominatiuũ pluralem maſculini,quam datiuos & ablatiuos omniũ plurales ſcribi,id eſt, eidem,vel ηdem,& ηſdem,vel eiſdem.Iuuenalis.

Implet,& ad mœchos dat eiſdem ferre cynædis.

Hac ille.Addit,Solent autem authores etiam per ſyneresin vnam,i, ponere pro duabꝰ,vt vrbẽ Pataui.Hic datiuus eſt iſdẽ ab Ennio lectꝰ,& ex illo cõtractꝰ,ηſdem,quod male ſonat triſyllabum.Ennius igiť verum,ſed odioſum caſum fugit,ηſdẽ,Reliquit & alterũ æque verũ,eiſdẽ,qui nõ erat opimior & pinguior,ſed æque ſiccꝰ & facilis,atq; datiuus hic meis,Vnde colligiť artem cedere cõſuetudini atq; rationi.Verba Ciceronis hoc modo legẽda ſunt, Idẽ cãpꝰ habet,inquit Enniꝰ,Et,in tẽplis iſdẽ Probauit iſdẽ, at erat veriꝰ,nec tamẽ opimiꝰ eiſdẽ.Male ſonabat ηſdẽ. Verborũ facilis erat intellectꝰ,niſi opinãtium cõtrouerſiæ oĩa corrupiſſent.Nec deerũt qui ſuas tenebras velint,nõ quã præferimꝰ lucẽ.Impetratũ eſt à cõſuetudine loquentiũ,vt peccare in artẽ præceptiſq;,ſuauitatis cauſſa liceret.Verũ eſt poſtmeridianꝰ, ſuauiꝰ eſt pomeridianꝰ,quia duriꝰ cõcurrũt tres literę cõſonantes:Ergo dicebãt pomeridianas,nõ poſtmeridianas quadrigas,quę curuli certamie in circo à meridie currebant.

bant. Hoc ex Cicerone Quintilian⁹ aſſumit his verbis, Inde belligerare po⁹-meridiem. Me Hercules ex arte & ratione dicẽdum eſt, quoniam ſubauditur aut iuuet, aut amet, authior eſt Sex. Pompeius. Sed enim poſtrema litera ex-pũgitur, ac me Hercule vulgo pro me Hercules vſurpatur. Cicero pro Roſcio, Non me Hercule verbum feciſſes, ſi tibi quenquam reſpõſurum putaſſes. Dicimus etiam me Hercules. Non ſcire, iam barbarũ videtur vſqueadeo exoleuit, propterea quòd, N, &, S, aſpere concurrunt. Neſcire molliter dicimus. Medidiem pro die medio non dicimus, ſed meridiem, vt Tyriden non Tydiden. Nam duabus in ſyllabis adiunctis reperita litera, d, durius auditur, quod & alijs accidit, vt momordi, totondi, murmur bibebam. Ex tribus præpoſitionibus, abs, ab, a, vna vera & antiqua incorruptáque eſt, abs. Duæ reliquæ, ab, & a, detractis literis inde factę ſunt, vſumq́ meruerunt frequentiorem. Abs, enim, ſi Ciceroni credimus, tantum in accepti tabulis manebat, id eſt is commentarijs quæ regeſta vocant, vbi accepta & expenſa memorię cauſſa notari ſolent, vt accepi abs Quintio Sextertiũm duo milia, abs Tito Roſcio tria milia. Abs, apud Terentium reperies, abs quiuis homine, quum eſt opus, beneficium accipere gaudeas. Et alibi: Ego dudum nonnihil veritus ſum Daue abs te. Hinc grammatici præcipiunt, abs, præpoſitionem dari oportere verbis incipientibus ab ijs literis, quæ primæ ſunt in quolibet, & Tito. Cicero de lingua ſui temporis, non autem priorum locutus eſt. Sed & ipſe dixit, abs, in diuinatione, nec ſemel dixit, imitatus veteres. Et quum tantum manere dicit in tabulis accepti, aliquando vſitatam fuiſſe oſtendit. Ex illa componitur, Amouit, duabus literis abiectis, quoniã mouit initium ducebat à conſonante. Abegit, propter vocalem, duas retinet literas, a, b. Abſtulit integram ſeruat præpoſitionem, quoniam ſ, & t, quadã familiaritate iunguntur, inde pultare pro pulſare. Abſugit turpe & auribus fœdum viſum eſt, & abſer eodem modo. Maluerunt igitur veteres, aufugit & aufer, quæ præpoſitio, id eſt quæ præpoſitionis mutatio, præter hæc duo, nullo alio in verbo repperitur. Tranſit igitur in, u, literam, quæ quum vim cõſonantis habet, magna cum, b, affinitate coniungitur, adeò vt, β, græcum, v, noſtrum cõſonans pene audiatur. Noti erant, & Naui, & Nari, ſine, g, litera, quanquam multi ſcriptitant gnoti, gnaui, gnari, quos quidem ſupra, & ratione, & authoritate Ciceronis arguebamus, & nunc in Lucretianis codicibus antiquis ſcriptum reperitur nauiter. Quoniam nec plenum nauiter extat, nec porrò vacuum, In compoſitione dulcius viſum eſt ignoti, quàm innoti, ignaui quàm innaui, ignari q̃ innari, qua de re ceſſit id quod veritas poſtulabat. Nauus eſt induſtrius, alacer, ſtrennuus, Narus bene ſcius & peritus. Ex vſu dicimus integra præpoſitione, Terent. Si ex vſu eſſet noſtro hoc matrimonium, id eſt vtile eſſet. E rep. ſæpius quàm ex rep. vt apud Terent. E re tua. Aufertur enim litera quæ natura ſit aſperior annexa conſonanti, dicimus igitur exegit, quia vocali ſuſcipitur. Edixit à corrupto & integro eſt, quòd, x, ante, d, conſonans aſpere ponebatur. In verbis refecit & retulit, nihil eſt immuta-

tum,propterea quòd aures nihil aſperum ſentiebant. Redidit autem nimium leue & tenue effluebat. Itaque ad robuſtiorem ſonum, adiuncti verbi, hoc eſt in componendo ſecunda ſede poſiti, primam literam præpoſitio mutauit, quæ mutatio loci eſt & ordinis. Elementum ſiquidem natura tertium, in quartam reijcitur ſedem. Non aliter & præpoſitio, ſub, aut integra manet, vt ſubegit, aut corrumpitur in aliam, vt ſummutauit, ſuſtulit. Poſterioris verbi partes erunt ſub & tulit, non ſus & tulit, vt imperitiores exiſtimarunt. Nihil te moueat, ſi diuerſa ponit exempla, quum probare vult & præpoſitiones, & verba mutari non pro veritate, ſed auriũ iudicio. Hæc autem verba intricẽta, Adiuncti verbi literam prępoſitio commutauit, ad vnum verbum reddidit, non ad alia pertinet. Senſus eſt igitur, Exegit, edixit, refecit, retulit, dicimus ad aurium iudicium. Reddidit, adiuncti verbi primam literam præpoſitio commutauit, vt ſubegit, ſummutauit, ſuſtulit, non vno modo dicimus.

68 Quid in verbis iunctis? quàm ſcite inſipientem, non inſapientem? iniquum, non inæquum? tricipitem, non tricapitem? conciſum, non concæſum? Ex quo quidam pertiſum etiam volunt, quod eadem conſuetudo non probauit. Quid vero hoc elegantius, quod non fit natura, ſed quodam inſtituto? inclytus dicimus breui prima litera, inſanus producta: inhumanus breui, infœlix longa. & ne multis, quibus in verbis ex primæ literæ ſunt, quæ in ſapiente, atque fœlice, producte dicitur: in cæteris omnibus breuiter. itémque compoſuit, conſueuit, concrepuit, confecit: conſule veritatem, reprehendet: refer ad aures, probabunt. quære cur? ita ſe dicent iuuari: voluptati autem aurium morigerari debet oratio. Quin ego ipſe, cum ſcirem ita maiores locutos eſſe, vt nuſquam niſi in vocali aſpiratione vterentur, loquebar ſic, vt pulcros, & Cetegos, triumpos, Cartaginem dicerem: aliquando, ídque ſerò, conuitio aurium cum mihi extorta veritas eſſet, vſum loquendi populo con-

ceſſi,ſcientiam mihi reſeruaui.Orcinios tamen, & Matones, Otones, Cæpiones, ſepulcra, coronas, lacrymas dicimus,quia per aurium iudicium ſemper licet.

Præpoſitiones,vt nomen ipſum indicat, anteponuntur in compoſitione, hic ergo iure primas obtinent.Secundas autem verba quæ præpoſitionibus adiunguntur. Sit igitur locus alter de verbis adiunctis, quæ & ipſa mutantur,vt quum dicimus,Inſipientem,iniquum,conciſum,tricipitem,quia durius audiebantur,inſapientem,inæquum,concæſum,tricapitem. Id facile iudicant aures. Iam quia tædet tæſum, vt cædo cæſum creat, fuerunt qui analogia ducti pertiſum vellent, non prætæſum, vt conciſum non concæſum, quod eadem conſuetudo indulgens auribus non probauit. Virgilius in quarto.
Si non pertæſum thalami tedæque fuiſſet.
Quid vero hoc elegantius, hoc eſt auditu iucundius, quod non fit natura, ſed quodam inſtituto,id eſt doctorum iudicio probata cõſuetudine.In,præpoſitio compoſita cum verbis ſanus & fœlix, & alijs omnibus quæ primas literas habent eaſdem,vt conſilium,conſueuit, confuſio,confecit, producte dicitur,Cum reliquis autem breuiter,vt inclytus,inhumanus, compoſuit,cõcrepuit.Hic,vt ſupra Cicero, verba præteriti temporis perſonæ tertiæ legit tanquam venuſtiora,fugitque nomina ſingularum literarum, quibus nimiũ attenuatur oratio, nec ſequitur illam grammaticorum ſuperſtitionem, qui verba pro vocibus ipſis vſurpata declinare nõ audẽt.Sed redeamus ad rem. Aulus Gellius capite decimo ſeptimo libri ſecundi commemorat hanc Ciceronis obſeruationem,nec quid voluerit,exponit,quia (vt opinor) intellectu facile iudicabat. Hoc enim vult Cicero, In,particulam,diutius in lingua & pronunciatione retineri, quando ſequuntur hæ literæ,ſ & f, quia tum duorum temporum fit,Breuius autem expediri & enunciari, quum vocales aũt conſonantes aliæ inſequuntur,quia tum fit vnius temporis. Id igitur totum poſitum eſt in pronunciatione, quæ ſi incorrupta, integráque maneret, omnium ſyllabarum quantitatem auditu noſceremus. Fruſtra refertur ad accentum.Nam inſanior primam producit,vt inſanus, nec accentum recipit in quartam à fine ſyllabam. Et inſânus circunflectit mediam quemadmodum & infûſus. Non debet etiam referri ad metrum ac poëticum verſum. Etenim verbum, Compoſuit,primam quodam inſtituto corripit in oratione. Eandem poëta nunquam corripiet in numero metiendo,Non magis quàm Quieſco,cuius media correpta dicitur authore Gellio. Ergo ſi neq; iſtuc eſt eminentioris accentus,neque poëtici verſus,ſupereſt,vt ſit in ea mora.quam trahimus in proferenda ſyllaba,quod & Tullius indicat his verbis, Producte dicitur ac breuiter,Quid enim eſt producte dici,atque breuiter, niſi plus

miniiſve more trahi in pronunciando? teſtatúrque non id natura fieri, ſed
quodam inſtituto pronunciandi. Conſule, inquit, veritatem, reprehendet, ſi
in particula contra naturam duarum conſonantium corripitur. Refer ad au-
res, probabunt. Cur ita? quia ſic iuuantur. Voluptati autem aurium morige-
rari, & ſubſeruire debet oratio. Quum dices igitur, Compoſuit, atque breui-
ter expedi primam, atque ab vltima ſecundam, non habita ratione poſitio-
nis ac naturæ. Sunt qui putant dicendum iclytus, n, litera ſublata, & Gellium
id confirmare, quod quidem non facit. Coopertus, coligatus, conexus pro-
ducte dicũtur, inquit, quoniam eliditur, n, litera. De tribus his verbis locutus
eſt, non de reliquis antè numeratis. Incidi in quoſdam, qui neſcio quid ſubti-
lius, abſtruſiúſque latere ſuſpicabantur. Diſſimulabant, opinor, ſuperborum
more, qui ſi quid probe dicas, nolint tamen vnquam fateri, ne quid à te didi-
ciſſe videantur. Pariant illud, quod concepere melius, nos autem propoſi-
tum ſequamur. Conſuetudo & vſus aſpirandi veteribus Romanis fuit, vt
nuſquam niſi in vocali, aſpiratione vterentur, vt homo inhumanus, vehicu-
la trahebat. Hanc veluti legem ſecutus Cicero, reclamante populo, dicebat
ſine aſpiratione pulcros, Cetegos, triũpos, Cartaginem, & cætera id genus.
Aliquando tamen, idque ſero, quum veritas, id eſt vera loquendi ratio ex-
torta eſſet homini, aurium conuicio, hoc eſt auribus ipſius indignantibus, &
tacite conuiciantibus illa ſicciora durioráque ſentiri, tum cœpit ire per viam
publicam, & cum populo dicere, pulchros, Cethegos, triumphos, Cartha-
ginem, quæ nunc quoque ſcribendo ſeruamus aſpiratione mollita. Sed vt
pleriſque pronunciatio eſt, aſpiratio non auditur. Craſſius igitur pauló ch,
ph, th, quemadmodum θ, φ, χ, proferenda ſunt, quæ tres literæ mutæ apud
nos recipiunt aſpirationem. Operæ precium eſt autem animaduertere, quæ
ſit huius viri ſententia, Vſum, inquit, populo conceſſi, Scientiam mihi reſer-
uaui. Ex arte præceptiſque ſcientia comparatur, à qua ſi loquendi conſuetu-
do diſſentit, tum cenſet conſuetudini potius & auribus, quàm ſcientiæ pa-
rendum. Per aurium iudicium, citra aſpirationem dicere licet Orcinios,
Matones, Otones, Cœpiones, Sepulcra, Coronas, Lacrymas, quæ ſi quis
aſpirando proferat, hunc Cicero non improbet, propterea quód ſe recen-
tiorum conſuetudine tueatur. Hæc autem nomina ſeptem Cicero ſcripſit hic
ſine aſpiratione, quod eius verba demonſtrant. Pauló antè extortam ſibi ve-
ritatem dicebat aurium cõuicio, ideóque cum populo vti aſpiratione, Nunc
per aurium iudicium licere Orchinios pronũciare, in ijs ergo ſequi veterum
morem. Orcinius autem, vt, n, quintum ſit elementũ, non Orchinius legimus,
vt in oratione pro Cluentio. Nuper apud C. Orcinium collegam meũ, locus
ab iudicibus, Fauſto Syllæ de pecunijs reſiduis, non eſt cõſtitutus. Vbi multi
codices habẽt Orchiniũ, quod vt antè dixi Cicero nõ improbat, ſed Orciniũ,
inquit, dicimus, quia per auriũ iudiciũ ſemper licet. Matonis nomen eſt apud
Martialem, Parua rogas magnos, ſed non dant hæc quoq; magni,

Vt leuius pudeat iam mato parua roga. Item apud Iuuenalẽ, Cauſidici noua quũ veniat lectica matonis. Recẽtiores ſemper aſpirãt quod vtriq; nõ fecit Tullius. Inter otones, is fuit, qui legẽ tulit de quatuordecim ordinibꝰ. Inter Cœpiones is qui miſſus in Cimbros exercitum amiſit. De aſpiratione Fabiꝰ his verbis, Aſpirationis ratio mutata cum temporibus eſt ſępiꝰ, parciſſime ea veteres vſi etiam in vocalibus, quum œdos ircóſque dicebant. Diu deinde obſeruatum, ne conſonantibus aſpiraretur, vt in Graccis & triumpis. Erupit breui tempore nimius vſus, vt choronæ chenturiones, præchones adhuc quibuſdã in ſcriptionibus mancãt. Qua de re Catulli nobile epigramma eſt.

Chommoda dicebat, ſi quando commoda vellet
Dicere, & inſidias Arrius hinſidias.

Purrum ſemper Ennius, nuſquã Pyrrhum. vi patefe- 69
cerunt Fruges, non Phryges, ipſius antiqui declarant li-
bri. nec enim Græcam literam adhibebant, nũc autem
etiam duas, & cum Phrygum, & cum Phrygibus di-
cendum eſſet, abſurdum erat aut tantum barbaris
caſibus Græcam literam adhibere, aut recto caſu ſo-
lum Græce loqui: tamen & Phryges, & Pyrrum au-
rium cauſa dicimus. Quinetiam, quod iam ſubruſti-
cum videtur, olim autem politius: eorum verborum,
quorum eædem erant poſtremæ duæ literæ, quæ ſunt
in optumus, poſtremam literam detrahebant, niſi voca-
lis inſequebatur. Ita nõ erat ea offenſio in verſibus, quã
nunc fugiunt poetæ noui. Ita enim loquebamur, Qui
eſt omnibu' princeps. non omnibus princeps. & Vita
illa dignu' locóque. non dignus. Quod ſi indocta con-
ſuetudo tam eſt artifex ſuauitatis, quid ab ipſa tandem
arte, & doctrina poſtulari putamus? Hæc dixi breuius,
quàm ſi hac de re vna diſputarem: eſt enim hic locus
late patens, de natura, vſuq; verborum: longius autem,
quàm inſtituta ratio poſtulabat. Sed quia rerũ verborũq;
iudicium prudentiæ eſt, vocum autem, & numerorum

aures ſunt iudices,& quòd illa ad intelligentiam referuntur, hæc ad voluptatem: in illis ratio inuenit, in his ſenſus artem. aut enim negligenda nobis fuit voluptas eorum, quibus probari volebamus: aut ars eius conciliandæ reperienda.

Ennius Pyrrhum, Purrum dicebat aſpiratione detracta, literáque mutata, Et Phryges, Fruges, vt hic vi patefecerũt Fruges. In quo litera græca φ, mutatur in noſtram virtutis eiuſdem. Nec enim veteres literam grçcam, φ, aut, υ, adhibebant. Nunc autem etiam duas illas græcas adhibemus, quum Phryges dicimus. Veteres hanc rationem ſecuti videntur, Latinos caſus nõ Grçcis decere ſcribi literis, ſed ſuis, genitiuum phrygum, datiuúmque Phrygibus eſſe caſus tãtum barbaros, id eſt, peregrinos ac Latinos φρυγῶν & φρυξὶ grçce dici. Quod igitur obliqui romanas habere debeant literas, & ab eis rectus caſus diſſentire non debeat, arbitrati ſunt caſus omneis ſignandos eſſe notis Latinis hoc modo, fruges, frugum, frugibus, nõ Phryges, phrygũ, phrygibus. Quum phrygum, inquit, & phrygibus dicendum eſſet aliter atque Græci loquuntur, abſurdum videbatur antiquis, caſibus his tantum Barbaris, id eſt, non Græcis, Nam quondã, prçter Grçcos, omnes habiti ſunt Barbari, græcam literam adhibere, aut ſi Romana litera notarentur obliqui, recto caſu ſolum græce loqui. Quam rationem repudiant aures, & Phryges & Phrygum malunt quàm fruges & frugum. Veteres iidem elidebant, S, in fine verborum, vt infantibu' paruis, falcibu' ramos dignu' loco, quod politum & elegans habebatur, poſtea cœpit haberi ſubruſticum. Qui eſt omnibu' princeps, finis eſt heroici verſus. Qui ſequitur eſt Lucilij Satyrici poëtæ in contumeliam Samnitium. Citat eum Tuſculana ſecunda. Samnis, ſpurcus homo vita illa dignu' locóq;. Lucreti'. Nã fierẽt iuuenes ſubito ex infantibu' paruis. Hacten' de natura verborum atque iunctura, quàm debet ars & doctrina ſeruare, quum videat indoctorum conſuetudinem tantopere ſtudere ſuauitati. Hçc, inquit, dixi breuius, quàm ſi hac de re vna ſoláque diſputarem. Eſt enim hic locus late patens de natura, vſuq; verborum, de quo veteres, vt Marcus Varro, totos ſcripſere libros. Iam quia de vocibus & numeris dicturus eſt, quid res & verba differant à ſonis & numeris, oſtendit. Rerum, id eſt ſententiarum & verborum iudicium, prudentiæ eſt, Prudẽs quid & quomodo dicendum ſit, videt. Vocum & numerorum aures ſunt iudices, voces & numerorum concordia cadunt in aurem. Illa ad intelligentiam, id eſt animi vim intellectúmque referuntur, hæc ad voluptatem: In illis ratio, animique conſilium: In his, ſenſus aurium inuenit artem. Voluptas auditorũ, quærẽda videbatur Oratori, quoniã alia ratione ſatis probari nõ poſſet.

Duæ ſunt igitur, quæ permulceant aures, ſonus & numerus. De numero mox: nunc de ſono quærimus. Verba (vt ſupra diximus) legenda ſunt potiſſimum bene ſonantia, ſed ea non, vt poetæ, exquiſita ad ſonum, ſed ſumpta de medio, Qua pontus Helles, ſuperat modum. At, Auratus aries Colchorum, ſplendidis nominibus illuminatus eſt verſus: ſed proximus inquinatus inſuauiſſima litera ífinitus, Frugifera & ferta arua Aſias tenet. Quare bonitate potius noſtrorũ verborum vtamur, quàm ſplendore Græcorum. niſi forte ſic loqui pœnitet, Qua tempeſtate Paris Helenam, & quæ ſequuntur. immò vero iſta ſequamur, aſperitatémque fugiamus, Habeo iſtam ego perterricrepam. Idémque Verſutiloquas militias. 70

Collocationem partitus erat in iuncturam & voces, in concinnitatis orbem, in numeroſam comprehenſionem. Hic eſt locus iuncturæ finitimus de vocibus atque verborum ſono. Verba legenda ſunt potiſſimum, bene ſonantia, non illa nimis exilia, non horrida & aſpera. Sed alius eſt delectus poëtis, alius Oratoribus. Poëtæ verbis vtuntur exquiſitis, ad ſonum, nec tam eorum proprietatem quàm ſonitum ſpectant,

vt Vaſto rex Aeolus antro.
Luctanteis ventos, tempeſtatéſque ſonoras,
Imperio premit, ac vinclis & carcere frænat.

Oratores autem verba ſumunt de medio, hoc eſt omnibus vſitata, non tamẽ inſuauia, humilia, ſordida, obſcœna, Ea ſic electa, iunctura, numeróque vinciunt. Vt ſi innocentes exiſtimari volumus, non ſolum nos abſtinentes, ſed etiam noſtros comites præſtare debemus. Hic verba propria ſunt, ſonantia, de medio ſumpta, non tamen ad ſonum ſtrepitúmque poëticum, quæſita. Splendidius aliquid ac ſonantius affectant poëtæ, vt,

Qua pontus Helles ſuperat modum.
Auratus aries Colchorum.
Frugifera & ferta arua Aſias tenet.

Verſus Anapeſtici de tragœdia latina, que non extat, quorum duo priores ſplendidis nominibus elucent. Tertius eſt inquinatus inſuauiſſima litera, quę de nare canina ſonat. Idem quoque infinitus eſt verſus ꝗ non exeant in ſuũ

ſinem verba,ſed alijs implicentur,vt fit in vocalium concurſione. Aſias autẽ genitiuus græcus,non magis eſt repudiandus quàm familias,in his paterfamilias,Materfamilias. Nec probandi ſunt,qui cauſſæ leuitate permoti, locos inuertunt,Alia verba commutant,alia tollunt,alia detruncant, quod hic facere conati ſunt. Poëtæ Latini verba Græcorum vſurpant libẽter,ad ſplendorem ſonitúmque magnificum,vt Hellen,Colchos,Aſias, vrbium,montium, lacuum, fluminum,hominum,deorum,rerum etiam nomina, quod parcius, faciunt Oratores. Bonitate potius noſtrorum verborum vtendum eſt quàm ſplendore Græcorum. Ne pœniteat nos vſurpaſſe quædam propemodum poëtica,vt tempeſtatem pro tempore,de quo ſic agit tertio de Oratore. Habet etiam in oratione poëticum aliquod verbum dignitatem, neque enim illud fugerim dicere, vt Cœlius. Qua tempeſtate pœnus in Italiam venit, Cœlius antipater ſic ducit initium belli Punici. de quo viro poſtea facit mẽtionem. Hoc vero libro ſcriptum eſt,Qua tempeſtate Paris Helenam, an ſit alterius hiſtoriæ principium, an idem hoc in libro corruptum, quia dubium eſt,non equidem volo ferre ſententiam. Nec iſtuc eſt, aut negligentiæ, aut ignorantiæ noſtræ, ſed temporis. Accuſanda maiorum negligentia,qui tot tantóſque clariſſimorum quondam virorum labores ſic aboleuerunt, vt vix modo nomina ſuperſint,tot repoſuerũt volumina nugalia, vt bibliothecæ pondere barbarico grauentur & officinæ. Non ideo tamen aliquid ædificandum non eſt,ſi nobis inſtrumenta veterum deſunt, nec ſi nõ poſſumus omnes omnia,relinquẽdum quod poſſumus. Verba ſonantia, propria, ſuauia ſequamur,aſperitatémque fugiamus, vt perterricrepam vocem, quæ increpando terret, verſutiloquas malitias. Verſiculus eſt tertio de Oratore. Num vis huius me verſutiloquas malicias.

Multa apud M.Plautum reperies eiuſmodi, quæ non admittit Orator. Tullius autem quod hic præcipit,vbique fere ſeruauit,vt quantum poſſet, Græcorum verba fugeret, vt illa grandia & ſeſquipedalia ne venaretur, aſpera vitaret,lubrica ne prenderet,vſitatis,dilucidis,proprijs, bene ſonantibus,iuſta magnitudine conſtantibus vteretur.

71 Nec ſolum componentur verba ratione, ſed etiam finientur:quoniam id iudiciũ eſſe aurium alterum diximus. Sed finiũtur,aut compoſitione ipſa, & quaſi ſua ſponte:aut quodam genere verborum, in quibus ipſis cõcinnitas ineſt:quæ ſiue caſus habent in exitu ſimiles, ſiue paribus paria redduntur, ſiue opponuntur contraria, ſuapte natura numeroſa ſunt, etiam ſi nihil

de

eſt factum de induſtria .In huius concinnitatis conſectatione Gorgiam fuiſſe principem accepimus . quo de genere illa noſtra ſunt in Miloniana,Eſt enim iudices hæc non ſcripta,ſed nata lex:quã non didicimus,accepimus,legimus:verũ ex natura ipſa arripuimus, hauſimus,expreſſimus:ad quã non docti,ſed facti : non inſtituti,ſed imbuti ſumus.Hæc enim talia ſunt, vt quia referuntur ad ea ad quæ debent referri,intelligamus nõ quæſitum,eſſe numerũ,ſed ſecutum. Quod fit item in contrariis referendis,vt illa ſunt,quibus non modo numeroſa oratio,ſed etiã verſus efficitur. Eam quam nihil accuſas,damnas.cõdemnas dixiſſet,qui verſum effugere voluiſſet.Bene quam meritam eſſe autumas,dicis male mereri.Id quod ſcis prodeſt, nihil id quod neſcis,obeſt. Verſum efficit ipſa relatio cõtrariorum: id eſſet in oratione numeroſum, Quod ſcis,nihil prodeſt : quod ſcis, multũ obeſt. Semper hæc quæ Græci ἀντίθετα nominant, cũ contrariis opponuntur cõtraria, numerum oratoriũ neceſſitate ipſa efficiunt,& eum ſine induſtria.Hoc genere antiqui iam ante Iſocratẽ delectabantur,& maxime Gorgias , cuius in oratione plerunq; efficit numerũ ipſa concinnitas.Nos etiã in hoc genere frequentes : vt illa ſunt in quarto accuſationis,Conferte hãc pacem,cũ illo bello:huius prætoris aduentũ, cũ illius imperatoris. victoria:huius cohortẽ impuram , cũ illius exercitu inuicto:huius libidines,cũ illius cõtinentia.ab illo qui cepit,cõditas:ab hoc qui conſtitutas accepit,captas dicetis Syracuſas.Ergo & hi numeri ſunt cogniti etiã à Latinis,

Ventum eſt ordine ad ſecundum membrũ partitionis, in quo concinnitas orbem ſuũ conficit. Non ſolum, inquit, componentur verba ratione, hoc eſt arte quæ iuncturas illigat, & voces aptat bene ſonantes, ſed etiã finientur, id eſt periodo concludentur ad aurium menſuram. Nam de clauſula numero finita iudicant aures, quæ quod expletum eſt, ſi modo ſunt eruditæ, ſentiunt, & probant, imperfectum faſtidiunt. Finiũtur aut compoſitione ipſa, & quaſi ſua ſponte, aut quodam genere verborũ. Hinc numerus eſt duplex, alter eſt è figura verborum quam dicit concinnitatem, alter autem ex ipſa compoſitione & collocatione verborum, quæ artificioſe conſtituta, non beneficio cõcinnitatis & figuræ, ſed ſua ſponte naturaq; conficit orbem ſuum, de quo poſteriore loco dicetur. Genus eſt quoddam verborum, in quibus ipſis concinnitas ineſt: ea eſt elegans & iucunda figura dictionis, vt ſimiliter cadens, ſimiliter deſinens, Paria paribus relata, & contraria. Hæc ſunt ſchemata quatuor numeroſa ſuapte natura, etiamſi nihil eſt factum de induſtria. dicet aliquis, Quomodo alter ille numerus ſua ſponte finitur, & hic quoque ſuapte natura cadit? vtrunq; ſane verum eſt. Hic enim poſitus eſt in ſchemate, quod ſuapte natura cadit ad auriũ voluptatem. alter ille conſonat è longis breuibúſq; ſyllabis. vnde ſunt Rythmici pedes, qui variantur alia & alia collocatione verborum. Eſt igitur is numerus in cõpoſitione ac collocatione. Apta collocatio ſua ſponte numeroſe cadit. Hæc eſt igitur natura digeſtæ collocationis, illa figuræ & concinnitatis. In illius concinnitatis conſectatione & quaſi aucupio, Leontinũ Gorgiam fuiſſe principem, ſuprà dictum fuit. Necdum ſciebant illi veteres vocibus & numeris explere ſententias, quod primus omniũ fecit, Iſocrates poſt illum Thraſymachũ numeri inuentorẽ, ſed quod etiam ruſtici faciunt rythmum quendam ſimiliter exeuntem, aut certum numerum ſyllabarum metientem delectandi gratia quærebant. Talia ſunt quæ proponit è ſua Miloniana, in quibus reperies ſimiliter cadentia, vt ſcripta, nata: docti, facti: inſtituti, imbuti: quæ ſuauitatis aliquid habẽt, etiamſi in medio collocantur. Reperies ſimiliter deſinentia, quæ terminant membrum, vel totã orationem, vt quã nõ didicimus, accepimus, legimus, hoc κῶλον & mẽbrum, verum ex natura ipſa arripuimus, hauſimus, expreſſimus, hoc alterum membrũ eodem fine terminatum, quo ſuperius. Extrema verba legimus, expreſſimus, ſimiliter deſinunt. Quatuor reliqua ſimiliter cadunt. Reperies in eodem exemplo paria paribus relata, id eſt parteis conſtanteis eodem prope numero ſyllabarum, nec enim numerari debent, ſed auribus expendi, vt non ſcripta, ſed nata lex: nõ docti, ſed facti: non inſtituti, ſed imbuti. In his omnibus non quæſitũ numerũ, ſed ſecutum putes, q; quum remouiſſet vnũ, alterũ neceſſario videbatur eſſe reponendum. Sed tamen intelligebat artifex, quot vna periodo virtutes amplecteretur. Idem pro Roſcio Comœdo, Qua in re mihi ridicule es viſus eſſe inconſtans, qui eundem & læderes & laudares, & virum optimũ, & hominem improbiſſimum eſſe diceres, eundem tu & honoris cauſſa appellabas, & virum primariũ eſſe dicebas, & ſocium fraudaſſe

arguebas:ſed,vt opinor, laudem veritati tribuebas,crimen gratiæ concedebas,de hoc vt exiſtimabas,prædicabas,clięręq arbitratu cauſſam agebas,eodem modo in referendis contrarijs,etiãſi numerus non quæritur,tamen ſua ſponte ſequitur, adeò vt nonnunq̃ verſus imprudentibus nobis accidat. Vt eam quam nihil accuſas,damnas.Bene quã meritam eſſe autumas,dicis male mereri,Nihil accuſare & damnare repugnantia ſunt.Bene mereri,male mereri,cõtraria.Cicero nomen contrariorũ, Latius capit pro antithetis omnibus quæ dicuntur oppoſitiones.Carmen eſt autem iambicũ dimetrum, hypercatalecticum,ex iambo,dactylo,ſpondeis duobus & ſyllaba.Eam quam nihil accuſas,damnas.quod ſi dixeris,eam quã nihil accuſas cõdemnas, tum cadet ſpecies verſus atq; menſura, quia etſi reperiuntur iambici, pentametri, non tamen tot longis pedibus claudicant. Fuerunt qui primũ verbum, eam, colliderent in vnam ſyllabam, vt eſſet dimetrum acatalecticum, quod non probo,quoniã qui dixit hæc verba nõ verſum,ſed orationẽ voluit,nec verba ſine ratione contraxit.Alter eſt verſus iãbicus,trimeter,comicus.Id quod ſcis,prodeſt:nihil id quod neſcis,obeſt:in quo cõtraria referuntur. Vbi ſi dicas,Quod ſcis,nihil prodeſt:quod ſcis,multũ obeſt:ſententia mutabitur quidem,ſed erunt ἀντίθετα & paria relata, quia ſyllabas ſex, totidem excipient, nec erit vllum genus carminis,ſed oratio ex cõcinnitate numeroſa. hæc duo exẽpla refert idem in Topicis, De enthymemate ex cõtarijs concluſo,quod proprie nominatur enthymema: Argutias eiuſmodi quærebant olim Gorgias & Thraſymachus, iam ante Iſocratem, qui primus, vt antè dictum eſt, mollioribus numeris expleuit ſententias.Gorgiæ nomine circunfertur ὑπὲρ παλαμήδους ἀπολογία,quã nonnulli putant eſſe Gorgiæ iunioris.In ea conciſi ſunt numeri ac minuti,nullæ fere longiores periodi, & verborum cõprehenſiones.Cæterũ multæ ſunt concinnitates ex paribus relatis & contrarijs, paucas aſcribere nõ inutile putauimus,οὔτε γὰρ βουληθεὶς ἐδυνάμην ἄν, οὔτε δυνάμενος ἐβουλήθην ἐπιχειρεῖν τοιούτοις.Neq; ſi voluiſſem, potuiſſem: neque ſi potuiſſem,voluiſſem talia conari. Ibidem μήτ' ἐκείνου πρὸς ἐμὲ πέμψαντος, μήτε παρ' ἐμοῦ πρὸς ἐκεῖνον ἐλθόντος.Fieri non potuit,ꝙ ille neminem ad me miſiſſet,& à me ad illum nemo profectus eſſet.Ibidem ἀλλὰ δὴ φίλους ὠφελεῖν βουλόμενος, ἢ πολεμίους βλάπτειν, τοὺς μὲν φίλους κακῶς ἐποίουν, τοὺς δ' ἐχθροὺς ὠφέλουν.Etenim amicos iuuare,aut hoſtes lædere volens,amicos lædebam,inimicos iuuabam. Ibidem εἰ μὲν οὖν εἰμι σοφὸς οὐχ ἥμαρτον εἰ δ' ἥμαρτον, οὐ σοφός εἰμι.Si ſapiens ſum,nihil peccaui:ſi peccaui,ſapiens non ſum.Cicero quoque in eodem genere frequens, quod in eo numerus non quæri, verum ſequi videtur,vt quarta actione in Verrem, quum Marcelli victoriã qui Syracuſas in ditionem receperat,cum prætura Verris, qui eaſdem Syracuſas furtis affecerat,confert. Opponit contraria, pacem bellum: libidinem continentiam: condere diruere. Quinque paria refert, quot illius periodi membra ſunt.

Genus illud tertium explicetur quale ſit numeroſæ, & aptæ orationis. Quod qui non ſentiunt, quas aureis habeant,aut quid in his hominis ſimile ſit,neſcio. Meæ quidem & perfecto completóque verborum ambitu gaudent,& curta ſentiunt,nec amant redundãtia.quid dico meas?conciones ſæpe exclamare vidi, cũ apte verba cecidiſſent.id enim expectant aures, vt verbis colligetur ſententia.Non erat hoc apud antiquos . & quidẽ nihil aliud ferè non erat.Nam & verba eligebãt, & ſententias graueis,& ſuaueis reperiebant, ſed eas haud vinciebant,aut explebant parum. Hoc me ipſum delectat inquiunt.Quid ſi antiquiſſima illa pictura paucorũ colorum magis,quàm hæc iam perfecta delectet? illa nobis ſit,credo,repetenda,hæc ſcilicet repudianda. Nominibus veterum gloriãtur . Habet autem vt in ætatibus authoritatem ſenectus, ſic in exemplis antiquitas , quæ quidem apud me ipſum valet plurimum : nec ego id quod deeſt antiquitati,flagito potius,quàm laudo quod eſt,præſertim cum ea maiora iudicem quæ ſunt, quàm illa quæ deſunt.Plus eſt enim in verbis,& in ſententiis boni,quibus illi excellunt,q̃ in cõcluſione ſententiarũ, quã non habent.Pòſt inuenta concluſio eſt, qua credo vſuros veteres illos fuiſſe,ſi iam nota,atque vſurpata res eſſet , qua inuenta omneis vſos magnos oratores videmus.Sed habet nomen inuidiam, cum in oratione iudiciali,& forenſi numerus latinæ, græce ῥυθμὸς,ineſſe dicitur. Nimis enim inſidiarũ ad capiẽndas aures adhiberi videtur , ſi etiã in dicẽdo numeri ab oratore quærũtur.

Hoc freti iſti,& ipſi infracta,& amputata loquuntur,& eos vituperant,qui apta,& finita pronunciant:ſi inanibus verbis,leuibúſque ſententiis,iure:ſin probæ res, lectaverba,quid eſt cur claudicare, aut inſiſtere orationẽ malít, quàm cum ſentẽtia pariter excurrere? Hic enim inuidioſus numerus nihil adfert aliud , niſi vt ſit apte verbis comprehenſa ſententia:quod fit etiam ab antiquis,ſed plerunque caſu ſæpe natura:& quæ valde laudantur apud illos,ea ferè quia ſunt concluſa, laudantur.

Primus erat locus de iunctura & vocibus , alter autem de numero qui verborum figuram conſequitur.Ali⁹ eſt de eo numero qui nõ ab excellenti figura,ſed à quadam verborum collocatione conficitur . Hũc tertium prius commẽdatione proſequitur,ac tuetur aduerſus obtrectationes quàm quomodo aptari poſſit,exponat.Is igitur numerus eſt apte orationis,id eſt,elocutionis rebus aptatæ , nunc longioris , nunc breuioris , nunc celerioris , nunc tardioris pro varietate rerum quæ tractantur ab Oratore. Quem qui non ſentiunt , Aſini ſunt ad lyram.Patulas habent aures,nec audiunt harmoniam ac dulcem modulãdi ſuauitatem.In ijs igitur nihil hominis ſimile videtur,qui quod homini iucũdiſſimum eſt, ne ſentire quidẽ poſſunt,& immanes & agreſtes aſpernantur voluptates orationis . Aures eruditæ perfecto,completóque verborum ambitu gaudent . Perfectus ambitus eſt numeroſa periodos qualis hęc eſt, Quum in cõſilium frequentes conueniſſent ijdẽ qui ſolebãt, & hac vna ſpe tota defenſio Sopatri niteretur,cõſilij frequentia & dignitate:& quod erant,vt dixi,ijdem qui antea Sopatrũ eodem illo crimine liberarant , cognoſcite hominis apertam , ac non modo non ratione , ſed ne diſſimulatione quidem tectam improbitatem & audaciam.Aures exercitatæ curta ſentiunt , nec amant redundantia . Curta non explent numerum.vt meliores illi accuſatores habendi ſunt, qui fecerũt omnia hæc,Corrige,qui hęc omnia fecerunt.Redundantia plus ſatis excurrunt vſque ad aurium ſatietatem,vt,Nam mihi tot tantæq́ res,tam præclara facinora dicenda ſunt,tam ſplendidi viri laudandi,vt tanta rerum magnitudine,omnis inferior eſſe videatur oratio dicentis.Tolle verbum , dicentis, Reliqua vitio nimiæ longitudinis vacabunt.Sentiunt numerum duri & imperiti,quod probat exemplo P.Romani qui in concione frequenter exclamauit,quum apte numeroſeque verba cecidiſſent,vt illius Carbonis de quo poſtea dicet.Id enĩ expectãt aures,vt verbis colliget ſentẽtia. Colligat autẽ

quodam veluti numerorum vinculo,quum verba ſic apte collocata ſunt, vt aliud ex alio pendere videatur. Non erat hoc numeroſum dicendi genus apud veteres Romanos. Et quidem nihil aliud fere quod ad eloquentiam pertineret,non erat. Nam quod attinet ad inuentionem, ſententias graues & ſuaues,quæ pondus haberent,animũq; mulcerent,reperiebãt.Quod autẽ elocutionis eſt,verba bona ſeligebant,non vincta,ſed diſſoluta ponebãt,nec explebant ſententias,hoc eſt neſciebant coagmentare iuncturas & pedibus euſque citare orationem,dũ voluptate recreata quieuiſſet auris.Hoc durum & diſſolutum antiquorum me delectat, inquiunt imperitiores illi qui tempore Ciceronis Attici falſo nominabãtur,ſed tamen eo nominabãtur ꝙ Lyſiam viderentur imitari, quibus adijciendi ſunt Romanæ vetuſtatis imitatores,qui Catonem quàm Ciceronẽ ſequi maluerũt. Quos arguit Cicero hac ſimilitudine picturæ, Quẽadmodũ pictura recẽs plurib⁹ ornata coloribus elucet,& inde perfectior eſt quã vetus ac præſtantior, ita recẽtiorũ quã veterũ multo cõptior eſt oratio. Quod ſi vetus pictura repetenda non eſt, Elegans oratio non videtur eſſe repudianda. Sed iſti nominibus veterum gloriantur,quorum vix ſequuntur vmbram. Id authoritate veterum ducti faciunt.Nam ſicut in ætatibus infantia,pueritia,pubertate,adoleſcentia,iunẽtute,habet authoritatem ſenect⁹,ſic in exemplis antiquitas. quę quidem,inquit,apud meipſum, non illos modo κακοζήλους valet plurimum.nec ſi deeſt antiquitati numerus, cum flagito potius, quàm laudo, quod eſt in ea tum inuentionis,tum proprietatis,verborum præſertim, quum ea maiora iudicẽ quæ ſunt,quàm illa quę deſunt.Nam ſententię ſunt veluti animus orationis, numerus,vt ornamentum,Et plus eſt in verbis,& in ſententijs,boni,quibus illi veteres excellũt, quàm in concluſione ſententiarum,id eſt,numeroſa periodi comprehenſione. Hæc concluſio ſiue periodus Romã perlata eſt circa Ciceronem puerum,qua fuiſſent vſi veteres, ea ſi tum vſurpata res eſt, quemadmodum inuenta maximi quique Oratores certatim vſi videntur, ij ſunt qui tempore Ciceronis floruerunt,& magna ex parte diſciplinis eius educati ſunt.Quid ergo iſti numerum fugiunt? habet,inquiunt, hoc nomen inuidiam,quum in oratione iudiciali & forenſi qua veritas inquiritur,numerus & ῥυθμὸς ineſſe dicitur, ad capiendos animos, atque fallendos. Numerũ accipit ῥυθμὸν non μέτρον,propterea diſtinguit ad tollendam ambiguitatem, Numer⁹ etenim apud Latinos etiam μέτρον ſignificat. Hac ratione freti iſti qui ſoli putantur Attici, vt Caluus infracta & amputata, id eſt, multũ fracta mutilatáque non dicunt vt oratores, ſed loquuntur vt imperiti. Hiant vocalibus,Rixantes committunt literas, Curtas oratiunculas diſſipant, & eos vituperant,qui apta,id eſt,numeroſa & finita,hoc eſt, veluti orbe concluſa pronunciant.In quibus reprehenderunt & ipſum Ciceronem vt redũdantem,eneruatum & elumbem.Sed arguant eos qui verbis inanibus,nihilq; boni ſignificantibus, & leuibus ſententijs numeros inuertunt. Si probæ res, bonæq; ſententiæ ſunt, ſi lecta verba & egregia, quid eſt cur claudicare aut

inſiſtere orationem malint, quàm cum ſententia pariter excurrere? Claudicat ea quæ pedes habet inęquales, vt illud Senecæ, Quàm minimum in corpore tuo ſit ſpoliorum. Inſiſtit ea quæ pedes implicat & curſum moratur, vt hoc Liuianũ, Quum Lauinium ab Troia, ab Lauinio Alba, ab Albanorũ ſtirpe regum oriundi Romani eſſent.
Quoniam eiuſmodi orationes inſuaues ſunt, ſequamur aliquem numerum, qui ſi putatur inuidioſus, ꝙ habet in oratione iudiciali nomen hoc, inuidiã, vt paulò ante dixit, nihil affert, niſi vt ſit apte verbis comprehenſa ſententia, quæ pulcherrima laus eſt orationis, quam frequẽter imprudentibus nobis ipſa natura modulatur. Hinc ſicut apud illos veteres incompoſitos, ſic & nunc apud indoctos multa numeroſe dicta reperiuntur.

Et apud Græcos quidem iam anni prope quadrin- 73
genti ſunt, cum hoc probatur, nos nuper agnouimus. Ergo Ennio licuit vetera contemnenti, dicere verſibus, Quos olim Fauni, vateſque canebant: mihi de antiquis eodem modo non licebit? præſertim cum dicturus nõ ſim, Ante hunc, vt ille: nec quæ ſequuntur, Nos auſi reſerare. Legi enim, audiuíque nonnullos, quorum propemodum abſolute concluderetur oratio. Quod qui non poſſunt, non eſt eis ſatis non contemni: laudari etiã volunt. Ego autem illos ipſos laudo, ídque merito, quorum ſe iſti imitatores eſſe dicunnt: etſi in eis aliquid deſydero: hos vero minime, qui nihil illorum niſi vitiũ ſequuntur, cum à bonis abſint longiſſime. Quòd ſi aures tam inhumanas, támque agreſtes habent: ne doctiſſimorum quidem virorum eos mouebit authoritas? Omitto Iſocratem diſcipulóſque eius, Ephorum & Naucratem: quanquam orationis faciendæ & ornandæ authores locupletiſſimi, ſummiq; ipſi oratores, eſſe debeant. Sed quis omnium doctior? quis acutior? quis in rebus vel inueniendis vel iudicandis acrior Ariſtotele fuit? quis porro Iſocrati eſt aduerſatus infenſius? Is igi-

tur verſum in oratione vetat eſſe,numerũ iubet. Eius auditor Theodectes in primis (vt Ariſtoteles ſæpe ſignificat) politus ſcriptor,atque artifex, hoc idẽ & ſentit,& præcipit. Theophraſtus vero,iiſdem de rebus etiã accuratius. Quis ergo iſtos ferat,qui hos authores non probent?niſi omnino hæc eſſe ab is præcepta neſciunt. Quod ſi ita eſt(nec verò aliter exiſtimo)quid, ipſi ſuis ſenſibus non mouentur?nihílne eis inane videtur,nihil inconditum,nihil curtum,nihil claudicans, nihil redũdans?In verſu quidem theatra tota exclamãt, ſi fit vna ſyllaba aut breuior,aut lõgior. Nec verò multitudo pedes nouit nec vllos numeros tenet, nec illud quod offendit,aut cur,aut in quo offendat intelligit, & tamen omnium longitudinum & breuitatum in ſonis, ſicut acutarum, grauiũmque vocum,iudicium ipſa natura in auribus noſtris collocauit.

Numeros temperauit Iſocrates,inuẽtos à Thraſymacho. Iſocrates iuuenis erat arte florẽs ad annũ fere cõditę vrbis trecenteſimũ quadrageſimũ ſeptimũ. Ab vrbe cõdita ad tẽpora Ciceronis ſenis,anni fere ſeptingẽti ducũtur,vnde facile eſt colligere, non fluxiſſe quadringentos annos, ſed prope quadringentos Roma numeros recepit,Cicerone puero, & auidius eodem adoleſcente,qui quum literis græcis inſtitutus modularetur orationem, vt quam tum dixit pro Roſcio Amerino,mirum in modum accendit ſtudia ciuitatis. Nouerat eos M.Callidius,Nouerat Craſſus, ſed eam virtutem parũ intelligebat eius rei ieiuna ciuitas,& magis illos & ſimiles, cæteris in virtutibus laudabat. Hinc pauló póſt nemini abſolutam concluſionẽ tribuit,Legi, inquit,audiuique nonnullos quorum propemodum abſolute concluderetur oratio. Numerum concedit,ſed imperfectum. Poſſet igitur in hac parte merito gloriari,Quemadmodum Ennius in verſu gloriabatur antiquos à ſe Latinos elegantia & ornatu fuiſſe ſuperatos. Oſtendit verſibus, ex quibus eſt hoc heroicum.

Verſibu' quos olim Fauni vatéſque canebant. Item hoc principium, Nos auſi reſerare. Et hoc, Ante hunc. Quod multo facilius intelligi poſſet,

poſſet, ſi vel opus illud extaret, vel ſi locum totum Cicero traduxiſſet. Gloriatur Ennius auſum ſe reſerare Latinis Helicona Græcorum, & hinc per latium coronam tuliſſe. Et ante hunc Ennium, neminem dicti ſtudioſum fuiſſe, quoniam veteres illi, in quibus fuit Liuius Andronicus, ſtrepebant verſibus impolitis, quales Fauni qui dabant oracula, & vates ac fatidici qui conſulebantur, aſpere canebant. Faunum oracula noctu dediſſe teſtis eſt Virgilius, qui facit eum regi Latino reſpondentem, nec obſcurum eſt vates & fatidicos reſpondere ſolitos ambiguo verſu. Hoc quoque notum eſt, Ennium magna de ſe prædicare ſolitum, qui per metapſychoſin Homeri animũ recepiſſe ſe, ac triplici corde ſuffultum diceret. Quintilianus exiſtimat quo tempore Fauni Vateſque canebant verſus, carmen ortum non obſeruatum fuiſſe, ante carmen, inquit, ortum eſt quàm obſeruatio carminis, indéque illud verſibus, quos olim Fauni Vateſque canebãt. Cicero in Bruto dicit tum inuentum, ſed imperfectum. Nihil eſt, inquit, ſimul & inuentum & perfectum. Quid? noſtri veteres verſus vbi ſunt? quos olim Fauni Vateſque canebant? Quum neque muſarum ſcopulos, nec dicti ſtudioſus quiſquam erat ante hunc, ait ipſe de ſe, nec mẽtitur in gloriando. hæc Cicero. Qui ſi minus arrogare gloriæ videtur quàm Ennius, tamen irrepit occultius, vt fructum laudis maiorem percipiat. Occurrunt Attici quidam, nec hominem regnare patiuntur, Qui etſi numeris orationem claudere non poſſunt, tamen id ſcire ſe fingunt, nec modo non contemni, ſed laudari etiã volunt, Vt Caluus ille qui gaudebat exilitate. Laudandi nimirum ſunt Lyſias Græcus, Cato Romanus, quorum præcipue ſe iſti imitatores eſſe dicunt, etſi in eis aliquid vti numerus deſideratur. Hos vero minime laudemus, qui nihil antiquorum niſi vitium ſequuntur, vt ieiunitatem, inopiam, ſqualorem, horridúmque genus dicẽdi. A bonis rebus & virtutibus abſunt longiſſime, vt à grauitate ſententiarum verborúmque delectu. Iſtorum peruicaciam cõtundit authoritatibus Iſocratis, Ephori, Naucratis, Ariſtotelis, Theodectis, atque Theophraſti, qui omnes non in oratione modo numerum eſſe voluerunt, ſed ipſi conſcribendo diligenter obſeruarũt. Quod ſi aures, inquit, tam inhumanas támque agreſtes habent, vt nulla ſonorum iucunditate moueãtur, quum proprium ſit hominis hiſce rebus oblectari, ne doctiſſimorum quidem virorum eos mouebit authoritas? In quibus eſt Iſocrates orationis ornandæ magnus author, cui conſentiunt diſcipuli Ephorus & Naucrates, hic rhetor, ille rhetor & hiſtoricus, vterque ſicut Iſocrates orationis faciendæ, id eſt componendæ & ornandæ locuples author, quorum commendatio, ſicut Ariſtotelis & Theodectis addit authoritatem, & inde confirmat argumentum. Quis omnium, inquit, doctior eruditione? acutior ingenio? acrior vtroque, quàm Ariſtoteles fuit? is quum florere Iſocratem nobilitate diſcipulorum videret, quòd ipſe ſuas diſputationes à cauſſis forenſibus & ciuilibus, ad inanem ſermonis elegantiam tranſtuliſſet, mutauit repente totam formam prope diſciplinæ ſuæ, verſúmq; quendam de Philoctecta paulo

ſecus dixit, ille enim turpe ſibi ait eſſe tacere cum barbaris, hic autem quum Iſocratem pateretur dicere. Itaque armauit & illuſtrauit doctrinam illam omnem, rerúmque cognitionem cum orationis exercitatione coniunxit. Hæc Cicero. Improbaſſet ergo numeros Ariſtoteles, quorum ſtudioſum ſciebat Iſocratem, niſi hoc orationis ornamentum pulcherrimum iudicaſſet. Non improbat, ſed verſum in oratione vetat eſſe, numerum iubet. Verba ſunt illius rhetoricorum tertio, τὸ δὲ σχῆμα τῆς λέξεως δεῖ μήτε ἔμμετρον εἶναι μήτε ἄρρυθμον. Figura dictionis neque ſolicite vincta, neque ſoluta eſſe debet, & paulò infra, διὸ ῥυθμὸν δεῖ ἔχειν τὸν λόγον. μέτρον δὲ μή. Itaque numerum, non autem metrum habere debet oratio. Theodectes diſcipulus eius de rhetorica librum vulgauit adiutus opera præceptoris, ex quo quum vehementer ſuum nomen auxiſſet, inuidus Ariſtoteles, opus illud tanquam ſuum vindicauit. In eo libro Theodectes de numero mentionē facit. Theophraſtus Ariſtotelis etiam diſcipulus de arte rhetorica multa ſcripſit, vt ante diximus ex Diogene Laertio, ſed ad nos illius opera non venerunt. Iſti vituperatores Attici, aut eos authores ne legêre quidem, aut ſi legêre, nimium contumaces habendi ſunt, quum poſſint ipſi ſuis ſenſibus, vt auribus commoueri. Auribus aliquid inane videtur, id quod non explet aures, vt neſcio quid huc illeuerit, nequeo legere. Aliquid inconditum, quod incompoſitum eſt & inordinatum, vt qui deflexit ſemel à veritate, hic conſueuit perduci nō maiore religione ad periurium quàm ad mendacium. Ordina, qui ſemel à veritate deflexit, hic non maiore religione ad periurium, quàm ad mendacium perduci conſueuit. De curtis, claudis, redundantibus, antè poſuimus exempla. In verſu quidem tota theatra exclamant, id eſt ſpectatores ludorum Scenicorum ſi ſit ab hiſtrione malo, vt à Statilio frequenter exploſo, vna ſyllaba aut breuior, aut longior. nec ipſi quidem riſum continemus, ſi quis apud nos voces, aut æquo longius trahit, aut barbare præcipitat. De ſonis igitur optime iudicant aures eruditæ, nonnihil etiam ineruditæ, etiamſi neque pedes metricos, neq; numeros oratorios tenent. Nec ſi cur offendantur, ſatis intelligunt, tamen longos & breues ſonos, ſicut voces acutas & graues, ſentiunt: propterea quòd hoc iudicium ipſa natura in auribus noſtris collocauit. Hactenus extra rem. Nunc ad propoſitum.

74 Víſne igitur Brute totum hunc locum accuratius etiā explicemus, quàm illi ipſi, qui & hæc, & alia nobis tradiderunt? An his cōtenti eſſe, quæ ab illis dicta ſunt, poſſumus? Sed quid quæro, velíſne? cum literis tuis eruditiſſime ſcriptis, te id vel maxime velle perſpexerim.

Primum ergo origo, dêinde cauſa, pòſt natura, tum ad extremum vſus ipſe explicetur orationis aptæ, atque numeroſæ. Nam qui Iſocratem maxime mirantur, hoc in eius ſummis laudibus ferunt: quòd verbis ſolutis numeros primus adiunxerit. Cum enim videret oratores cum ſeueritate audiri, poëtas autem cum voluptate, tum dicitur numeros ſecutus, quibus etiam in oratione vteremur, cum iucunditatis cauſa, tum vt varietas occurreret ſatietati. Quod ab his vere quadam ex parte, non totum dicitur. Nam neminem in eo genere ſcientius verſatum Iſocrate confitendum eſt. ſed princeps inueniendi fuit Thraſymachus, cuius omnia nimis etiã extant ſcripta numeroſe. Nam (vt paulò antê dixi) paria paribus adiuncta, & ſimiliter definita, itémque contrariis relata cõtraria, quæ ſua ſponte etiam ſi id non agas, cadunt plerunque numeroſe, Gorgias primus inuenit, ſed his eſt vſus intemperantius: id autem eſt genus (vt antê dictum eſt) ex tribus partibus collocationis alterũ. Horum vterque Iſocratem ætate præcurrit, vt eos ille moderatione, non inuentione vicerit. Eſt enim vt in transferendis, faciendíſque verbis tranquillior, ſic in ipſis numeris ſedatior. Gorgias autem auidior eſt generis eius, & his feſtiuitatibus (ſic enim ipſe cenſet) inſolentius abutitur, quas Iſocrates cum tamen audiuiſſet in Theſſalia adoleſcens ſenem iam Gorgiam, moderatius temperauit. Quinetiam ſe ipſe tantum quantum ætate procedebat (prope enim centum confecit annos) relaxarat à nimia neceſſitate numerorum: quod decla-

rat in eo libro, quem ad Philippum Macedonem ſcripſit cum iam admodum eſſet ſenex, in quo dicit ſeſe iam minus ſeruire numeris, quàm ſolitus eſſet: ita non modo ſuperiores, ſed etiam ſe ipſe correxit.

Accurratius explicare numeros quàm Græci ſcriptores Ariſtoteles, atq; Theophraſtus cæterique contendit, de quibus Romani ſumpſerunt hæc, & alia permulta, quæ ad rerum cognitionem pertinẽt. Quę, ſi Tullio credimus, ſumpta de Græcis omnia fecēre meliora. Iam ꝙ omnis diſputatio methodũ ſeruare debet, quatuor ſtatuit ordine quæſtiones: Quis numeris originem dedit? qua vi fretus dedit? qua natura ac proprietate conſtant? quid tandem afferant commodi? Origo & cauſſa referuntur ad quæſtionem an eſt. Natura ad quid eſt, & quale eſt. Vſus ad qualitatẽ. Seruat igitur ordinem trium quæſtionum, quas in rerum natura ſummas eſſe conſtat. De origine primo loco. Gorgias eos numeros inuenit, qui conficiuntur ex concinnitate verborum. Thraſymachus eos, qui conſonãt ex apta quadam collocatione, ſed pene redegit orationem in minutos verſiculos. Iſocrates autem totum genus temperauit, vt ne eſſent quaſi verſiculi, vt ne diſſoluta iaceret oratio. hæc origo numerorum. Aliter ſentiunt qui mirantur Iſocratem, hominémque laudant amatores eius, ac inter viri laudes, hoc etiam memorant, vt verbis ſolutis, nullóque vinculo coagmentandi colligatis, numeros primus adiunxerit. Id autem feciſſe duabus de cauſſis ferunt, vt numerus iucunditate mulceret aures, vt idem variaret orationem, cuius vna perpetuáque figura ſatietatem parit, omnibus in rebus euitandam. Sumpſit exemplum de poëtis, quorum numeroſi verſus, aut in ſcena, aut in epulis, aut in ocio priuato lecti & auditi, plus afferebant voluptatis, quàm quæ talibus in locis oratorum monumenta legebantur. Erant enim hæc diſſoluta, nec vlla rythmorum iucunditate delinita. Ea ratione factum eſt, vt omnes prope nationes, omnéſque linguę, ſi quid eſſe iucundius velint, illud rythmo quodam metiantur. Quæ loquuntur Iſocratis amatores, quadam ex parte vere loquuntur. Scientius ille & eruditius in ea re verſatus eſt, quàm veterum quiſquam. Sed tamen princeps inueniendi, hoc eſt primus inuentor fuit Thraſymachus, cuius omnia veluti quibuſdam verſiculis, certiſque pedibus emenſa iure exiſtimantur nimis eſſe numeroſa. Oratio liberius quàm verſus excurrit, nec certis vnquam dimenſionibus illigatur, quum ſit hoc in numero magnum vitiũ ſimilitudo. Metiemur igitur non breuitate aut longitudine ſententiarũ, ſed auriũ menſura. Gorgias paria paribus adiũcta, Similiter deſinita, id eſt vel cadentia vel deſinẽtia, itẽq; cõtrarijs relata contraria, primus inueniſſe dicit, de quibus antea duobus in locis diximus. Fuit hæc ſecũda pars collocationis,

quæ numerum conficit ex verborum concinnitate. Gorgias & Trhaſymacus ætate præcurrunt. Eos igitur non inuentione prima, ſed moderatione ſuperauit, qui temperare potuit, id quo abutebantur intemperantius. Tranquillior eſt hic in transferendis verbis, Illi metaphoris duriores. Hic molliora verba fingit, Illi aſperiora cudunt. Hic numero ſedato fluit, Fluctuant illi more vndãis aquæ per aſpera. Ex quib' Gorgias ſuis illis feſtiuitatibus, id eſt, figuris iucundioribus inſolentius & immodeſtius abutitur, quas Iſocrates modeſtius temperauit, non adductus authoritate Gorgiæ, quem iuuenis audierat ſenem, Quinetiam ſeipſe correxit, ne ſenior vteretur ijs floribus elegantiarum, quibus vſus erat in ætate florenti. Teſtatur ille in oratione ad Philippum Macedonum regem. ἐπήρθην πάλιν συγγράψαι περὶ αὐτῆς οὐκ ἀγνοῶν οὐδὲν τῶν περὶ ἐμαυτοῦ, ἀλλ' εἰδὼς μὲν τὸν λόγον τοῦτον οὐ τῆς ἐμῆς ἡλικίας δεόμενον, ἀλλ' ἀνδρὸς ἀνθοῦσαν τὴν ἀκμὴν ἔχοντος καὶ τὴν φύσιν πολὺ τῶν ἄλλων διαφέροντος. Conſtitui ſcribere rurſum de re eadem quam in Panegyrico tractaui, non ꝙ mea non agnoſcam, ſed ꝙ intelligam eam eſſe orationem, quæ non deceat hanc meam ætatem, ſed illius qui iuuenibus annis floreat, alióſque natura præſtet.

Quoniam igitur habemus aptæ orationis eos prin- 75
cipes, authoréſque, quos diximus, & origo inuenta eſt, cauſa quæratur: quæ ſic aperta eſt, vt mirer veteres non eſſe commotos, præſertim cum, vt fit, fortuito ſæpe aliquid concluſe aptéque dicerent: quod cum animos hominum, aureíſque pepuliſſet, vt intelligi poſſet, id quod caſus effudiſſet, cecidiſſe iucunde, notandum certe genus, atq; ipſi ſibi imitandi fuerunt. Aures enim, vel animus aurium nuntio naturalem quendam in ſe continet vocum omnium menſionem. Itaque & longiora & breuiora iudicat, & perfecta, ac moderata ſemper expectat. Mutila ſentit quædam, & quaſi decurtata, quibus tanquam debito fraudetur, offenditur. Productiora alia, & quaſi immoderatius excurrentia, quæ magis, etiã aſpernantur aures: quod quũ in pleriſque, tũ in hoc genere nimium quod eſt, offendit vehementius

quàm id,quod videtur parũ.Vt igitur poetica,& verſus inuentus eſt terminatione aurium, obſeruatione prudẽtiæ,ſic in oratione animaduerſum eſt, multo quidem illud ſerius, ſed eadem natura admonẽte,eſſe quoſdam certos curſus , concluſionéſque verborum.

Natura quemadmodum cæteris omnibus,ſic quoque numero principium fecit.Eſt igitur cauſſa quæ vocatur efficiens,quemadmodum Thraſymachus & Iſocrates numeri fuerunt inuentores,& imitati ſunt artifices , id quod ſponte natura peperiſſet.Eſt igitur artificis origo , cauſſa naturæ.Cæterum artes inuenta ſunt hominum,quapropter in arte priore loco de artifice dicendum videtur.Concurrit ad efficiendum natura , ſuúmque comitatur artificem , ſine quo nihil obſeruari , nihil arte colligi poteſt . Natura rerum parens,quo numerum ſubminiſtret,ſæpe aliquid aptum concluſúmq; fundit,hoc eſt fortuito numeroſam periodon abſoluit.id aures primũ, déinde animum pellit & excitat voluptatem,prudens animaduertit,notat genus & obſeruat quid illud ſit omnino quo tantopore capiuntur aures animúſque titillatur . Ex hac obſeruatione natum carmen eſt , déinde numerus orationis.id totum pertinet ad aurium ſenſum, qui nuncius eſt animi, proptereáq; audita ad animũ defert , vt iudicem & æquum exiſtimatorem. Animus autem aure nuncia commonitus , de ſonorum modis ſententiam profert,quia naturalem quandam in ſe continet vocum omnium menſionẽ, hoc eſt vi quadam inſita voces omneis quodammodo metiri poteſt . Eſt menſio idem quod dimenſio atque menſura.Iudicat idem ſenſus longiora, id eſt, quæ præter modum longius extendas.vt ſi pronuncies iſtuc,dominẽ, ſic vt extrema ſyllaba trium ſit temporum,quod pleróſque nunc praua conſuetudine facere videmus . Iudicat idem breuiora , vt ſi mediam corripias huius verbi docere formare.Sic enim referimus longiora breuioráque ad ſingula.quoniam paulò póſt contexta quædam dicuntur eſſe, aut curtiora, aut contra productiora.Idem perfecta ac moderata,hoc eſt accentu ſuo naturali compreherſa ſemper expectat. Idem in oratione mutila ſentit quædam,id eſt,quaſi decurtata , & velut amputando curtiora facta , vt Credo tum quum Sicilia florebat opibus,magna artificia fuiſſe in ea. Is offenditur, tanquam debito,iuréque ſuo fraudetur . Addit aliquid Cicero . Credo tum quum Sicilia florebat opibus & copijs , magna artificia fuiſſe in ea inſula. Sentit idem productiora alia.Nemo,ſicut ex improbo patre,probum filium naſci & oriri,ſic ex peſſimo hiſtrione bonum comœdum fieri poſſe exiſtimaret & crederet.Odioſum dicendi genus, quod rudioribus eſt copioſum. quẽadmodũ in pleriſque reb*,vt in loquendo,in aptando geſtu,ſic in numeris nimium quod eſt,offendit vehementius, quàm id quod videtur parum.

Qua de re infinitos prope ſenſiculos in minoribus cauſſis apud Ciceronem decurtatos reperias, longiores vix vnquam reperias. Hoc iudicium naturæ eſt. Is igitur verſus inuentus eſt terminatione aurium, obſeruatione prudentium, quum quid apte cadens ſenſiſſet auris, & ſolers annotaſſet, ſic in oratione animaduerſum eſt, quoſdam certos eſſe caſus concluſionéſque verborum, non quod certi ſint numeratique pedes, ſed quod ad certam veluti metam currit, auribus definitam, inter quam & carceres, interuallum par eſſe non debet. Quod ſi numer⁹ circa Thraſymachum, Carmen ante Orpheum & Linum repertum eſt à Phæmonoe filia Solis, multo quidem ſerius ῥυθμὸν, quàm μέτρον inuentum eſſe conſtat.

Quoniam igitur cauſam quoque oſtendimus, na- 76
turam nũc (id enim erat tertium) ſi placet, explicemus: quæ diſputatio non huius inſtituti ſermonis eſt, ſed artis intimæ. Quæri enim poteſt quid ſit orationis numerus, & vbi ſit poſitus, & natus ex quo, & is vnúſne ſit, an duo, an plures, quáque ratione cõponatur, & ad quã rem, & quando, & quo loco, quemadmodum adhibitus aliquid voluptatis afferat. Sed vt in pleriſque rebus, ſic in hac duplex eſt conſyderandi via, quarum altera eſt longior, breuior altera, & eadem etiam planior. Eſt autem longioris prima illa quæſtio, ſítne omnino vlla numeroſa oratio. Quibuſdã enim nõ videtur, quia nihil inſit, in ea certi, vt in verſibus: & quod illi qui affirmant eos eſſe numeros, rationem cur ſint, non queãt reddere. Déĩde ſi ſit numerus in oratione, qualis ſit, aut quales ex poeticíſne numeris, an ex alio genere quodã: & ſi è poeticis quis eorum ſit, aut qui. nanque aliis vnus modo, aliis plures, aliis omnes iidem videntur. Deinde quicunque ſunt, ſiue vnus, ſiue plures, communéſne ſint omnis generis orationi, quoniam aliud genus eſt narrãdi, aliud perſuadẽdi, aliud docẽdi: an diſpares numeri cuique orationis generi accõmodẽtur. Si commu-

nes,qui ſint:ſi diſpares, quid interſit :& cur nõ æque in oratione,atq; in verſu numerus appareat. Deinde quod dicitur in oratione numeroſum , id vtrum numero ſolum efficiatur,an etiã vel cõpoſitione quadam , vel genere verborum:an eſt ſuum cuiuſque , vt numerus interuallis,compoſitio vocibus , genus ipſum verborum quaſi quædam forma,& lumen crationis appareat, ſitq; omnium fons compoſitio, ex eáque & numerus efficiatur,& ea,quæ dicuntur orationis quaſi formæ,& lumina,quæ(vt dixi)Græci vocant σχήματα an non eſt vnũ, nec idem , quod vcce iucundum eſt,& quoḍ moderatione abſolutum,& quod illuminatum genere verborum , quanquam id quidem finitimum eſt numero, quia per ſe plerunque perfectum eſt,compoſitio autem ab vtroque differt,quæ tota ſeruit grauitati vocum, aut ſuauitati . Hæc igitur fere ſunt , in quibus rei natura quærenda ſit.

De numeri origine cauſſáque dictum eſt.De natura tertius eſt locus, vbi quid qualiſque ſit numerus,quæritur. Quippe natura rerum definitione & accidentibus explicatur. Subſtantia quæ vocatur , ſimplicior eſt , accidentia, locum,tempus,modum,numerũ,& id genus περιστάσεις,qualitates & quantitates continent , quæ ſi velit omnia præceptionibus aſtringere, diſputatio non huius inſtituti ſermonis erit,quoniam antea profeſſus eſt , artis præcepta non dare ſe,ſed quæ ſit optima dicendi forma, iudicare. Attamen elocutionem amplius quàm cæteras partes extendit , propter quam liber eſt hic inſtitut⁹:propterea diligẽter inquirit vim naturãq; numeri.Quis eſt oratiõis numerus? Pes omnis apte cadens,quo decenter ingreditur oratio,vt dactylus,ſpondeus,pæan,trochæus,& cæteri omnes.Vbi poſitus eſt numerus? In omni parte verborum : nihil enim eſt quod in pedem non cadat . Ex quo natus eſt?Ex aurium voluptate.hæc quæſtio referri videtur ad cauſſam, ſed natura rerum etiam petitur à cauſſis . Vnúſne eſt an duo an plures? Plures ſane, nempe totidem quot ſunt pedes aut duarnm ſyllabarum vt Iambus, aut trium,vt Anapeſtus,aut quatuor,vt Dichoreus,aut quinque, vt Dochimus.

mus. Tamen Ciceronem Fabius triſyllabos dicit non excedere, quòd ij ſimplices habentur. Reliqui certe compoſiti ſunt. Qua ratione componitur? Accommodatur ei de quo agitur, ac pronunciationi. grauia grauibus, leuia leuibus, dulcia dulcibus in compoſitione côueniunt. Ad quam rem componitur? ad delectationem. Quando adhibetur? Semper: nam quamuis oratio laxet interim numeros, nunquam tamen debet tota diſſolui. Quo loco ſtatuitur? in tota continuatione verborũ. Quemadmodum adhibitus aliquid voluptatis affert? id eſt quomodo voluptatem quum adhibetur, affert? Eo modo, quo verſus. Etenim curſus ille dimenſus natura iucũdus eſt. In his eſt natura numeri & vſus, qui ad naturam quoque referri poteſt, de quibus amplius eſt diſſerendum. Sed vt in pleriſque rebus, quas excutiunt philoſophi, ſic in hac duplex eſt conſiderandi via, quæ methodus appellatur. Altera quę perſequitur omneis prope quæſtiones, an eſt? quid eſt? quale eſt? quantum? q̃ multiplex? ad quid refertur? vbi? quãdo? quomodo ſe habet? hæc inquã longior, qua ſolent interdum philoſophi res obſcuras inquirere. Et Ariſtoteles conſtituit decem cathegorias, vnde pendeat omnis quæſtio. Breuior altera methodus, quæ pauca explanat, vnde cætera intelligãtur. Eſt igitur viæ longioris, quæ altius initium repetit hæc quæſtio, Sitne omnino vlla numeroſa oratio? Hanc longiorem methodum, nonnũquam Quintilianus ſecutus eſt, an ars omnino ſit rhetorice, an memoria, & pronunciatio ſint artis? Numerúsne debeat adhiberi? & alia multa diligenter examinat. Numeros autem eſſe conſtat, qui ſe more verſuum certam non habent comprehenſionem, vt perpetuo quatuor, aut quinque, aut ſex, aut octo pedes, tamen habent comprehenſionem aurium iudicio finitam. Nec ſi non ſunt certi vti verſus, ideo tamen non ſunt. Rationem cur ſint non opus eſt reddere. Interrogãdæ ſunt aures, vt ſit pro ratione ſenſus. Certe ſi quæritur, cur ſit numerus in oratione? hoc dicere ſolum poſſumus, non eſſe ratione quæſitum, ſed obſeruando notatum, tum quum ſuauiter in aurem cecidiſſet. Aliæ res quidem ratione ſunt inuentæ, vt in philoſophia multæ. aliæ natura datæ & vſurpatæ, quòd vtiles aut iucundæ viderentur. Hæc intellige de inuentione prima. Cæterum numerus, vt muſica nonnunquam rationes habet, nec qui variat numeros, ignorat cur hoc, aut illo genere vtatur, aut cur aliud genus fugiat, nec quæ de numero dicuntur. ſunt omnia in obſeruatione, pauca admodum ſunt obſeruata, quæ natura obtulerat. Reliqua ſimilitudine quadam agente ratione ſunt adiecta. Sed quoniam plurimum poſſunt aures in hac parte, nihil aut parum ratio facere videtur, etſi à paruis initijs hanc rem perduxit ad ſummum. ſed redeamus ad quæſtiones, quæramúſque quid poſteriores à prioribus differant? Priores in genere poſitę ſunt de tota numeri natura. Hæ rem perſequuntur longius, ac aliud inquirunt. Prima quęrit an res ſit, altera quid ſit, quam videtur omiſiſſe, quoniam vbi notum fuerit, qualis & quanta res ſit, difficile non erit intelligere quænam ſit. Sit igitur altera quæſtio, qualis ſit numerus, an poëticus, an alius? Poëticus ſane. Nam poëtæ & oratores

iiſdem pedibus,ſed aliter vtuntur. Ex hac quæſtione naſcitur alia. Quis poëticorum pedum ſit aut qui? Omnes in orationem veniūt, etſi Ephorus alios legit, alios reijcit, & alij vnum modo probant iambum, alij pæana. Hinc rurſus oritur quæſtio, Communéſne ſint omnis generis orationi, an diſpares accommodandi? diſpares accommodantur: quia alij narrationi conueniunt, alij ſuaſioni, alij communibus locis. Rurſum ſuboritur alia dubitatio. Si diſpares, id eſt diſſimiles in quantitate adhibeantur, quid intererſit? hoc intereſt: alij tardiores vt ſpondeus: alij celeriores vt iambus: alij triſtiores vt anapæſtus: alij iucundiores vt pæan: alij altiores vt dactylus: alij humiliores vt pyrrhichius: alij leues vt trochæus: alij graues vt bacchius: alij intermedij. Iam quę varietas & artis diſſimulatio efficit, vt non æque in oratione, atque in verſu numerus appareat? Numerantur pedes in verſu, & iidem perpetuo incurrunt, quod fieri non debet in oratione. Hæc itaque quæſtio natura ſequitur priorem, ſintne diſpares numeri accommodandi? Cui ſubſeruit hæc etiam, Quod dicitur in oratione numeroſum, Id vtrum numero ſolum efficiatur, an etiam compoſitione quadam, id eſt iunctura, an genere verborum, id eſt figura? Sua cuiuſque natura eſt atque proprietas & numeri, & iuncturæ, & concinnitatis. Numerus efficitur interuallis, id eſt temporibus ſyllabarum, breuibus, longiſque. Compoſitio & iunctura ſpectat voces, quas reddunt poſtremæ ſyllabæ verborum priorum. & primæ ſequentium. Figura numeroſa genus eſt verborum & lumen orationis. horum trium fons, id eſt genus, compoſitio eſt non illa ſuperior, ſed ordo verborum ſiue collocatio, quia ex collocatione verborum numerus efficitur, & coagmentatio, & figuræ concinnitas. Neque eſt vnum, & idem quod voce iucundum eſt, quæ apta iunctura eſt, Et quod moderatione, id eſt certa mistura temporiéque abſolutum, qui numerus eſt, & quod illuminatum, hoc eſt figuratum genere verborum. Hoc tertium finitimum eſt proximúmque numero, quia per ſe plerunque perfectum eſt in periodo. Compoſitio ſiue iunctura ab vtroque differt, quia tota ſeruit, aut grauitati, ponderique verborum, aut ſuauitati. Hæc interrogatione dubia facere videtur, ſed tamen oſtēdit id quod ſentit, propterea redigimus in affirmationem. Omnino ſunt decem & quinque diuerſæ quæſtiones, vnam duobus locis conſtituit, vnúſne ſit numerus, an duo, an plures, ſed aliud adiunxit, ne fruſtra repetita videretur. Deinde quòd ex ea quæſtione, manabant aliæ dubitationes.

77 Eſſe igitur in Oratione numerum quendam nō eſt difficile cognoſcere: iudicat enim ſenſus, in quo iniquū eſt, quod accidit non agnoſcere, ſi cur id accidat, reperire nequeamus. Neque enim ipſe verſus ratione eſt

cognitus,ſed natura, atque ſenſu : quem dimenſa ratio docuit quid acciderit:ita notatio naturæ,& animaduerſio peperit artem. Sed in verſibus res eſt apertior: quã-quam etiam à modis quibuſdam cantu remoto ſoluta eſſe videatur oratio, maximéque id in optimo quoque eorum poëtarum,qui λυρικοὶ à Græcis nominantur:quos cum cantu ſpoliaueris,nuda pene remanet oratio.quorum ſimilia ſunt quædam etiam apud noſtros. velut in Thyeſte. Quemnam te eſſe dicam ? qui tarda in ſenectute,& quæ ſequuntur. quæ niſi cum tibicen acceſſit, orationi ſunt ſolutæ ſimillima. At comicorum ſenarii propter ſimilitudinem ſermonis ſic ſæpe ſunt abiecti, vt nonnunquam vix in his numerus, & verſus intelligi poſſit: quo eſt ad inueniendum difficilior in oratione numerus,quàm in verſibus.

Propoſitas quæſtiones ordine mutato diſſoluit.Si quæras , ſitne omnino vlla numeroſa oratio ? Reſpondeat , eſſe in oratione numerum quendam, non eſt difficile cognoſcere . Si cur ita ſit, roges, conſtituat argumenti loco iudicium ſenſus.Si grauius agas & inſtes,quòd ratio numeri reddi non poſſit , ſubijciat iniquum eſſe quod accidit in oratione numeroſum non agnoſcere,ſi cur id accidat,reperire nequeamus. Si rythmus & metrũ ratione cognita eſſent,ratio redderetur,ſed à natura parta ſunt,à ſenſu notata , ratione dimenſa , quamobrem tantum dici poteſt , rationem menſura comprehendiſſe quæ natura peperiſſet. ergo ratio verſum numerúmque metitur , ſed non parit.Adijcies,cur non æque in oratione atque in verſu numerus appareti? occurrit.In alijs verſibus,vt heroicis,hendecaſyllabis,elegis,res eſt apertior.In alijs æque latet.Verſus autem vbique ſui ſimilis eſt,ea de re magis in eo numerus apparere debet,quanquam etiam à modis quibuſdam,id eſt modulatis verſibus,cantu remoto,vel chori, vel tibiæ, ſoluta eſſe videatur oratio,ſed choro tibicinéve modulante,compar ſuique ſimilis eſſe rythmus agnoſcitur.Hoc intelligere licet in poëtis lyricis, vt in Pindaro , & apud nos in Horatio,quorum multi verſiculi ſoluę orationi ſimillimi ſunt,niſi quum cantus acceſſit aut lyræ,aut tybiæ,aut etiam vocis , Tum enim pares habere

curſus, quod poëtici numeri proprium eſt, intellignutur, vt Lydia dic per omnes, Te deos oro. Sybarim cur properes amando perdere? Sic eſt illud Ennianum in tragœdia Thieſte, quemnam te eſſe dicam? qui tarda in ſenectute. Senſus eſt inexpletus. Hos modulos tragicos, & lyricos, aut in ſcena, aut in epulis canebat tibicen ſuccinentibus ore phonaſcis, quod etiámnum fieri videmus apud principes, vt tibicines ſymphoniacis immiſti concinant hymnos. Comicorum ſenarij, id eſt verſus iambici, ſex pedibus conſtantes, quibus vtuntur Comici, propter ſimilitudinem ſermonis & linguæ cottidianæ, ſic ſæpe ſunt abiecti, hoc eſt à maieſtate carminis ad humilitatem remiſſi, vt vix in ijs numerus, & verſus intelligi poſſit, vt hiccine me ſi imparatum in veris nuptijs adortus eſſet, quos mihi ludos redderet? Non eſt igitur cur miremur in oratione latere numeros, quũ certiores in verſu nonnunquam lateant. Horat. Iccirco quidam comœdia néc ne poëma eſſet quæſiuere, quòd acer ſpiritus ac vis, nec verbis, nec rẽbus ineſt.

78 Omnino duo ſunt, quæ condiant orationem, verborum, numerorúmque iucunditas. In verbis ineſt quaſi materia quædam, in numero autem expolitio: ſed vt cæteris in rebus neceſſitatis inuenta antiquiora ſunt quàm voluptatis, ita & in hac re accidit, vt multis ſeculis antè oratio nuda, ac rudis ad ſolos animorum ſenſus exprimendos fuerit reperta, quàm ratio numerorum cauſa delectationis aurium excogitata. Itaque & Herodotus, & eadem ſuperiórque ætas numero caruit, niſi quando temere, ac fortuito: & ſcriptores peruete-res de numero nihil omnino, de oratione præcepta multa nobis reliquerunt. Nam quod & facilius eſt, & magis neceſſarium, id ſemper antè cognoſcitur. Itaque tranſlata, aut facta, aut iuncta verba facilè ſunt cognita, quia ſumebantur è conſuetudine, quotidianoq́; ſermone. Numerus autem non modo depromebatur, neque habebat aliquam neceſſitudinem, aut cognationem cum oratione. Itaque ſerius aliquanto notatus, & co-

gnitus, quaſi quandam palæſtram & extrema lineamenta orationi attulit. Quòd ſi & anguſta quædam, atque conciſa, & alia eſt collatata & diffuſa oratio, neceſſe eſt id non literarum accidere natura, ſed interuallorum longorum, & breuium varietate: quibus implicata, atque permiſta oratio, quoniam tum ſtabilis eſt, tum volubilis, neceſſe eiuſmodi naturam numeris cótineri. Nam circuitus ille, quem ſæpe iam diximus, incitatior numero ipſo fertur & labitur, quoad perueniat ad finem & inſiſtat. Perſpicuum eſt igitur numeris aſtrictam orationem eſſe debere, carere verſibus.

Quæſtio diſſoluta eſt, ſitne numerus in oratione. Pergit oſtendere ſero natum fuiſſe numerum, & ad aurium voluptatem comparatum, vt exoluantur illæ quæſtiones, Ex quo natus ſit? ad quid adhibeatur? Sicut alia verba reperta ſunt ad neceſſitatem, alia ad voluptatem, ſic oratio nuda ac rudis erat neceſſitatis, oratio numeroſa, voluptatis. Natus ergo numerus ab aurium voluptate componitur ad delectationem & quaſi eloquentiæ condimentum. Omnino duo ſunt, id eſt, ex omnibus orandi virtutibus duæ, quæ condiant orationem ac veluti ſale quodam iucũdiorem efficiant. Altera eſt verborum non omnium, ſed florentium iucunditas. Altera numerorũ voluptas. Sententiæ non vt condimenta, ſed vt alimenta neceſſaria ſubminiſtrantur, quemadmodum verba quæ tantum conceptus animi declarant, neque viribus nouis, neque elegantia ſplendeſcunt. In verbis omnibus ineſt quaſi materia quædam. quia ſicut è materia conſtruit op⁹ artifex, vt è ferro gladium, ſic è verbis de medio ſumptis aut innouatis, artifex extruit illigátque numeros. In numeris eſt expolitio, propterea ꝙ verba ſuis locis aptata numeri beneficio, tanquam lapides expoliti coagmẽtantur. Verba autem fuerunt ante numerum, quia neceſſitatis inuenta antiquiora ſunt q̃ voluptatis, quanquam nõ omnia verba credi par eſt neceſſaria, quia res vna multis effertur modis, & è figuris noui ſumuntur intellectus. Herodotus, & eadem ſuperiórque ætas, numero arte quæſito caruit, verbis non caruit, vnde conſtat poſteriorem eſſe numerum. Quintilianus huic ſententiæ refragatur. Non enim, inquit, quanlibet magnus author Cicero perſuaſerit Lyſiam, Herodotum, Thucydidem, parum ſtudioſos numeri fuiſſe, quod Fabius à Dionyſio Halicarnaſſeo accepit, vt ſupra demõſtrauimus. Herodotus multis in locis verſiculos effundit imprudens, nec videtur

habere delectum pedum, nec iuſto modo debitóque fine multas complere
ſententias,vnde Cicero iudicauit eum caruiſſe numeris,non eo permotus, ꝙ
interim decenter orationem terminaret,quum doctus eſſet,&,vt ait poſtea,
ſtudioſus compoſitionis & iuncturæ.Principium Melpones inſuaue & im-
perfectum μετὰ δὲ τὴν βαβυλῶνος αἵρεσιν, ἐγένετο ἐπὶ σκύθας αὐτοῦ δαρείου
ἔλασις. Quę proxime ſequuntur non multo pleniora ſunt,ut illi fines, ὑπῆρ-
ξαν ἀδικίης. ἦρχον τῆς ἀσίης, καταπαύσαντες τῆς ἀρχῆς μήδους . Credamus er-
go Ciceroni,cui quod habet optimum Fabius,debet acceptum referre. Hoc
etiam pro Cicerone facere debet, veteres illos de oratione multa , nihil au-
tem dę numero præcepiſſe Coracem, Thyſiam , Empedoclem , Gorgiam,
alióſque permultos vſque ad Thraſymachũ & Iſocratem primos authores
huiuſce voluptatis.Quod erat facilius,id ante cognitum eſt , vt verba tran-
ſlata,quæ fuit metaphorica,vt ruentes animi fulciendi ſunt,Verba facta , vt
animi prouiſio:verba iuncta,id eſt, compoſita, vt terræ frugiferentes apud
Lucretiũ.Sũpta ſunt hæc è cõſuetudine cottidionóꝗ ſermone,aut ꝙ illa vul-
go dicerent, aut ꝙ per analogiã facile nouarẽtur . Id accidere numero nõ
potuit,quẽ vulgꝰ ignorabat.Numerꝰ,inquit,non hoc modo depromebatur,
quo verba permulta,neque habebat aliquam neceſſitudinem, id eſt,familia-
ritatem cum oratione populari.Ex dictis colligit ſerius aliquanto numerũ
& notatum & cognitum fuiſſe , quàm verba condimenti iucunditatiſque
gratia,reperta.Ergo verba neceſſaria primum fuerunt,deinde verba ad vo-
luptatem comparata,deinde carmen,Poſtremus omnium numerus. Is quã-
dam palęſtram orationi attulit,hoc eſt effecit vt oratio more palæſtritarum
validius atque decentius moueretur . Palæſtræ quidem decens eſt motus,
quamobrem Fabius ad palęſtritas mittendum oratorem futurum cenſet, vt
indę robuſtior honeſtiórꝗ mẽbrorũ flexus cõparetur.Certe in lõgis ac bre-
uibꝰ interuallis eſt numerus,vnde aut tardior,aut mobilior eſt oratio.Idem
numerus extrema lineamẽta orationi attulit, hoc eſt orationi fuſæ & veluti
in ſtatuam conflatæ addidit expolitionem ,quemadmodum fuſores puluere
deterſo,ſqualore metalli deiecto,extrema ducunt lineamenta,ſic oratio na-
tura cõflata,ſenſim depoſuit ſqualorem,tandémque numerum recepit. Ora-
tio alia anguſta atque conciſa,quæ non cõficit curſum, qualem nunc impli-
caui.Alia eſt collatata,atque diffuſa,quę pulchritudinis honore ducta circũ-
currit ſpatiúmque metatur,vt qui modulum pedum percipit ſenſus,iucundi-
tate & voluptate recreetur.Iſtud efficitur non ex natura literarum vocaliũ,
conſonantiúmque,quarũ coagmẽtatio & iunctura debet eſſe, ſed interual-
lorum longorum & breuium varietate,hoc eſt tẽporibus ſyllabarũ, quibus
implicata,id eſt, contexta oratio,longioribus ſtabilis & firma eſt, breuiori-
bus inſtabilis & volubilis.Circuitus quæ periodus appellatur,incitatior nu-
mero ipſo,id eſt,contextu pedum fertur & labitur , quoad perueniat ad fi-
nem & inſiſtat,hoc eſt quoad aures quieſcant , pedémque figi velint . Eſt
enim inſiſtere,veſtigium premere, & quaſi fixo pede commorari. Si nume-

rus eſt ad aurium voluptatem comparatus, ſicq; voluptas maior eſt à varietate, quàm à verſuum ſimilitudine, ſi déniq; tantam diligentiam præ ſe ferre non debet oratio, perſpicuum eſt numeris aſtrictam orationem eſſe debere, carere verſibus. Habes ex quo natus ſit numerus, & ad quam rē adhibeatur.

Sed hi numeri poeticíne ſint, an ex alio genere 79
quodam, deinceps eſt videndum. Nullus eſt igitur numerus extra poeticos, propterea quod definita ſunt genera numerorum. Nam omnis talis eſt, vt vnus ſit è tribus. Pes enim qui adhibetur ad numeros, partitur in tria: vt neceſſe ſit partem pedis aut æqualem eſſe alteri parti, aut altero tanto, aut ſeſqui eſſe maiorem. Ita fit æqualis dactylus, duplex iambus, ſeſquiplex pæan. qui pedes in orationem nō cadere qui poſſunt? quibus ordine locatis quod efficitur, numeroſum ſit neceſſe eſt.

Quæſtio fuit quales eſſent oratorum numeri, Ex poëticiſne numeris, an ex alio genere quodam? Reſpondet nullum eſſe numerum extra poëticos, quia quum ſint omnino tria genera numerorum, nullúmque genus nō veniat in orationem & in verſum, neceſſe eſt eoſdem eſſe poëticos & oratorios. Sunt, inquit, definita, hoc eſt certo numero comprehenſa genera numerorum. Omnis enim eiuſmodi naturæ eſt, vt vnus ſit è tribus, aut par, aut duplex, aut ſeſquiplex, quia pes vnde conficitur numerus, id eſt, illa conſtans & definita modulatio, aut par eſt, ſi pars eius equalis eſt alteri, vt dactylus, anapęſtus. aut duplex, ſi pars eius altero tāto, id eſt, duplo maior eſt, vt choreus, iambus. aut ſeſquiplex, ſi pars eius tantundem dimidiúmque continet, vt pæan, bacchius. Transfert iſta Fabius, Rythmus, inquit, aut par eſt, vt dactylus, vnam enim ſyllabam parem breuibus habet. Eſt quidem vis eadem & alijs pedibus, ſed nomen illud tenet, aut ſeſquiplex, vt pæan, cuius vis eſt ex longa & tribus breuibus, quique ei contrarius, ex tribus breuib⁹ & longa, vel alio quoque modo tempora tria ad duo relata ſeſquiplum faciunt. aut duplex, vt iambus, nam eſt ex breui & longa, quique eſt illi contrarius. Hæc ille. Ex his intelliges parem eſſe pyrrhichium, ſpondeum, dactylum, anapæſtum, amphibrachyn ſiue ſcolion, duplices autem, iambum, choreum, tribrachyn, moloſſum. Seſquiplos vero bacchium, antibacchium, amphimacrum. Reliquos pedes ex ijs componi vel pueri ſciunt. Hæc autem partitio naturam pedum analogiámque demonſtrat, vt ex arte numerare poſſimus

tempora ſyllabarum & inter ſe comparare. Omnes hi pedes in orationem neceſſario cadunt,quia verba quibus neceſſario vtimur, longis & breuibus conſtant,ac ſimplices numeros perpetuo ſecum ferunt. ſed numerus ille de quo loquuūtur oratores,non ex quibuſlibet pedibus,qui ſunt etiam in oratione diſſolutiſſima,ſed ex artificioſa pedum collocatione conſiſtit. Pes eſt omnium loquentium,Collocatio doctiſſimorum. Vult igitur pedes ordine collocari, ꝙ in collocatione ſint omnia. Omnis oratio pedes habet, neque enim loqui poſſumus niſi breuibus & longis.Oratio numeroſa pedes ordine componit,vt illis apte cadentibus decenter incedat. Hinc illud eſt pauló infra.Sit igitur hoc cognitum,in ſolutis etiam verbis ineſſe numeros,eoſdēq; eſſe oratorios,qui ſunt poëtici.

80 Sed quæritur, quo numero, aut quibus potiſſimum ſit vtendum.Incidere vero omnis in orationem etiam ex hoc intelligi poteſt, quòd verſus ſæpe in oratione per imprudentiam dicimus: quod vehementer eſt vitioſum:ſed non attēdimus,neque exaudimus noſmetipſos.Senarios vero, & Hipponacteos effugere vix poſſumus.magnam enim partem ex iambis noſtra conſtat oratio. ſed tamē eos verſus facile agnoſcit auditor: ſunt enim vſitatiſſimi.Inculcamus autē per imprudētiā ſæpe etiam minus vſitatos,ſed tamē verſus, vitioſum genus, & longa animi prouiſione fugiendum. Elegit ex multis Iſocratis libris triginta fotaſſe verſus Hieronymus, Peripateticus in primis nobilis pleroſque ſenarios, ſed etiam anapæſticos, quo quid poteſt eſſe turpius?etſi in eligendo fecit malitioſe. prima enim ſyllaba dempta ex primo verbo ſententiæ,poſtremum ad verbum primam rurſus, ſyllabam adiunxit inſequentis. ita factus eſt anapæſticus is qui Ariſtophanéus nominatur. quod ne accidat,obſeruari nec poteſt,nec neceſſe eſt. Sed tamen hic corrector,in eo ipſo loco quo reprehendit, vt

à me

à me animaduerſum eſt ſtudioſe inquirenti in eum, immittit imprudens ipſe ſenarium. Sit igitur hoc cognitum, in ſolutis etiã verbis ineſſe numeros, eoſdémque eſſe oratorios, qui ſunt poëtici.

Quæritur poſtea, quo numero, aut quibus potiſſimum ſit vtendum? Antequam reſpondeat, oſtendit numeros omneis etiam nobis imprudentibus in orationem incidere. Id argumento ſit, quód verſus ſæpe in oratione per imprudētiam dicimus, hoc eſt verſus effundimus, etiãſi nihil tale cogitamus, vt Cicero in Piſonem, duos ſenarios, & dimetrum vnum continuat.

Oculi, ſupercilia, frons, vultus denique
Totus, qui ſermo quidam tacitus mentis eſt,
Hic in fraudem homines impulit.

Hoc tamen vehemēter eſſe vitioſum putat: ſed excuſat, quia nō attendimus, id eſt non animaduertimus, neq; exaudimus noſmetipſos perinde quaſi ſtupidę ſint aures. Sed cur ita vitioſum? In viro docto nimiam numerorũ affectationem, In indocto componendi inſcitiam prę ſe fert. Heroicos verſus & elegos euitare poſſumus. excellunt enim & feriunt aurem. Senarios vero & hipponacteos effugere vix poſſumus. Quid ita? magnam partem ex iambis noſtra conſtat oratio. Magna ex parte fere dicit, ſed hic immutauit, quia dicturus erat ex iambis, & aſpere audiebatur, magna ex parte ex iambis. Cōſuluit auribus, vt par erat. Magnam partem dicere quidem poſſumus, quòd vt à Græcis ſupprimitur aliquando κατὰ. Sic quoque à Latinis, vel per, vel ſecundum, vel circa, vt cætera formoſus τ'ἄλλα, Synecdoche vocatur, quam non repudiat oratio. Liuius, Annibal aduerſum femur tragula grauiter ictus cecidit. Cicero Tuſculana quarta, Chryſippus & Stoici, quum de animi perturbationibus diſputant, magnam partem in his partiēdis & definiendis occupati ſunt. Iam quæramus qui ſenarij hipponacteique dicantur? & cur ex iambis noſtra fere conſtet oratio? Verſus iambici, à ſex pedibus ſenarij nominantur, ſextus eſt iambus, primus, tertius, quintus, aut iambus, aut tribrachus, aut dactylus, aut anapęſtus, aut ſpondeus, ſecūdus & quartus, aut iambus, aut tribrachus. Hoc ſenario Ariſtophanes in veteri comœdia & tragici, omnes frequenter vtuntur, vt

O mors amoris, vna ſolamen mali.
O mors pudoris, maximum læſi decus.
Confugimus ad te, pande placatos ſinus.

Alius eſt ſenarius comicus, qui nō obſeruat pares & impares locos, ſed vnũ aliquem de quinque pedibus conſtituit, vt,

Vos iſtæc intro auferte, abite, Soſia
Adéſdum, paucis te volo. Dictum puta.

Hipponacteus qui dicitur vel hipponactius, græcè ἱππωνάκτειος, latinè mutatur ei, aut in e, aut in i longũ, hipponacteus inquã ab Hipponacte iambographo Epheſio nomen habet, nihilq; differt à ſenario tragico, de quo modo locuti ſumus, niſi quòd perſæpe, aut catalecticus, aut hypercatalecticus eſt. Catalecticus quinque pedes habet, ac ſyllabam, vt

Mea renidet in domo lacunar.

Hypercatalecticus ſex pedes ac ſyllabam continet, vt

Fugit vmbra falſi, Oriente luce veritatis.

Hipponacteum quoque vocant iambicum claudum, vt

Nec fonte labra prolui caballino.

Quod autem ex iambis fere noſtra conſtet oratio, non eſt meditationis & conſilij, ſed euentus. Nam quum verba propè omnia longis ac breuibus miſceantur, in compoſitionem ſponte cadunt iambi, niſi cum verba de multis ſeliguntur. addamus iſtuc, cur iambicos verſus vſitatiſſimos putet, & eos facile agnoſcat auditor? In ſingulos annos multi exhibebantur ludi ſcenici, multæ agebant & tragœdiæ & comœdiæ, ex quibus verſus illos non docti modo, ſed etiam imperita multitudo cognoſcebat. Inculcamus etiam, id eſt quodammodo inter partes conſtipamus minus vſitatos, ſed tamen verſus, vt choriãbicos; inſtabilis tyrannis, Anacreontios, Relinque turpitudinẽ ſceleris. Sunt alij propè infiniti, hinc illud Quintiliani, Nihil eſt quod proſa ſcriptũ non redigi poſſit in quædã verſiculorũ genera. In adeò moleſtos incidimus grammaticos, qui carmina in varias formas coegerunt. Hoc tamen ne ſępius accidat, longa animi prouiſione fugiendũ. Quippe cũ Iſocrati vitio dederint quidã peripatetici, quòd ſtudio cõpoſitionis in verſus incidiſſet, vt ſenarios & anapæſticos, qui vel in vno areopagitico plurimi ſunt, paucos aſcripſimus.

πολλοὺς ὑμῶν οἶμαι θαυμάζειν ἥντινα. ἁπάσης γὰρ τῆς Ἑλλάδος ὑπὸ τὴν πόλιν.

περὶ μὲν οὖν τούτων καὶ πρότερον εἰρήκαμεν, οὔτε γὰρ ἡγοῦμαι τὸ τοσαύτας εἶναι.

Scazon. ταῦτ' ἀκόλως καὶ ποιοῦμεν καὶ πάσχομεν. Sunt in eadem oratione anapæſtici qui quatuor incedunt pedibus, aut anapæſtis, aut dactylis, aut ſpondeis, aut ſæpius miſtis.

καὶ προσέχειν τὸν νοῦν τοῖς πράγμασιν.

ὑπὸ τῶν προγόνων καταλειφθείσης.

νομίμως πράττοντες διετέλεσαν.

ἀμφότερα γὰρ αὐτοῖς συνέβαινεν.

Si quis obſeruabit illius orationes, eiuſmodi permultos inueniet, vnde conſtat Hieronymum illum peripateticum non omneis elegiſſe, quos Iſocrates effudiſſet, ſed triginta modo contentum fuiſſe, vt illum nimis ſtudioſum cõpoſitionis oſtenderet. Hieronymus peripateticus vocatur ad euitandam nominis ambiguitatem. Hoc quidem nomen eſt commune multorum. Hic autem ab Ariſtotelis ſecta nominatus, ſententia peripateticus nõ fuit. Teſtis eſt Cicero de finibus. Prætereo multos, inquit, in his doctum hominem & ſuauem Hieronymum, quem iam cur peripateticum appellem neſcio. Summum

enim bonum expoſuit vacuitatem doloris. Is igitur doctus, ſuauis, & in primis nobilis, ſed malitioſus, qui vt verſus notaret, non tota verba, ſed demptis ſyllabis mutilata ſumebat. hoc modo cõflauit anapæſticũ, ariſtophaneum ab Ariſtophane nominatũ. Ariſtophancios duplex eſt, aut enĩ cõtinet treis anapæſtos, hoc modo, Fugis hinc ſcelerate puer. aut octo ſyllaba dẽpta, vt, Date vina mihi, date ſerta, iuuat dare tempora tota lyæo. Dicet quiſpiam, quomodo ſibi Cicero conſtat, qui verſum facere in oratione, turpe flagitiũ putet, quum fateatur ipſe ne id accidat, neque obſeruari poſſe, neque oportere? Omnino vitare non poſſumus, quod oſtendit ille corrector tam ſeuerus, attamen frequenter in notos incidere uerſus flagitium eſt.

Sequitur ergo vt qui maxime cadant in orationem 81 aptam numeri, videndum ſit. Et ſunt enim qui iambicum putent, quòd ſit orationi ſimillimus: qua de cauſa fieri, vt is potiſſimum propter ſimilitudinem veritatis adhibeatur in fabulis, quòd ille dactylicus numerus hexametrorum magniloquentiæ ſit accõmodatior. Ephorus autem leuis ipſe orator, ſed profectus ex optima diſciplina, pæana ſequitur, aut dactylum: fugit autem ſpõdeum & trochæum. Quòd enim pæan habeat treis breueis, dactylus autẽ duas, breuitate, & celeritate ſyllabarũ labi putat verba procliuius: contráque accidere in ſpondeo & trochæo, quòd alter ex longis conſtaret, alter è breuibus fieret: alteram nimis incitatam, alteram nimis tardam orationem, neutram temperatam. Sed & illi priores errant, & Ephorus in culpa eſt. Nam & qui pæana prætereunt, non vident molliſſimum à ſeſe numerum, eundémque ampliſſimũ præteriri. Quod longe Ariſtoteli videtur ſecus, qui iudicat Heroum numerum grãdiorem, quàm deſyderet ſoluta oratio: iambum autem nimis è vulgari eſſe ſermone. Ita neq; hu-

milem,nec abiectã orationem, nec nimis altam, & exaggeratam probat: plenã tamen eam vult eſſe grauitatis,vt eos,qui audient, ad maiorem admirationẽ poſſit traducere. Trochæum autem,qui eſt eodem ſpatio quo Choreus,Cordacem appellat,quia contractio,& breuitas dignitatem non habeat.Ita pæana probat,eoq; ait vti omnes,ſed ipſos non ſentire cum vtantur:eſſe autẽ tertium,ac mediũ inter illos: ſed ita factos eos pedes eſſe, vt in eis ſingulis modus inſit aut ſeſquiplex, aut duplex,aut par.

Numeros omneis in orationem cadere planum fecit.Iam tractãda quæſtio eſt intermiſſa,quibus potiſſimũ ſit vtendum: nec enim dubitatio eſt quin alijs alij meliores ſint.Pæan optimus habetur,reliqui omnes ſi rebus aptantur,non mali.Sic enim Ciceroni viſum eſt.Ego,inquit,ſentio omneis in oratione eſſe quaſi permiſtos & confuſos pedes. Caſtigat igitur eos qui iambum cæteris anteferunt, ꝙ ſit orationi ſimillimus, id eſt ꝙ præ ſe ferat ſpeciem conditionemq́; ſermonis,qui neq; abiectus,neq; grandiloquus eſſe debet.Hinc rationem ducũt,cur adhibeatur fabulis,vt Comœdijs.Nam quum fabulæ ſint ſermoni proximæ, & iambus habeat ſimilitudinem quandã veritatis,id eſt veri proprijq́; ſermonis,non ab re videtur accommodari. Id ex parte verũ eſt. Iambus enim frequentiſſimus eſt in ijs quæ demiſſo atq; humili ſermone dicuntur. Ex parte falſum, quippe cum in amplioribus materijs, alij ſint aptiores, vt pæan & dactylus, quem repudiant illi, quoniam heroicæ magniloquentiæ vident accommodari, quod non efficit, vt repudietur,ſed vt parcius collocetur.Ephorus pæana ſequitur,aut dactylum, ſed non ita magnæ authoritatis eſt, quia, vt ait,leuis eſt orator. Id oſtendit ſecundo de Oratore. Poſtea vero quaſi ex clariſſima rhetoris officina, duo præſtantes ingenio, Theopompus & Ephorus ab Iſocrate magiſtro impulſi,ſe ad hiſtoriam contulerunt,cauſſas omnino nunquam attigerũt. Non probo qui malunt hic legere lenem pro ſuaui,quum ſenſus veritas ſit, illum quidem eſſe parum grauem oratorem,non tamen repudiãdum, qui ſit profectus ex optima diſciplina Iſocratis.Nec illud turbare debet nos, quód hiſtoricus dicatur orator.Nemo enim bonus hiſtoricus,vt Antonius affirmat, qui non idem ſit Orator.Ephorus pæana ſequitur, quia quum habeat treis breues & longam, vt Curriculum, amauerat, videatur, facilitas, volubilem procliuémque reddit orationem, quemadmodum dactylus qui labitur celeritate breuium duarum. Sit hoc exemplum. Periodus labitur,

ac celeriter fluit ea quæ volubilitate pæanis & dactyli breuitate corripitur. In hac oratione collocauimus quinque pæanas, dactylos treis, quia dactyl⁹ & anapęstus hic pro eodem habētur, treis creticos pauló tardiores, ne, quod non oportet, ijdem continuarentur pedes. De pæane & dactylo recte indicauit Ephorus, ſicuti de ſpondeo & trochæo, quem trybrachium vocant à tribus correptis ſyllabis, vt legere, facilis. Spondeus ſi frequens eſt, nimium tardam, trochæus nimis incitatam reddit orationem. Exempla ſunt, Fœlices ij patres, qui liberorū formauerūt diſciplinā, nec eorū mores in prauū declinare permiſerūt. Leuis & impi⁹ homo potius habēd⁹ eſt, qui vitia ſinit inhęrere ſuis. Hic pes à volubilitate & incōſtātia dict⁹ trochę⁹. Sūt qui trochæū pro lōga breuiq; ſumūt, id eſt, pro choreo, ſed quid Cicero velit, intelligēdū eſt. Forte dices, ſi nō errat Ephor⁹ in hoc iudicio pedū, quid habet culpę? qd illi qui putāt iambū ſimillimū ſermoni? Non errāt in qualitate, ſed in modo, qui pauciores eligāt pedes q̃ dicendi copia facultáſque patiatur. Nā priores de pæane nullam faciunt mentionem, qui numerus eſt molliſſim⁹, idēq; ampliſſim⁹. Molle ſuauitatis eſt, Amplum dignitatis, Quid de pedibus opinetur Ariſtoteles tertio rhetoricorū ſcribit hoc modo. τῶν δὲ ῥυθμῶν ὁ μὲν ἡρῷος, σεμνοῦ καὶ λεκτικοῦ καὶ ἁρμονίας δεόμενος. ὁ δ' ἴαμβος αὐτή ἐστιν ἡ λέξις ἡ τῶν πολλῶν. διὸ μάλιστα πάντων τῶν μέτρων ἰαμβεῖα φθέγγονται λέγοντες. δεῖ δὲ σεμνοτέραν γενέσθαι καὶ ἐκστῆσαι. ὁ δὲ τροχαῖος κορδακικώτερος, δηλοῖ δὲ τὰ τετράμετρα, ἔστι γὰρ τροχερὸς ῥυθμὸς τὰ τετράμετρα, λείπεται δὲ παιάν ᾧ ἐχρῶντο μὲν ὡς ἐν ἀποῤῥήτῳ ἀπὸ Θρασυμάχου ἀρξάμενοι. οὐκ εἶχον δὲ λέγειν τίς ἦν, ἔστι δὲ τρίτος ὁ παιὰν καὶ ἐχόμενος τῶν εἰρημένων τρία δὲ πρὸς δύο ἐστίν. ἐκείνων δὲ ὁ μὲν ἓν πρὸς ἕν. ἔχεται δὲ τῶν λόγων τούτων ὁ ἡμιόλιος οὗτος δ' ἐστὶν ὁ παιάν. οἱ μὲν οὖν ἄλλοι διά τε τὰ εἰρημένα ἀφετέοι καὶ διότι μετρικοί. ὁ δὲ παιὰν ληπτέος, ἀπὸ μόνου γὰρ οὐκ ἔστι μέτρον τῶν ῥηθέντων ῥυθμῶν ὥστε μάλιστα λανθάνειν.

ideſt, Numerorum grauis eſt herous, elegans, harmoniam quærens. Iambus autem ſermo eſt ipſe multitudinis, iccirco ex omnibus metris iambica maxime loquendo fundit. Opus eſt autem ampliorem eſſe orationem, vt eximatur à vulgo. At trochæus eſt tripudijs aptior, quod octonarij oſtendunt. In octonarijs enim volubilis eſt numer⁹. Reſtat itaque pęan quo poſt Traſymachū repertorē, veluti arcano vtebāt, quū quid eſſet, ne ſenurēt quidē. Eſt autē terti⁹ pæan & medi⁹ inter illos, in quo tria tēpora ad duo referunt, in illis autē aut vnū ad vnū, aut duo ad vnū. Hac ratione & analogia fit hemiolius & ſeſquiplex qui pæan eſt. Reliqui propter ea quæ dicta ſunt, & quia metris conueniūt, omittēdi. Sumēdus eſt pæan, à quo ſolo nullū metrū eſt. vnde fit vt maxime lateat. Cicero ad verbū non reddidit, ſententiā collegit, heroum numerum quē Fabius interpretatur, dactylū & ſpondeū, grandiorē eſſe quam deſideret ſoluta oratio, iambum nimis humilem & abiectū neutrā orationem probari, nec humlem, nec nimis exaggeratā, id eſt, veluti aggere & cumulo terrę ſuppoſito editā. trāſlatio eſt a turrib⁹ ligneis, quib⁹ in aggere cōſtitutis vtebātur in oppugnatiōe, plenā orationē eſſe opor-

tere, trochæum, qui trium temporum eſt, quemadmodum choreus, eſſe Cordacem,id eſt,tripudijs aptum,Cordax enim ſaltationis eſt gen*,Lucian* in Icaromenippo,Appollo cythara canebat,Silen* cordacem ſaltabat,Contractionem,id eſt breuitatē pedum vti trochæi dignitatem nō habere, Pæana reſtare quo vtantur omnes,etiamſi nō ſentiant, Tum pæana tertium eſſe, hoc eſt medium inter illos neque abiectum,neque nimium altum, hoc enim tertium dicit, ita factos eos pedes eſſe, vt in eis ſingulis modus & mēſura ſit,aut ſeſquiplex,vt in pæane:aut duplex, vt in iambo,trochæo:aut par, vt in dactylo atque ſpondeo.Hi ſunt enim quinque pedes de quibus erat locutus. Sic eſt Ariſtotelis explicata ſententia.

82 Itaque illi de quibus antè dixi, tantummodo commoditatis habuerunt rationem,nullam dignitatis.Iambus enim,& dactylus in verſum cadunt maxime.itaq; vt verſum fugimus in oratione,ſic hi ſunt euitandi cōtinuati pedes. Aliud enim quiddā eſt oratio, nec quicquam inimicius,quàm illa, verſibus. Pæan autē minime eſt aptus ad verſum,quo libentius eum recepit oratio.Ephorus verò ne ſpondeum quidem, quem fugit, intelligit eſſe æqualem dactylo, quem probat: ſyllabis enim metiendos pedes,non interuallis exiſtimat:quod idem facit in trochæo,qui temporibus,& interuallis eſt par Iambo,ſed eo vitioſus in oratione, ſi ponatur extremus,quòd verba melius in ſyllabas longiores cadunt. Atq; hæc quæ ſunt apud Ariſtotelem, eadem à Theophraſto,Theodectéque de Pæane dicuntur.Ego autem ſentio omneis in oratione eſſe quaſi permiſtos,& confuſos pedes. Nec enim effugere poſſemus animaduerſionem,ſi ſemper iiſdem vteremur,quia nec numeroſa eſſe,vt poema, neque extra numerum, vt ſermo vulgi eſt,debet oratio. Alterum nimis eſt vinctum, vt de induſtria factum appareat. Alterum nimis diſſolu-

tum,vt peruagatum, ac vulgare videatur: vt ab altero non delectêre,alterum oderis.Sit igitur (vt ſupra dixi) permiſti, & temperata numeris,nec diſſoluta, nec tota numeroſa,pæane maxime, quoniam optimus author ita cenſet, ſed reliquis etiam numeris, quos ille prætcrit,tem perata.

Quid de pedibus alij ſentiant,expoſuit.Déinde quid ſentiat, ipſe pronũciat.Illi tantummodo commoditatis habuerunt rationem, qui ſolum probarent eos pedes quos orationi commodos arbitrabantur. Hic vult etiã ſeruari dignitatem.Quam inquies? Dignitas ſeruatur ſi iambꝰ humilia,Herous grauia,trochæus volubilia,pæan ſuauiter & ample fluentia, nexus illorum omnium temperata,frequentabit.Rerum varietati varios adhiberi numeros conuenit, quod ſi iambus & dactylus in verſum cadunt maxime, & iccirco incommodos arbitramur,adhibet remedium Cicero,Euitari iubet continuatos pedes,ne verſum conficiant.Miſcebis igitur, quia nihil inimicius eſt quàm verſibꝰ oratio,ꝙ hæc varietatem,illi numeros pares deſiderãt,ꝙ mutos eſſe oporteat nos,ſi certis definitiſque numeris alligemur. Pæan minime eſt aptus ad verſum, ſiue quód poëtæ fortuito non traxerunt in vſum, ſiue ꝙ reiecerunt conſilio, quia longus & inſtabilis eſſe videbatur. Ea de cauſſa libentius eum recepit oratio.Dactylus & ſpondeus ſi pedes interuallis, hoc eſt temporibus metiamur,æquales erunt. Singulis enim tempora ſunt quaterna.Ephorus inæquales putat,quia ſyllabis metiẽdos pedes,nõ interuallis exiſtimat.Iambum ſimiliter & trochæum facit inæquales,ꝙ ſit iambus duarum,trochæus vero trium ſyllabarum.Nam tribrachum accipimus ſicut & Quintilianus.Cicero pares habet,quia ſingulis terna ſunt tẽpora.Trochæus tamẽ extremus in oratione eo vitioſius ponitur quàm iãbus,ꝙ verba meliꝰ in ſyllabas longiores cadũt.vt hoc eſt pleniꝰ, Auſus es confiteri quàm iſtuc cœperunt fugere. Sed vt alijs alij meliores ſint, vt antè diximus, tamen omnes in oratione ſunt quaſi permiſti & cõfuſi pedes. Quamobrẽ? Quoniam effugere non poſſemus animaduerſionem,ſi ſemper ijſdem vteremur. Auditor animaduerteret aucupium voluptatis, & accuratam compoſitionem, ſi ſemper ijſdem vteremur. Neque numeroſa eſſe, vt poëma,neq; diſſoluta vt ſermo vulgi,debet oratio,Poema nimis eſt vinctum, iccirco de induſtria factum apparet.Sermo vulgi nimium diſſolutus, nimium peruagatus ac tritus .A poemate non delecteris in arte dicendi. Sermonem illum diſſipatum & vagantem oderis.Seruet igitur mediocritatem, ſic vtatur illo pæane, quem ſummus author Ariſtoteles probauit., vt cæteros tamen ne faſtidiat

83 Quos autem numeros cum quibus tanquam purpuram miſceri oporteat, nunc dicendum eſt, atque etiã quibus orationis generibus ſint quique accommodatiſſimi. Iambus enim frequentiſſimus eſt in iis, quæ demiſſo atque humili ſermone dicuntur: Pæan autem in amplioribus, in vtroque dactylus: ita in varia & perpetua oratione hi ſunt inter ſe miſcendi, & temperandi. ſic minime animaduertetur delectationis aucupium, & quadrãdæ orationis induſtria, quæ latebit eo magis, ſi & verborum & ſententiarum ponderibus vtemur. Nam qui audiunt, hæc duo animaduertunt, & iucunda ſibi cenſent: verba dico, & ſententias: eáque dum animis attentis admirantes excipiunt, fugit eos, & prætervolat numerus, qui tamen ſi abeſſet, illa ipſa delectarẽt. nec vero nimius is curſus eſt numerorum, orationis dico: nam eſt longe aliter in verſibus, nihil vt fiat extra modum, nam id quidem eſſet poema. Sed omnis nec claudicans, nec quaſi fluctuans, & æqualiter, conſtantérque ingrediens, numeroſa habetur oratio. Atque id in dicendo numeroſum putatur, non quod totum cõſtat è numeris, ſed quod ad numeros proxime accedit: quo etiam difficilius eſt oratione vti, quàm verſibus, quòd in illis certa quædã, & definita lex eſt, quã ſequi ſit neceſſe: in dicendo autem nihil eſt propoſitũ, niſi aut ne immoderata, aut anguſta, aut diſſoluta, aut fluens ſit oratio. Itaque non ſunt in ea tanquam tibicini percuſſionum modi: ſed vniuerſa comprehenſio, & ſpecies orationis clauſa, & terminata eſt, quod voluptate aurium iudicatur.

Quæſitum

Quæſitum eſt,numeri qua ratione cōponantur, communéſne ſint omnis generis orationi? Reſpondet non eſſe cōmunes,ſed tanquam purpuram coloribus,ſic optimum numerū deterioribus eſſe miſcēdum . Purpura quidem cum amethyſtino colore,& coccineo miſcebatur,quod Plinius queritur,gemina,inquit,demonſtrata via luxuriæ,vt color alius operiretur alio. Iambus frequentiſſimus,non tamen perpetuus eſt in ijs quę demiſſo atq; humili ſermone dicuntur,vt quæ gerātur accipies ex Pollione, qui omnibus negocijs non interfuit ſolū,ſed præfuit. Pæan amplioribus adhibetur,vt hac vtar moderatione dicēdi,non vt in illius poteſtate fortunam poſitam eſſe dicam, ſed vt præterita meminiſſe,reliqua ſperare videamur. Dactylus & in humili ſermone,& in dignitate locū habet,quod non eget exemplo. In oratione perpetua quum varia dicuntur,alia tenuia,alia mediocria,alia ſublimia,miſcendi ſunt pedes & temperandi,vt alios tamen frequentius, alios parcius pro rerū natura collocemus. Hinc eſt orationis quadrandæ induſtria,hoc eſt artificiū quo ſic expolitur oratio,ſic coagmentatur,vt in muro pauimētóve quadrati lapides,quod vt noſſe debet Orator, ſic occultare in iudicijs maxime & cōſilijs debet,ne dum grauia dicenda ſunt,puerili more ſyllabas & tēpora numerare videatur. Id aſſequetur tribus ex rebus,ſi varios miſceat , nō eoſdem continuet pedes:Si verborum ponderibus , id eſt verbis ſignificantibus vtatur:Si ſententiarum grauitate delectet auditorem . Tolle ſententiarum verborumq; grauitatem,apta numeros, quid aliud audietur q̃ inanis & effœminata modulatio? Admirabilis eſt oratio quæ rerum grauitate,verborū pondere iucunda,clanculum ſubijcit hanc numerorum voluptatem . Numerorū curſus nimius eſſe non debet, hoc eſt in orationis curſu non ſic anxie pedes aptātur,vt nimius & poëticus ſit is nexus. Nihil enim fieri debet extra modum. Hic diligentia nimia,& contrà,ſoluta negligentia vtraque vituperāda, non quum delectare volumus,& quantum poſſumus experiri, ſed quum in cōſilijs aut in iudicijs res agitur,aut quū materia tractatur indigna tāta voluptate. Quod autem dicit intelligere ſe numeros orationis , non ſine cauſſa dicit . Numerus enim quum ſimpliciter dicitur,pes eſt habens arſin theſinq;. Numerus orationis eſt multorū pedum decens & apta collocatio. Decenter & apte locabuntur,ſi neque claudicabit,neque fluctuabit, ſed æqualiter cōſtantérque ingredietur oratio. Hæc conſtans & æqualis ſententia, Si crudelitas quæ hoc tempore in Repub. verſata eſt,veſtros quoque animos duriores acerbioréſq; reddidit,actum eſt iudices , inter feras ſatius eſt ætatem degere,quàm in hac tanta immanitate verſari. Conſtātem longæ ſyllabæ reddunt,Aequalem parium numerorum poſitio. Claudicabit & fluctuabit hoc modo,Si crudeles eritis hoc tēpore,ſicut alij , quia bella ciuilia vos quoque fecerint acerbiores,perijmus. Satius eſt viuere inter feras quàm eſſe cum tam crudelibus hominibus. Profuerit hic tacite cantitare ſententias, & explorare voce,firmiſne pedibus ſuſtineatur oratio. Si,quod aiunt, viua voce hanc ſententiam efferes , reperies fluctuantem , vtrum potius eſt æquum diſcruciari

quòd filium amiſeris, an gaudere qui talem habueris. vide ne parum grati ſit animi, meminiſſe repetiti muneris, non meminiſſe dati. Si rationem quæres, inuenies in ſingulis articulis inſtabiles poſitos eſſe pedes, qui breuibus quodammodo fluctuant, nec vnquam ſtabili veſtigio ſiſtunt. Firmanda ſunt principia, inciſa, membra, comprehenſionis extrema. Hæc obſeruat auris, & eorum conſtantia atque firmitate recreatur. In illis eſt quod in dicendo numeroſum putatur. Nam quòd ſingulos numerare pedes, nec poſſumus, nec debemus, non eſt oratio tota numeroſa, hoc eſt certis pedibus conſtituta, ſed paucis arte collocatis, ad numeros proxime accedit. Nihilominus numerus eſt in omni continuatione verborum. Differt igitur à verſibus, quòd in illis certa quædam & definita lex eſt, quam ſequi ſit neceſſe, vt in heroicis duo ſunt omnino pedes. Singulis tempora quaterna, ſedes aſſignatæ velut ordini ſenatorio & equeſtri in theatro. In dicendo nihil eſt propoſitum quod ſequamur, niſi aut ne immoderata ſit oratio curſu longiore, aut anguſta ſuſpenſo veſtigio, aut diſſoluta reuinctis numerorum compagibus, aut fluens inſtabilitate breuium multarum. Non ſunt in ea tanquam tibicini percuſſionum modi, quod eſt, non habet certos limites, certúmque numerum ſyllabarum, quo quum modulando peruentum ſit, cadat rythmus, vocémque ponat. Ex contrario tibicen & muſicus numeratos habet rythmos, ac ſpacia longitudinis eiuſdem & ſingulos in ſingulis percuſſionum modos, Muſicorum vulgus nunc cadentias appellat. Orationis multæ ſpecies, multæq; menſuræ. Quantacunque fuerit comprehenſio ſiue longa, ſiue breuis, ſi modo clauſa & terminata eſt, numeroſa dicetur. Clauſa & terminata eſt, qua ſenſus auris, modeſte cõtentus, quaſi mediocritate homo frugi quieſcit.

84 Solet autem quæri, totóne in ambitu verborum numeri tenendi ſint, an in primis partibus, atque in extremis. Plerique enim cenſent cadere tantum numeroſe oportere, terminaríque ſententiam. Eſt autem, vt id maxime deceat, non id ſolum. ponendus eſt enim ille ambitus, non abiiciendus. Quare cum aures extremũ ſemper expectent, in eóque acquieſcant, id vacare numero non oportet: ſed ad hunc exitũ tamen à principio ferri debet verborum illa comprehenſio, & tota à capite ita fluere, vt ad extremum veniens ipſa conſiſtat. Id autem bona diſciplina exercitatis, qui & multa ſcripſerint, &

quæcunque etiam ſine ſcripto dicerent, ſimilia ſcriptorum effecerint,non erit difficillimum. Ante enim circunſcribitur mente ſententia, confeſtímque verba cócurrunt,quæ mens eadem,qua nihil eſt celerius, ſtatim dimittit,vt ſuo quodque loco reſpondeat, quorum deſcriptus ordo aliâs alia terminatione concluditur:atque omnia illa & prima, & media verba, ſpectare debent ad vltimum. Interdum enim curſus eſt in oratione incitatior,interdum moderata ingreſſio: vt iam à principio videndum ſit, quemadmodum velis venire ad extremum:nec in numeris magis,quàm in reliquis ornaméntis orationis,eadé cũ faciamus quæ poëtæ, effugimus tamen in oratione poëmatis ſimilitudiné. Eſt enim in vtroq; & materia & tractatio: materia in verbis,tractatio in collocatione verborum. Ternæauté ſunt vtriuſq; partes verborũ,tranſlatum,nouum,priſcũ. nam de propriis nihil hoc loco dicimus.Collocatiões auté,eæ, quas diximus,compoſitio,concinnitas,numerus:ſed in vtroque frequentiores ſunt,& liberiores poëtæ. Ná & tráſferũt verba cum crebrius, tum etiam audacius, & priſcis libentius vtuntur, & liberius nouis: quod idem fit in numeris, in quibus quaſi neceſſitati parêre coguntur.ſed tamen hæc nec nimis eſſe diuerſa, neque vllo modo coniuncta intelligi licet.Ita fit, vt non item in oratione,vt in verſu numerus extet,ídque quod numerosum in oratione dicitur,non ſemper numero fiat:ſed nonnunquam aut concinnitate, aut conſtructione verborum.Ita ſi numerus orationis quæritur qui ſit:omnis

eſt,ſed alius alio melior, atque aptior. ſi locus: in omni parte verborum. ſi vnde ortus ſit: ex aurium voluptate. ſi componendorum ratio: dicetur alio loco, quia pertinet ad vſum, quæ pars quarta, & extrema nobis in diuidendo fuit. ſi ad quam rem adhibeatur: ad delectationem. ſi quando: ſemper. ſi quo loco: in tota continuatione verborum. ſi quæ res efficiat voluptatem: eadem quæ in verſibus, quorum modum notat ars, ſed aures ipſæ tacito eum ſenſu ſine arte definiunt.

Numerus in extremis apte collocandus, quòd aures extremum ſemper expectent. Ea de re conceſſum eſt duos aut treis ad finem, certos metiri pedes. Prima etiam diligentiam poſtulant, maxime ne verſus initium ducatur, Media latent, vt currentiũ veſtigia: Sed tamen & primis & extremis reſpõdere debent. Eſt igitur vbique numerus, etſi paulò antè dixit, non id totum quod numeroſum putatur conſtare numeris. Intellexit media conſtanter ad finem ire oportere, non metiri tamen certum pedum genus. Solet quæri totóne in ambitu verborũ, & in tota periodo numeri tenendi ſint, id eſt aptãdi pedes, an in primis partibus atque in extremis, quod eſt initium & extremũ ſententiæ. Plerique cenſuerũt cadere tantum numeroſe oportere, terminariq́ꝫ ſententiam. Numeroſe tantum cadet, ſi numerus neqꝫ prima, neqꝫ media, ſed extrema tantum cõponet. Cicero cenſet id maxime decere numeroſe terminari ſententiam, quia ponendus eſt ambitus, id eſt apte tandem deponendi ſunt pedes ad honeſte quieſcendum, non abijciendi ad turpiter procumbendum, Quia dèniqꝫ aures extremum ſemper expectant, in eoqꝫ acquieſcunt, id vacare numero nõ oportere. Sed nequaꝗ in tito ſunt omnia. Errãt igitur illi non genere ſed modo. Componẽda ſunt etiã principia mediaq́ꝫ dirigẽda, vt à principio ad exitum feratur illa verborũ cõprehenſio, vt à capite ſic fluat oratio, vt ad extremũ veniens ipſa conſiſtat. Quãlibet enim compoſiti fines amittent gratiã, ſi aſpere & incompoſite ad extrema venietur. Dicet aliquis, Miſerũ eſt hiſce rebus occupari, & in numero metiendo cõſeneſcere. Occurrit homo prudens, id nõ eſſe difficillimũ, ſi quis eſt bona diſciplina exercitatus. Nã ſi multa cõſcribamus, vt cytharœdorũ manus, ſic lingua nobis aliud agẽtibus cõpoſite feret. Qui fit, inquies, addit, antè circũſcribit mẽte ſentẽtia, id eſt, mẽs inuenit, & cõprehendit rẽ ipſam, quę poſtea verbis ſit exponẽda, Si inuentã ꝓferre nitit, cõfeſtim verba cõcurrunt ac veluti agmine facto cõueniunt in buccã. Quid tũ? adlubenda mens eſt ad ea verba dimittẽda, ſuiſqꝫ

locis & ordinibus educenda. Poteſtne tã ſubito? Sane, quoniã mente nihil eſt celerius. Quid poſtea? Vbi verborũ deſcriptus ac digeſtus ordo eſt, vt militũ in agmine, quia aliâs pauciora, aliâs plura ſunt, alia ac varia terminatione cõcluditur. Iam quoniã iſta omnia ſponte fiunt, mentis eſt exercitatæ ſpectare poſtrema, vt apte ponantur, eóque prima & media verba dirigere. Si dicendum erit incitatius, educes ex omnibus verbis celeriora, quæ propere ferantur ad metam. Si decebit moderata ingreſſio, ac temperatum incedendi genus, tardiora pauló verba ac longis tẽperata mittantur ex ore, vt cum moderata dignitate veniant ad extremum. Sic varius eſt in oratione numerus imitans quidem verſum, ſed tamen alien⁹ a verſu. Hic vt duas explicet quęſtiones, cur non æque in oratione atque in verſu numer⁹ appareat, & vnde efficiatur, id quod numeroſum dicitur, comparat oratores & poëtas, vt qui faciant idem & in verbis & in numeris, ſed non eodem modo. Eſt in poëta & in Oratore materia & tractatio, Materia in verbis, ex quibus ſic oratio, vt ex arborum materia nauis, intexitur, Tractatio in collocatione verborum, quam diſponit artifex, vt in naui trabes architectus. Vt arbores materiæque variæ ſunt, ſic & verba diuerſa. Alia ſunt propria, materia omnium loquentium communis, Iccirco de proprijs nihil hoc loco dicit, Alia tranſlata, alia noua, alia priſca, de quibus abunde dictum eſt. Hac materia verborũ ornant ſua poëtæ, vt Virgilius, in marmore tonſæ, tranſlatum eſt. Igneus eſt olli vigor, priſcum: deſpiciens mare veliuolum, innouatum. Eadem genera bonus vſurpat orator. Vt autem materiæ tres ſunt partes, ſic & totidem collocationis, vna eſt compoſitio alio nomine iunctura, altera concinnitas, id eſt, figura numeroſa, vt paria paribus relata. Tertius eſt numerus, qui pedum ordine motúque conſtat. His tertiis partibus vtuntur Oratores & Poëtæ. Vnde licet intelligi verba & numeros in illis non multum eſſe diuerſa, nullo tamẽ modo coniũcta, ꝙ liberi⁹ omnia poëtę apertiúſque faciũt, Oratores illa ſua ſupellectile parcius vtunt. Hinc fit vt nõ eodẽ modo in oratione atq; in verſu numer⁹ extet, id eſt appareat, & vt numeroſum illud aut à cõpo. ſiõe. iuncturæ, aut a cõcinnitate figuræ, aut à numero & ordine pedum componatur. Quas breuiter exoluit quæſtiones, ante tractauimus, adde ꝙ ſi priora teneas, noſtra non egent expoſitione.

Satis multa de natura: ſequitur vſus, de quo eſt accuratius diſputãdum. In quo quæſitum eſt, in totóne circuitu illo orationis, quem Græci περίοδον, nos tum ambitum, tum circitum, tum comprehenſionem, aut continuationem, aut circunſcriptionem dicimus: an in principiis ſolum, an in extremis, an in vtraque parte nume- 85

rus tenendus ſit. Deinde cũ aliud videatur eſſe numerus, aliud numeroſum: quid interſit. Tũ autẽ in omnibúſne numeris æqualiter particulas deceat incidere, an facere alias breuiores, alias longiores, ídque quando, aut cur, quibúſque partibus, pluribúſne an ſingulis, imparibus an æqualibus, & quando aut iſtis, aut illis ſit vtẽdum: quæque inter ſe aptiſſime collocẽtur, & quomodo: an omnino nulla ſit in eo genere diſtinctio: quódq; ad rem maxime pertinet, qua ratione numeroſa fiat oratio. Explicandum etiam eſt, vnde orta ſit forma verborum, dicendúmque quantos circuitus facere deceat. déque eorum particulis, & tanquam inciſionibus diſſerendum eſt: quærendúmque vtrum vna ſpecies, & longitudo ſit earum, ánne plures: & ſi plures, quo loco, aut quando, quóque genere vti oporteat. Poſtremo totius generis vtilitas explicanda eſt, quæ quidem patet latius: non ad vnam enim rem aliquam, ſed ad plures accommodatur. Ac licet non ad ſingulas res reſpondentem de vniuerſo genere ſic dicere, vt etiam ſingulis ſatis reſponſum eſſe videatur. Remotis igitur reliquis generibus vnũ ſelegimus, hoc quidẽ quod in cauſis, foróque verſatur, de quo diceremus.

De numeri origine, cauſſa, naturáque dictum eſt. Reſtat vſus, qui quartus ordine fuit in partitione. Originem & cauſſam aperto diſcrimine ſeparauit. In natura cauſſam poſuit, & vſum, quod partes tametſi ſuapte natura diuiduntur, nonnihil tamen habent inter ſe communionis. Cęterum primum eſt, inuentorem agere. Alterum natura duce iuuari, aliud, agendo numeri vim naturámque comprehendere, quartum vti reperto. De vſu accuratiꝰ diſputandum cenſet, quia quemadmodum alia multa facilius eſt intelligere, quàm apte & decenter vſurpare, ſic & numerum noſſe promptiꝰ eſt, quàm quum opus ſit, contexere, ac locis aptare. Numerus eſt in ambitu præcipuus. No-

mine ambitus, περίοδον Latini reddiderũt. Periodꝰ, ambitus, circuitꝰ, circumſcriptio, comprehenſio, verba ſunt rationis eiuſdem. Significant enim genus orationis quæ ſuum numeris explet orbem, ſiue tranſlatũ eſt ab equis qui confecto ſpacio redeunt in carceres, ſiue ꝙ orbis res eſt abſoluta, & quę perpetuo ductu in ſe reuoluitur. Continuatio nominatur ꝙ non ante interrumpitur curſus, quàm totum ſpacium confectum ſit. Hæc de nominibus ac definitione periodi, de qua ſic Ariſtoteles, Λέγω δὲ περίοδον λέξιν ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ τελευτὴν, αὐτὴν καθ' αὐτὴν καὶ μέγεθος εὐσύνοπτον. Periodum voco dictionem, quæ ſola per ſe principium habet & finem, atque perſpicuã magnitudinem. Vt autem de vſu numeri diſputet accuratius, id quod antea de natura fecit, multas proponit quæſtiones, ad quas ſingulas non reſpondet, qui ſic iudicet ex vniuerſi generis diſputatiõe, ſingulas partes intelligi poſſe. Proponamus, ac ſingulis reſpondeamus.

An in toto circuitu orationis, an in principijs ſolum? an in extremis? an in vtraque parte numerus tenendus eſt? In extremis maxime tenendus, Principijs cura minor eſt addibenda, ſed diligẽs, media primis ac extremis diſſentire non debent, tamen quia minus audiuntur, negligentius inſeruntur. Quid differunt inter ſe numerus atque numeroſum? Numeroſum totum conſtat è numeris vt carmen, Numerus nõ omneis enumerat pedes, ſed imitatur ex parte numeroſum. Deinde numeroſum continet iuncturam, concinnitatem & numerum, Nec idem eſt ſimpliciter eſſe numeroſum, & eſſe in oratione numeroſum, quoniam poſterius priore minus eſt. In omnibúſne numeris decet æqualiter particulas incidere? an facere alias breuiores? alias lõgiores? Particulæ ſunt ſinguli ſenſus, aliæ ſunt particulæ in periodo, quæ dicuntur inciſa atque membra. Vtraſque inæqualiter incidimus, nonnunquam etiam æqualiter. hoc eſt, aut impares curſus facimus aut pares. Quando incidimus æqualiter & quando inæqualiter? Quando numeroſiores eſſe volumus, fere ſemper æquabilitate partium, quando numerum diſſimulamus, inæqualitate potius vtimur. Cur ita? Aequalitas, vt in verſibus, habet oſtentationem, inæqualitas repit occultius. Aliud alijs locis vtile. Quibus partibus vtendũ eſt, an inciſis, an membris, an ambitu. Omnibꝰ his oratio miſcẽda eſt. Pluribúſne an ſingulis partibꝰ vtendum? Interdũ ſingulis, vt quũ mẽbratim dicimus, interdum pluribus, vt quum tribus quatuórve membris vnum circuitum conficimus. An imparibus, an æqualibus vtemur partibus? Imparibꝰ & æqualibus, nec refert an partes ſingulas, an periodo coniũctas accipi velis. Quando aut pluribus, aut ſingulis, aut paribus, aut imparibus vtendum? In exquiſitiore numero paria coniuncta decentiora ſunt, alioqui imparia, tũ coniuncta, tum diſſoluta, meliora, tamen vtriſque fere ſemper vtemur. Quæ particulæ inter ſe quàm aptiſſime collocantur? quæritur, quæ partes inter ſe collocatæ ſint numeroſiſſimæ? Pares certe maxime proceræ. Quomodo collocantur aptiſſime? diſtinguẽdo partium naturas & conſentaneas intexendo, breuiores ſuſtineamus longitudine ſyllabarũ, multas vinciamus,

Longiores incitemus.An omnino nulla eſt in eo genere,id eſt, in collocandis partibus diſtinctio? varia diſtinctio eſt tum propter delectandi varietatem,tum propter earum rerum quæ tractãtur,genera diuerſa. Qua ratione & ad quem finem numeroſa fit oratio? non quærit de natura,qua fiat arte numerꝰ,ſed de fine & vſu, Fit autẽ vt cum ratio locorum poſtulauerit,vtamur.Poſtulabit vbi res illuſtrare volet orator,Vnde orta eſt forma verborũ ἶδος λέξεως: Ex pedum collocatione. Quantos circuitꝰ facere decet? Longos duobus membris,aut tribꝰ, aut quatuor,aut etiam pluribus,certe quantos ſpiritus indefeſſus ſuſtinere poſſit.Quæ particulæ & inciſiones circuituũ ſunt? Inciſa,quæ dicuntur & membra. An inciſa membráque ſunt vniꝰ longitudinis? Nequaquam.Quo loco & quando hoc aut illo genere vti oportet? Pari longitudine membrorum in oratione ad voluptatem comparata melius vtemur,in alijs contrà.Quænam totius generis hujus vtilitas, & ad quas res accommodatur? ad laudes,ad iucundas expoſitiones, ad amplificationes & locos communes,ad hiſtoriam,ad genus epidicticum,ad omnem orationẽ,quæ nõ repudiat illam modulandi voluptatẽ.Hęc breuiter de ſingulis quæſtionibus, in quibus moleſtus videri poteſt, propterea ꝙ multæ ſunt perſimiles,déinde ꝙ in hac parte non ita neceſſariæ. ſed græculos ſequitur,qui abditis in rebus arbitrantur hoc modo eluceſcere veritatem.Profitetur autem ſe maxime tractare numeros forenſium cauſſarum, nõ exornationum deliberationúmque,quippe cum illo genere cognito, nõ arduum ſit reliqua duo metiri.

86 Ergo in aliis,id eſt in hiſtoria,& in eo quod appellamus ἐπιδεικτικὸν, placet omnia dici Iſocrateo,Theopõpeóque more,illa circunſcriptione,ambitúque,vt tanquam in orbe incluſa currat oratio, quoad inſiſtat in ſingulis perfectis,abſolutiſque ſẽtẽtiis. Itaque poſteaquam eſt nata hæc vel circunſcriptio,vel comprehenſio, vel continuatio,vel ambitus,ſi ita licet dicere:nemo,qui aliquo eſſet in numero,ſcripſit orationem generis eius, quod eſſet ad delectationem comparatum, remotúmque à iudiciis, foréſique certamine, quin redigeret omneis fere in quadrum,numerúmque ſententias. Nam, cum is eſt auditor,qui non vereatur, ne compoſitæ orationis inſidiis ſua fides attentetur:gratiam quoque habet oratori

tori voluptati aurium ſeruienti. Genus autem hoc orationis, neque totum aſſumendum eſt ad cauſas forenſes, neque omnino repudiandum. Si enim ſemper vtare: cum ſatietatem affert, tum quale ſit, etiam ab imperitis agnoſcitur. Detrahit præterea actionis dolorem, aufert humanum ſenſum actoris, tollit funditus veritatem, & fidem. Sed quoniam adhibenda nonnunquam eſt: primum videndum eſt, quo loco: deinde, quandiu retinenda ſit: tum quot modis commutanda. Adhibēda eſt igitur numeroſa oratio, ſi aut laudandum eſt aliquid ornatius, vt nos in accuſationis ſecundo de Siciliæ laude diximus, aut in ſenatu de conſulatu meo: aut exponenda narratio, quæ plus dignitatis deſyderat, quàm doloris, vt in quarto accuſationis de Ennenſi Cerere, de Segeſtana Diana, de Syracuſarum ſitu diximus. Sæpe etiam in amplificanda re conceſſu omnium funditur numeroſe & volubiliter oratio. Id nos fortaſſe non perfecimus, conati quidem ſæpiſſime ſumus, quod plurimis locis perorationes noſtræ voluiſſe nos, atque animo contendiſſe declarant.. Id autem tum valet, cum is qui audit, ab oratore iam obſeſſus eſt, ac tenetur. Non enim id agit, vt inſidietur & obſeruet, ſed iam fauet, proceſſumque vult, dicendíque vim admirans, non inquirit, quod reprehendat. Hæc autem forma retinenda non diu eſt: nec dico in peroratione, quam ipſe includit, ſed in orationis reliquis partibus. Nam cum ſis his locis vſus, quibus oſtendi licere, transferenda tota dictio eſt ad illa, quæ neſcio cur, cum Græci κόμματα, & κῶλα nominent, nos non recte inciſa, & membra dicamus.

Neque enim eſſe poſſunt rebus ignotis nota nomina: ſed cum verba aut ſuauitatis, aut inopiæ cauſſa transferre ſoleamus, in omnibus hoc fit artibus, vt quum id appellandum ſit, quod propter rerum ignorationem ipſarum nullum habuerit antè nomen, neceſſitas cogat aut nouum facere verbum, aut à ſimili mutuari.

Et ſi propoſitus eſt numerus forenſis, de quo diſputetur, pauca tamen de hiſtoriæ numero, generiſq; demonſtratiui, quod ἐπιδεικτικὸν appellat græcia, præmittit. In alijs generibus à genere forenſi, vt in hiſtoria, & in exornatione placet omnia dici Iſocrateo Theopompeóque more. Mos Iſocrateus ad genus ἐπιδεικτικὸν refertur, & panegyricum, quo plurimũ vſus eſt Iſocrates: Theopompeus ad hiſtoriam pertinet, quam numeroſe Theopompus Iſocratis auditor expoſuit. vterque & magiſter & diſcipulus vſus eſt circunſcriptione & ambitu, quo tanquam in orbe & circulo incluſa currit oratio, donec inſiſtit, id eſt quieſcit, perfectis abſolutiſque ſententijs. Quid eſt hoc aliud, quàm vtrunque omneis fere perfeciſſe periodos? Ab Iſocrate nata eſt hæc circunſcriptio, qui primus minutos atque conciſos Thraſymachi numeros in longius porrexit. Ex illo nemo qui aliquo eſſet in numero, hoc eſt vel in precio, vel potius in oratione numeroſa, ſcripſit orationem generis eius quod eſſet ad delectationem comparatum, quin redigeret omneis fere in quadrum numerúmque ſententias. quadrum numerúmque dicit numerum quadratum. Vbi quiſpiam quærat, qui fiat vti numerus orbem conficiat forma rotundum, quum ſit figura quadratus? Numerus nec rotundus, nec quadratus eſt, hæc ſunt ex tranſlatione verborum, & nos ad aliud & aliud referentes cogitationem, verba commutamus. Cur potius in hiſtoria & exornatione numerus expletur? Is eſt auditor qui non veretur, ne compoſitæ orationis inſidijs ſua fides attentetur. Quis iſtuc veretur? Iudex, qui quibus capitur rebus, facilius credit. Vtimúrne genere numeroſo in cauſſa forenſi? Hoc genus neque totum aſſumendum eſt ad cauſſas forenſes, neque omnino repudiandum. Quid ita non ſemper aſſumendum? quia ſi ſemper vtare, ſatietatem affert, vt obſonia delicatiora: id vitium primum. Alterũ, quòd ab imperitis agnoſcitur, deprehenſus contemnitur. Aliud quòd quum voluptas & dolor in contrarium nitantur, & numerus ille pariat voluptatem, actionis dolorem aufert, vt affectibus acerbis contrarius. Quartum, quòd auferat humanum ſenſum actoris, is eſt ſenſus communis oratoris & hominum cæterorum, à quo recedere neceſſe eſt, & eum qui maiora componit, & auditorem qui percipit auribus inſueta. Adde vitium quintum, quo tollit funditus veritatem & fidem, receptum moribus Po. Romani ſcie-

bant,arte fallere diſceptatores, ſuſpectos, habebant tam præclaros artifices eloquendi,nec eos vera dicere arbitrabantur , nec illis adhibere fidem poterant. Cur non eadem cadunt in hiſtoriam & in exornationem? quia numerus nec tum ſatiat quum maxime expetitur,nec cauſſæ nocet,quę nihil periclitatur . Si numeroſum genus aſſumitur in cauſſas forenſes,quo loco aſſumitur? quum expatiamur ad voluptatem. Quandiu retinetur? breui. Quot modis commutatur? multis. nunc tardius incedit,nunc celerius, nunc aſperius, nunc lenius, nunc cadit in dichoreum , nunc in alium pedem terminatur.adhibenda eſt igitur numeroſa oratio,ſi laudandum eſt aliquid ornatius, vt quum in Verrem Siciliam ornare contendit,Atque adeò antequam de incommodis Siciliæ dico,pauca mihi videntur eſſe de prouinciæ dignitate,vetuſtate , vtilitate dicenda, & quæ ſequuntur . Hunc librum quem numeramus quartum,conſtituit ſecundum,quia diuinatio eſt in Ceciliū magis quàm in Verrem.Prima actio nō tam oratio perpetua eſt,quàm præparatio quædam ad interrogationem teſtium.In ſenatu laudauit conſulatum ſuum,oratione prima in Seruilium Rullum, cuius orationis pars extrema tantum ſupereſt.Laudauit & principio ſecundæ ad populum,de more veteri,quo nouus conſul S. P. Q. R. gratias agebat.Laudauit etiam in Piſonem, in alijſq; multis orationibus, ſed aut illa debet intelligi,aut alia deſiderari.De Ennenſi Cerere,de Segeſtana Diana,de Syracuſarū ſitu,dicit in quarto Accuſationis, vt nunc loquimur Actione ſexta.Fuit apud Segeſtanos ex ære ſimulachrum Dianæ,tum ſumma atque antiquiſſima præditum religione , tum ſingulari opera,artificióque perfectum,& multa deinceps . Vetus eſt hæc opinio quæ conſtat ex antiquiſſimis Græcorum literis,atque monumentis inſulam Siciliam totam eſſe Cereri & Liberæ conſecratam . Fruges in ea terra primum repertas arbitrantur, & raptam eſſe Liberam , quam eandem Proſerpinam vocāt,ex Ennenſium nemore,qui locus,quod in media eſt inſula ſitus, vmbilicus Siciliæ nominatur,& multa quæ ſequuntur.Vrbem Syracuſas maximam eſſe Græcarum vrbium,pulcherrimámque omnium ſæpe audiſtis . Eſt iudices ita vt dicitur.Nam & ſitu eſt communito,tum ex omni aditu,vel terra,vel mari præclaro ad aſpectum , & cætera . In illis omnibus iccirco longiores duxit numeros,quòd ſe ad auditorum voluptatem comparabat.Sępe etiam in amplificanda re conceſſu omnium funditur numeroſe & volubiliter oratio.Id concedunt omnes,quia tum incaluit oratio, & auditor oblectatione ductus non animaduertit.Iam obſeſſus eſt vt oppidanus , & tenetur vti captiuus,nec agit vt inſidietur,& obſeruet vt hoſtis,ſed iam fauet, vt noſter,proceſſúmque vult & continuationem,& quia vim dicendi miratur, non inquirit quod reprehendat . Exempla reperies in omni peroratione, quæ grauiores immiſcet affectus,vt pro Flacco,pro Sylla,pro Milone . Periodus illa circunducta ad flebiles modos, & triſtiores actionū flexus optime accommodatur.Quando numeroſo genere liceret vti,præcepit, poſt ex

ordine quamdiu retinere liceat oſtendit. Nam paulò antè quęſierat, quo loco oratione numeroſa vti deceret, déinde quandiu retinenda eſſet, tum quot modis commutanda. Hæc forma numeri longioris retinenda non diu eſt in orationis reliquis partibus, Nam de peroratione non opus eſt præcipere, quam ipſe Orator ſic includit, ac terminat, vt longior eſſe non poſſit. In alijs quum retinenda non eſt, à Periodo transferenda dictio eſt, ad inciſa atque membra, ne (quod tedij plenum eſt) diu nimiſq; cõtinuemus ambitum. κόμματα reddit inciſa, κῶλα membra, nouitatémque verborum & calumniam deprecatur, rebus ignotis imponenda noua nomina, Poſſe verba nouari tranſlatione metaphoræ, Metaphorã aſſumi aut ſuauitatis, aut inopiæ cauſſa, vt ſuauitatis eſt, Libati flores roſci pudoris: Inopiæ, Sitiunt agri, luxuriat ſeges, Licere verbũ nouum facere, vt beatitatem, aut à ſimili mutuari, vt inciſum à partibus corporis & membrum.

87 Quo autem pacto deceat inciſe, membratímve dici, iam videbimus. nunc quot modis mutentur comprehenſiones, concluſionéſque dicendum eſt. Fluit omnino numerus à primo, tum incitatius breuitate pedum, tum proceritate tardius. curſum contentiones magis requirunt: expoſitiones rerum, tarditatem. Inſiſtit autem ambitus modis pluribus, è quibus vnum eſt ſecuta Aſia maxime, qui Dichoreus vocatur, quum duo extremi chorei ſunt, id eſt è ſingulis longis, & breuibus. Explanandum eſt enim, quod ab aliis iidem pedes aliis nominantur vocabulis Dichoreus non eſt ille quidem ſua ſponte vitioſus in clauſulis: ſed in orationis numero nihil eſt tam vitioſum, quàm ſi ſemper eſt idem. Cadit autẽ per ſe ille ipſe præclare, quo etiã ſatietas formidãda eſt magis. Me ſtante C. Carbo C. F. trib. ple. in concione dixit his verbis, O M. Druſe, patrẽ appello. Hæc quidẽ duo binis pedibus inciſim. dein mẽbratim, Tu dicere ſolebas, ſacrã eſſe rẽp. hæc itẽ mẽbra ternis. poſt ãbitus,

quicunq; eã violaſſent, ab omnibus eſſe ei pœnas perſolutas. Diochoreus. nihil enim ad rem, extrema illa longa ſit, an breuis. Deinde, Patris dictum ſapiens, temeritas filii comprobauit. Hoc Dichoreo tantus clamor concionis excitatus eſt, vt admirabile eſſet. Quæro, nónne id numerus effecerit? verborum ordinem immuta, fac ſic, Comprobauit filii temeritas. iam nihil erit, etſi temeritas ex tribus breuibus, & longa eſt, quẽ Ariſtoteles vt optimum probat, à quo diſſentio. At eadem verba, eadem ſententia. animo iſtuc ſatis eſt, auribus non ſatis. Sed id crebrius fieri non oportet. Primum enim numerus agnoſcitur. deinde ſatiat. poſtea cognita facilitate, contemnitur. Sed ſunt clauſulæ plures, quæ numeroſe, & iucunde cadant. Nam & creticus qui eſt è longa, & breui & longa: & eius æqualis Pæan, qui ſpatio par eſt, ſyllaba longior, quàm commodiſſime putatur in ſolutam orationem illigari, cum ſit duplex. nam aut è longa, & tribus breuibus, qui numerus in primo viget, iacet in extremo, aut totidem breuibus, & longa, in quem optime cadere cenſent veteres, ego non plane reiicio, ſed alios antepono.

Quo loco numeroſa period⁹ adhiberetur, & quandiu retinenda eſſet, explanauit. Tertium eſt de mutatione comprehenſionũ atq; concluſionum. Comprehenſio totam periodum amplectitur, quæ quum recipiat numeros, aut celeres, aut tardos, aut temperatos, neceſſe eſt eam tribus modis immutari. Incitatã breuib⁹ ſyllabis contentiones, id eſt amplificatationes & acriores loci requirunt. Proceram tardámque pluribus longis, accipiũt narrationes. Amplificantis eſt celeritate ferri ad animos commouendos. Exponentis autem ſenſim progredi, lentéque res inculcare, Concluſio finem tantum conſtituit, non vniuerſam circunſcriptionem, alia eſt igitur cõprehenſio, alia concluſio. Inſiſtit, id eſt, clauditur & quieſcit ambitus modis pluribus q̃ fluit

ā primo comprehēſio.Claudunt orationem pedes omnes. ſed frequentiores ſunt in fine,qui numerantur ab eo,Dichoreus,Creticus,Pæan,dactyl⁹,Dochimus,Iamb⁹,Spondeus,Choreus,Trochęus.Aſiani rhetores,vt Hierocles & Menecles,de quibus paulò infra,omnia fere concludebant vno modo, dichoreum ſequebantur.In dichoreo duo ſunt chorei ex ſingulis longis & breuibus,vt temperauit,candidatus.Choreum vocant nomine trochęi,vnde non ab re monet eoſdem pedes alijs nominari vocabulis. Sic pyrrhichi⁹ periambus dicitur,Spondeus pōtificius, Bacchius oenotrius, Creticus amphimacer.Dichoreus non eſt ſua ſponte ſuàque natura vitioſus in clauſulis,Sed in numero vitioſum maxime,quod ſemper eſt idem.Et quo quæque res , vt in cibis,eſt dulcior,hoc magis repetita ſatietatem parit . Quam præclare cadat dichoreus oſtendit C.Carbonis exemplo.O Marce Druſe,Patrē appello:Tu dicere ſolebas ſacram eſſe remp. quicunque eā violauiſſent,ab omnibus eſſe ei pœnas perſolutas.Patris dictum ſapiens, temeritas filij comprobauit.O Marce Druſe,inciſum eſt ex antibacchio & choreo,vel ſpondeo & amphibracho,nihil enim refert,in quo inciſo,neque ſenſus , neque numerus expletus eſt,Etſi Quintilianus inciſum definit ſenſum non expleto numero concluſum.Patrem appello, Alterum eſt inciſum ex anapæſto & ſpondeo, Nam verbum, Patrem,ſi nō elidit,ſecundam ſyllabam corripit , vt priorem. Tu dicere ſolebas, membrum inciſo quidem perfectius , Imperfectum tamen,& quod abruptū à corpore, nihil per ſe efficiat:In eo tres pedes,ſpondeus, tribrachus,ſpondeus.Sacram eſſe rempublicam,alterum membrum ex anapæſto,iambo,dactylo. Quicunque eam violauiſſent , ab omnibus eſſe ei pœnas perſolutas,Ambitus eſt, cuius pedes,quia multi ſunt, numerari non debent,ſatis eſt extremum notaſſe,reliquos auribus ęſtimaſſe,nō ꝙ arduum ſit eos numero comprehēdere,ſed ꝙ nihil expediat,ſi modo orationis curſum,neque celeriorem,neque tardiorem,neque claudicantem, neque anguſtum,neque redundantem cognoueris.Vbi periodon ex duob⁹ inciſis, duobus membris,& ſententia longiore perfecit,addit ſentētiam veluti ſuperiorum abſolutionem.Patris dictum ſapiens,temeritas filij comprobauit, cuius etiam pedes in ſummam referre,nihil eſt neceſſe. De Carbone in Bruto Cicero.In eodem igitur numero eiuſdem ætatis C.Carbo fuit, illius eloquentiſſimi viri filius non ſatis acutus Orator,ſed tamen Orator numeratus eſt. Erat in verbis grauitas,& facile dicebat, & authoritatem naturalem quandam habebat oratio.In eodem libro,de vtroque Marco Druſo facit mentionem.Fili⁹ poſteaquam leges agrarias tulit,bellúmque ſociale mouit , domi necat⁹ eſt.Dicet aliquis,Concio ad clamorem mota eſt , bonitate ſententiæ,non vnius pedis ſuauitate. Mouit quidē ſmpræclara ſententia, ſed & numer⁹ commouit.Occurrit igitur & immutat numerum ſeruatis ijſdem verbis,ſeruata eadem ſententia.Patris dictum ſapiens,comprobauit filij temeritas. Nihil eſt, inquit , Nullam vim retinet, alioqui robuſta ſententia.Animo quidem iſtud ſatis eſt ad intelligendum,auribus ſatis ad probandum , Vnde

colligit pæana, quem probat Ariſtoteles, vt ſuprà demonſtrauimus, non ſemper optimum videri. Nam, temeritas, quartus eſt pæan ex tribus breuibus & longa. alia eſt clauſula quam facit Creticus, qui vocatur amphimacer, vt, Neminem mihi neceſſe eſt nominare, voſmet vobiſcum recordamini. Is Creticus pæana ſpacio & temporibus æquat, vterque quinque temporũ eſt. Pæan, vt alij volunt quadruplex, vt Cicero duplex, quia ſecundũ tertiũq; pæana refert ad alios pedes. Quintilianus ea de re ſcribit in hunc modum, Claudit pæan qui eſt ex choreo & pyrrhichio, quem aptum initijs putant. vel contrà, qui êſt ex trib⁹ breuib⁹ & longa, cui clauſulam aſſignãt, de quibus fere duobus ſcriptores huius artis loquuntur. Alios omnes quotquot ſunt temporum, qui ad orationem pertineant, pæanas appellant. Primus orationis initio viget, vt Quintus igitur Ligarius, quum eſſet adhuc nulla belli ſuſpitio, legatus in Africam cum Conſ. C. Conſidio profectus eſt. Idem iacet in extremo, nec enim breues orationem ſuſtinere poſſunt, vt ibidem, Atque ille non mediocri cupiditate arripuit imperium. Pæan quartus ex tribus breuibus & longa, tametſi peſſimus non eſt, tamẽ in fine leuis eſt, vt in capiendo conſilio tarditas, in exequendo probanda celeritas. In hac parte Quintilianus ſæuit, qui tranſferens hunc locum, furtúmque diſſimulans cenſura graui ſubſcribit in antiquos. Non me capit, vt à magnis viris diſſentiã, Pæan qui eſt ex trib⁹ breuib⁹ & lõga, Nã eſt ipſe vna plus breui anapæſto, facilitas, agilitas, quod quid ita placuerit ijs, non video, niſi ꝙ illũ fere probauerint, quibus loquendi magis quàm orandi ſtudium fuit.

Ne ſpõdeus quidẽ funditus eſt repudiãdus: etſi quòd 88
eſt è lõgis duabus, hebetior videtur, & tardior, habet tamẽ ſtabilẽ quẽdam & non expertem dignitatis gradũ. In inciſionibus vero multo magis, & in membris. paucitatem enim pedum, grauitatis ſuæ tarditate compenſat. Sed hos cum in clauſulis pedes nomino, non loquor de vno pede extremo, adiungo, quod minimũ ſit, proximum ſuperiorem, ſæpe etiam tertium, ne iãbus quidem, qui eſt è breui, & longa: aut trochæus, qui habet treis breues, ſed ſpatio par nõ ſyllabis: aut etiam dactylus, qui eſt è longa & duabus breuibus, ſi eſt proximus à poſtremo, parum volubiliter peruenit ad extremum, ſi eſt extremus trochæus, aut ſpondeus. nunquam enim

intereſt vter ſit eorum in pede extremo . Sed iidem hi
tres pedes,male concludunt,ſi quis eorum in extremo
locatus eſt, niſi cum pro cretico poſtremus eſt dactylus:
nihil enim intereſt dactylus ſit extremus , an creticus:
quia poſtrema ſyllaba breuis an longa ſit , ne in verſu
quidem refert . Quare etiam Pæana qui dixit aptio-
rem,in quo eſſet longa poſtrema,vidit parum,quoniam
nihil ad rem eſt , poſtrema quàm longa ſit . Iam Pæan,
quòd plures habeat ſyllabas quam treis , numerus à
quibuſdã,nõ pes habetur. Eſt quidem,vt inter omneis
cõſtat antiquos,Ariſtotelem,Theophraſtum, Theode-
ctem,Ephorum, vnus aptiſſimus orationi vel orienti,
vel mediæ,putant illi etiam cadenti , quo loco mihi vi-
detur aptior creticus.Dochimus autem è quinque ſyl-
labis,breui,duabus longis ,breui, longa , vt eſt hoc, A-
micos tenes : quouis loco aptus eſt , dum ſemel po-
natur : iteratus , aut continuatus numerum apertum,
& nimis inſignem facit. His igitur tot commutationi-
bus , támque variis ſi vtemur,nec deprehendetur ma-
nifeſto, quid à nobis de induſtria fiat, & occurretur ſa-
tietati.

Spondeus etſi tardior,& quodammodo hebetior putatur,non eſt tamẽ
funditus & omnino repudiandus. Habet enim ſtabilem quendam gradum
& plenam dignitatis cõſtantiam , vt Animaduerti iudices omnem accuſato-
ris orationem in duas diuiſam eſſe partes.Laudatur in inciſionibus & mẽ-
bris,quæ non ita multis pedibus conſtant,quia pedum paucitatem grauita-
tis ſuæ tarditate compenſat , vt , Non venit in mentem primam orationem
Stratonis conſcribere de furto,pòſt, aliquid adiungere dictum de veneno,
quod non percontatione quæſitũ,ſed dolore expreſſum videretur. Quẽad-
modum nominamus extremum pedem in clauſulis, ita proximum ſuperio-
rem,

rem,hoc eſt à fine ſecundum numerare poſſumus,aut etiam tertium,ſi parui ſunt pedes. Quanuis enim bonus ſit extremus, tamen inepte cadet oratio,ſi durius ad illum peruenias. Cur potius duos aut treis numeramus ad finem? quia numerus in extremis optime collocaī,vbi intelligenter auditur,in orationis curſu parū attenditur,ſi modo nō claudicet oratio,Deinde frequenter ex tēpore dicendū eſt.Extemporalem facultatē remoretur enumeratio pedū ſingulorū.Iambus ex breui & longa,ſi eſt extremus choreus, aut ſpondeus volubiliter peruenit ad extremū, vt Vltus eſt hui' victoriç crudelitatē,poſtea Sylla.In eodē loco volubilis eſt trochęus,quē tribrachū vocāt. Terētian', Nam ſolet longam trochęus ſoluere in duas breues,vnde & appellant trochæum,quem vocamus tribrachyn.Tale eſt,Brute dubitaui, quòd ægre Fabius admittit. Is habet treis breues,eſtque par choreo ſpacio trium temporum non ſyllabis,vt Neque enim turpis mors forti viro poteſt accidere,neq; immatura conſulari,nec miſera ſapienti.Eodem in loco dactylus ſi ponitur, finis eſt heroici,vitandus igitur niſi breuis antecedat. In eandem ſententiam Quintilianus deſcēdit.Ne dactylus quidem ſpondeo bene præponitur, quia finem verſus damnamus in fine orationis.Cicero tamen aliquoties vſurpat, vel antecedente breui ſyllaba, vel interrogatione facta, quæ ſuſtineat orationem,vt Quid hoc tempore Quintio ſtatuendū eſt? Volubilis eſt igitur,vt affirmat Cicero,ſed alia ratione vitādus.Iidem tres pedes iambus,trochęus, dactylus,male concludunt orationem,niſi pro anapæſto trochæus,pro cretico,dactylus collocatur: vt, Seruius hic nobiſcum, hanc vrbanam militiam reſpondendi,ſcribendi,cauendi,plenam ſolicitudinis ac ſtomachi ſecutus eſt, Ius ciuile didicit,multum vigilauit,laborauit,præſto multis fuit, multorum ſtultitiam perpeſſus eſt, arrogantiam pertulit, difficultatem exorbuit, vixit ad aliorum arbitrium,non ad ſuum. Hic eſt quod tibi forte negocium faceſſat,Cur enim Fabius magni referre putat extremàne ſit an longa, Cicero nihil intereſſe arbitratur? Deinde,ſi nihil intereſt, cum ſit iambus in cretico, cur male iambus concludit,optime creticus? dicito ad aurium ſonum magni referre breuis an longa ſit extrema, ad quantitatem nihil intereſſe: iambum leuem per ſe male concludere,creticum grauem ſine alterius adiumento cadere præclare.Cur à quibuſdam pæan numerus non pes habetur? quia pedes omneis intra ſyllabas treis cōcludunt,pæan in quatuor excedit, duobus itaq; pedibus cōſtat,duo pedes etiā verſum interdū faciūt monometrū. Numerum igitur efficiunt,quoniā verſus omnis eſt numerus.Pęana quē probat Ariſtoteles antè dictū eſt eſſe duplicē,vnū vigere principijs, iacere in extremis,alterū non peſſime quidem terminare clauſulā, ſed melioribus præponi non oportere.Dochimus ex iambo & cretico,vel bacchio & iambo,vt reipublicæ,pes eſt inſignis ac Ciceroni frequens, illū nec iterandum,nec continuandū cenſet,propterea ꝙ numerū apertū & nimis inſignē facit, q̄q̄ grāde flagitium nō eſt,aut iterum,aut ſępius collocaſſe,vt Vtile eſt viros integros, bona mente præditos præfici reipublicæ,

FF

89 Et quia non numero ſolum numeroſa oratio, ſed & compoſitione fit & genere, quod antè dictum eſt, concinnitatis compoſitione poteſt intelligi, cum ita ſtructa verba ſunt, vt numerus non quæſitus, ſed ipſe ſecutus eſſe videatur. vt apud Craſſum, Nam vbi lubido dominatur, innocentiæ leue præſidium eſt. Ordo enim verborum efficit numerum, ſine vlla aperta oratoris induſtria. Itaque ſi quæ veteres illi, Herodotum dico, & Thucydidem, totámque eam ætatem, apte, numeroſeque dixerunt, ea non numero quæſito, ſed verborum collocatione ceciderunt. Formæ verò quædã ſunt orationis, in quibus ea concinnitas ineſt, vt ſequatur numerus neceſſario. Nam, cum aut par pari refertur, aut contrarium contrario opponitur, aut quæ ſimiliter cadunt verba verbis comparantur, quicquid ita concluditur, plerunque fit, vt numeroſe cadat: quo de genere cum exemplis ſuprà diximus, vt hæc quoque copia facultatem afferat, non ſemper eodem modo deſinendi. nec tamen hæc ita ſunt arcta, & aſtricta, vt ea quũ velimus laxare, nequeamus. Multum intereſt vtrum numeroſa ſit, id eſt ſimilis numerorum, an plane è numeris conſtet oratio: alterum ſi fit, intolerabile vitium eſt: alterũ niſi fit, diſſipata, & inculta, & fluẽs eſt oratio. Sed quoniam non modo non frequenter, verumetiam raro in veris cauſſis, aut forenſibus circunſcripte, numeroſeque dicendum eſt, ſequi videtur, vt videamus, quæ ſint illa quæ ſuprà dixi inciſa, quæ membra. Hæc enim in veris cauſſis maximam partem orationis obtinẽt. Con-

ſtat enim ille ambitus,& plena compreheſio è quatuor fere partibus,quæ mēbra dicimus, vt & aures impleat, & ne breuior ſit quàm ſatis ſit, neque longior : quanquã vtrunque nonnunquam,vel potius ſæpe accidit, vt aut citius inſiſtendum ſit, aut longius procedendum, ne breuitas defraudaſſe aureis videatur, néve longitudo obtudiſſe. Sed habeo mediocritatis rationem. nec enim loquor de verſu, & eſt liberior aliquanto oratio. E quatuor igitur, quaſi hexametrorum inſtar uerſuum quod ſit, conſtat fere plena comprehenſio. His igitur ſingulis uerſibus quaſi nodi apparent continuationis, quos in ambitu coniungimus.

Commutatione numerorum pedúmque, diſſimulatur ars & occurritur ſatietati,quam gignit ſimilitudo. Duo ſunt alia genera cõmutandi,iam ſæpe demonſtrata:alterum verborum compoſitionem,alterum concinnitatem ſequitur. Compoſitio ſtructura verborum eſt, quæ ſic vocalium concurſiones diſſonáſque voces effugit,vt iunctura leuis trãſmittat vnguem,hoc eſt orationis volubilitatem non impediat,vt apud illum Craſſum quem tantopere Cicero commendat. Nam vbi lubido dominatur,innocentiæ leue prçſidium eſt. Quod exemplum,non eo Cicero proponit,quod nullum recipiat vocalium concurſum, nulláſque voces aſperas, aliter enim res eſt, ſed quód metuens committere duas vocales,e & i,leue innocentiæ, cecidit in concluſionem pentametri verſus,innocentiæ leue præſidium eſt,vnde vult effici Tullius numerum iuuari compoſitione. Sic ante numerum repertum veteres, vt Herodotus & Thucydides ſtudio coagmentandi iungendique verba perſçpe apte numeroſeque dixerunt. Tertium commutandi genus eſt ex genere verborum,ſine forma quadam orationis,ſine figura,ſine cõcinnitate:hæc enim ſunt eiuſdem rei multa verba. Figuræ ſunt ſua ſponte numeroſæ quatuor, Par pari relatum, Contraria oppoſita & repugnantia, Similiter cadentia, Similiter deſinentia : quæ facultatem afferunt non ſemper eodem modo deſinendi. Præter illa tria genera commutandi,quarta quædam varietas adhibebitur,ſi non ſemper oratione arcta & aſtricta numeris, vtemur, ſed aliquando veluti negligentes, Hoc vinculum ſoluemus, melius eſt orationem ſimilem eſſe numerorum,quàm totam conſtare numeris. Quæ tota numeris conſtat,quodammodo verſus eſt, quod in oratione intolerabile vitiũ eſt.

Quæ autem eſt numero ſimilis, efficitne ſoluta vinculis,ne ornatu deſtituta, ne ſine modo fluens videatur oratio.In numeroſo obſeruantur omnes particulæ.In numero temperato ſolum principes.Numeroſum perraro cadit in veras cauſſas ac forenſes.Sæpe cadit in fictas,vt in declamationes , vt in exornationes,vt in egreſſiones,vt in cõmunes locos. Nam quemadmodũ miles in ludicro certamine,vario membrorum flexu , & armorum decora vibratione quærit voluptatem,In prælio poſtpoſita voluptate,vitam ſuam ſalutémque defendit , Sic orator in ſecuritate cauſſarum , & in oſtentatatione geſtit,in veritate controuerſiarũ ſaluti,q̃ voluptati mauult conſulere.Quod vt cõmode faciat,relicta numeroſa periodo,ſe ſubinde cõuertit ad inciſa, & membra quæ dicuntur,ꝙ ea ſint expeditiora,minúſque ſuſpecta, q̃ modificata circunſcriptio . Inciſa igitur & membra ſunt partes comprehenſionis , Quãobrem docet,quot partes recipiat illa cõprehenſio, vt quãdo volemus, vel coniungere,vel ſeparare poſſimus. Periodus aliquando ſimplex eſt,quũ vna producta eſt ſententia,vt Animaduerti iudices omnem accuſatoris orationem in duas diuiſam eſſe partes,de qua Cicero non agit.Cõpoſita periodus duas habet minimũ partes.Coniungit interim aut treis,aut quatuor,aut plures.Mediocris autẽ,vt aures impleat,& ne breuior ſit q̃ par eſt,néve longior,quatuor quaſi hexametrorũ inſtar verſuum partibus cõſtat.In ſingulis partibus nodi apparent,& quaſi articuli,quibus a membro membrũ diuiditur,vt,Eſt hoc in more poſitũ Quirites,inſtitutoq́ maiorũ,vt ij qui beneficio veſtro imagines familiæ ſuæ conſecuti ſunt,eam primam habeant concionẽ, qua gratiã beneficij veſtri cum ſuorũ laude coniungant . Multo plures ſunt apud eum ex tribus membris,multæ ex duobus,multæ aut ex quinq;,aut ex ſex,aut pluribus membris curtioribus.Exempla reperire facile eſt.

90 Sin membratim volumus dicere , inſiſtimus,idq́; cũ opus eſt,ab iſto curſu inuidioſo facilè nos,& ſæpe diſiũgimus Sed nihil tã debet eſſe numeroſum,q̃ hoc, quod minime apparet,& valet plurimũ.Ex hoc genere illud eſt Craſſi,Miſſos faciant patronos,ipſi prodeãt . Niſi interuallo dixiſſet,ipſi prodeãt,ſenſiſſet profecto effugiſſe ſenariũ.omnino melius caderet,prodeãt ipſi: ſed de genere nũc diſputo.Cur clãdeſtinis cõſiliis nos oppugnãt? cur de perfugis noſtris copias cõparant contra nos? Prima ſunt illa duo,quæ κόμματα Græci vocãt,nos inciſa dicimus:deinde tertiũ κῶλον illi,nos membrum . Sequitur

nõ longa,ex duobus enim verſibus,id eſt mẽbris perfe-ćta cõprehẽſio eſt:& in ſpõdeos cadit. & Craſſus quidẽ ſic plerunq; dicebat,idq; ipſe genus dicẽdi maxime probo.ſed quæ inciſim,aut mẽbratim efferũtur,ea vel aptiſſime cadere debẽt.vt eſt apud me, Domus tibi deerat? at habebas. pecunia ſuperabat?at egebas. hæc inciſe dićta ſunt quatuor. At membratim quæ ſequuntur duo, Incuriſti amens in columnas:in alienos inſanus inſaniſti. Deinde omnia tanquam crepidine quadam comprehenſione longiore ſuſtinentur, Depreſſam, cæcam, iacentem domum pluris, quàm te, & quàm fortunas tuas æſtimaſti. dichoreo finitur, at diſpondeo proximũ illud. Nam in iis,quibus vt pugiunculis vti oportet, breuitas facit ipſa liberiores pedes. Sæpe enim ſingulis vtendum eſt, plerunque binis: & vtriſque addi pedis pars poteſt,non fere ternis amplius. Inciſim autem, & membratim traćtata oratio in veris cauſſis plurimum valet,maximéque his locis,cum aut arguas, aut refellas: vt noſtra in Coneliana ſecũda,O callidos homines,ô rẽ excogitatam, ô ingenia metuenda.membratim adhuc: deĩde cæſim(Diximus)Rurſus membratim,Teſtes dare volumus. Extrema ſequitur comprehenſio, ſed ex duobus membris, qua non poteſt eſſe breuior, Quem quaſi noſtrum fefellit,ita vos eſſe faćturos? Nec vllum genus eſt dicendi aut melius,aut fortius, binis aut ternis ferire verbis,nonnũquam ſingulis, paulò aliâs pluribus:inter quas variis clauſulis interponit ſe raro numeroſa comprehenſio: quam peruerſe fugiens Hegeſias, dum ille quoque imitari Lyſiam vult alterũ pene

Demoſthenem,ſaltat, incidens particulas, & is quidem non minus ſententiis peccat,quàm verbis:vt non quærat quem appellet ineptum,qui illum cognouerit. Sed ego illa Craſſi, & noſtra poſui, vt qui vellet, auribus ipſis,quid numeroſum etiã in minimis particulis orationis eſſet,iudicaret.

Quemadmodum membra in ambitu coniunguntur, ita ſingula per ſe collocari poſſunt,quod quum fit,tum membratim dicitur. Sicut autẽ periodos ab initio per interualla fertur ad extremum,ita mẽbra ſubinde quieſcẽte ſpiritu inſiſtunt quaſi figunt pedem, interrumpunt curſum, crebro feriunt, minutam & aſperam ſæpe reddunt orationem. Vtendum membris erit quum volemus ab illo curſu deſiſtere, qui continuatus inuidiam oranti mouere poteſt. Membra curſu illo productiore carent, numero non carent. Nam quanto breuiora ſunt, tanto diligentius & coagmentatione iuncturæ, & concinnitate figuræ & pedum ſtabilitate firmantur, & quod in illis minime numerus apparet,eo tuti' vincieturr. Proponit exẽplũ Craſſi veterũ principis in arte dicẽdi.Miſſos faciant patronos,ipſi prodeãt.Cur clãdeſtinis conſiliis nos oppugnant? Cur de perfugis noſtris copias comparant contra nos? duo ſunt inciſa tam compoſita,vt iambicum trimetrum faciant,Miſſos faciant patronos,ipſi prodeant.Suſtinendus in prioris extremo ſpiritus, ne verſus appareat, ad quem vitandum Cicero lubentius diceret. Prodeant ipſi.Eodem modo membrum tam compoſitum eſt, vt trimetrum ſcazon efficiat,Cur clandeſtinis conſilijs nos oppugnant. Secundum membrum redigi poteſt in octonarium trochaicum ſcazon.quæ cauſſa Ciceroni fuit exempli citandi, qui præcepiſſet, nihil tam numeroſum eſſe oportere, quàm quod minime apparet,Id videbat imprudenti Craſſo accidiſſe ſtudio componendi.Quod autem ex duobus verſibus,id eſt, membris, perfectam ſtatuit comprehenſionem,tãtum refert ad illud,Cur de perfugis noſtris copias comparant contra nos? quod etſi videtur ſimplex, tamen habet vim duorũ.Copias cõparãt cõtra nos,& de pfugis noſtris comparãt.Sũt duo ſpõdei in eo,Cõparãt cõtra nos,Cur,inquies,illa inciſa,hæc membra ſunt? quia mẽbra quę vocãt oratores,ſenſu pleniora ſunt ac numero,Inciſa vtroq; imperfectiora. Quid eſt quod ait ſe de genere nunc diſputare? de toto genere inciſorũ atq; mẽbrorũ,nõ de ſingulis eorũ pedib' diſputare ſe monet, nã ſi velit explorare ſingulos alios pedes,apti' ponat.ſed hoc omittit. Quæ inciſim aut mẽbratim efferũt,ea vel aptiſſime cadere debẽt,ſignificat illos Craſſi fines ineptius cadere,quia longis ſyllabis torpeſcunt, probat quidem vniuerſam periodum viri,ſed non item particulas. Addit exemplum domeſti-

cum ex oratione quæ non extat pro Scauro credo, cui Triarius accuſator, vt eſt apud Aſconium, pro vitio obijcit, hominem pauperem habere domũ tum rebus aliis, tum maxime columnis quatuor magnificam. Quapropter Cicero patronus retorquere ſimile crimen in aduerſariũ potuit. Dom⁹ tibi deerat? at habebas. Pecunia ſuperabat? at egebas. Incurriſti amens in columnas, in alienos inſanus inſaniiſti. Depreſſam, cæcam, iacentem domum, pluris quàm te & quam fortunas tuas æſtimaſti. Hic inciſa quatuor, membra duo, deinde comprehenſio. Ex inciſis, primum & tertium definit in choreum, aut in ſpodeum. Deerat enim dyſſyllabum profertur. Singula reliquorum bacchios habent ſingulos. Idem bacchius eſt in fine membri prioris, diſpondeus ſequentis, dichoreus in extrema comprehenſione quæ crepidini comparat, quia nõ ſecus ac crepido inſtabiles & fluctuãtes particulas firmat. Eſt enim crepido, vel ſaxum, vel moles edita, cuius obiectu inſtabile quippiam vt arena & aqua firmatur. Sunt alia breuiora ex ſingulis pedibus, aut binis, aut etiam ternis, quibus vt pugiunculis vti oportet. Pungunt enim crebroq; feriunt, ideòque plurimum valent, quum vehementer aut arguas, aut refellas. In illis breuitas facit ipſa liberiores pedes. Etenim minus libere incedunt qui quum multis iuncti, & antecedentibus, & inſequentibus inſeruiunt. Ponit exemplum ex oratione ſecunda pro Cornelio maieſtatis reo, quem vbi quatriduo defendit, ſuas actiones in duas orationes quæ nunc deſiderãtur, contulit. O callidos homines, O rem excogitatam, O ingenia metuenda. Diximus. Teſtes dare volum⁹. Quem quæſo noſtrum fefellit ita vos eſſe facturos? tria ſunt membra ex binis triniſve pedibus, O callidos homines, ô rem excogitatam, ô ingenia metuenda. Dico ex binis terniſve pedibus, quia licet ſumere vel dyſſyllabos minores, vel triſyllabos ampliores. Si pedes aſſumas trium ſyllabarum, O callidos homines, erit membrum ex duob⁹ pedibus & parte vni⁹, quod fieri poſſe confirmat. Sequitur inciſum pedis vni⁹ (Dixim⁹) deinde membrum ex ſpondeo, trybracho, iambo, vel pirrichio, Teſtes dare volumus. Tandem comprehenſio breuis, ex duobus membris. Quem quæſo noſtrum fefellit ita vos eſſe facturos? Forte nõ vides hic eſſe duo membra. Diſſolue, Reperies, id feciſtis, & neminem noſtrum fefellit. Quum ergo inter membratimve dicimus inter particulas, varijs clauſulis interponi iſſe raro numeroſa comprehenſio. Nam ſi nulla interponitur, conciſa & minuta falſitat oratio, crebròque pulſu tandem obtundit aures, qualem plerunque Seneca inepte continuat. Si frequens inſeritur, tollit impetum, propter quem inciſa & membra permulta coniungimus. Eſt igitur interponenda, ſed raro. Variandę ſunt eius clauſulæ, vt aliquando breuius inſiſtat, aliquando longius exporrigatur. vtamur exemplo, Nubit genero ſocrus, nullis auſpicijs, nullis authoribus, funeſtis ominibus omnium. O mulieris incredibile ſcelus, & præter hanc vnam in omni vita inauditum. Hoc membrum tertium longius eſt, vt inciſa firmetur oratio. O libidinem effrenatã & indomitam, O audaciam ſingularem, Iam interponit comprehenſionem,

non timuiſſe ſi min' vim deorum hominúmque famam, at illam ipſam noctem facéſque illas nuptiales? Redit ad inciſa. Non limen cubiculi? non cubile filiæ? non parietes denique ipſos ſuperiorum teſtes nuptiarũ? Hoc poſtremum fulcit illa duo ſuperiora, Déinde rem totam plenius abſoluit. Perfregit, ac proſtrauit omnia cupiditate, ac furore, vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Hoc optimum fortiſſimúmque dicendi genus, quod artifex optim' optime nouit. Arguit Hegeſiam Oratorem; qui quum vellet imitari Lyſiam tenuem quidem Oratorem, ſed bonum, & ſubtilitate dicendi Demoſtheni pene comparandum, decurtatis vtebatur inciſis, ſaltabat minutis particulis, nec vnquam interponebat numeroſam comprehenſionẽ. Habet igit quẽ appellet ineptũ, qui illũ cognouerit. Quis ineptior eſt quàm qui nõ modo genere dicendi, ſed & ſentẽtijs peccat? Alius fuit Hegeſias philoſophus Cyrenaicus, de quo Cicero prima Tuſculana, verum ſi quærim', hoc quidem miſeram eſſe vitam, à Cyrenaico Hegeſia ſic copioſe diſputat, vt is à rege Ptolemæo prohibitus eſſe dicatur illa in ſcholis dicere, quod multi is auditis mortem ſibi ipſi cõſciſcerent. De Hegeſia Oratore idẽ in Bruto. At Chariſij vult Hegeſias eſſe ſimilis, Iſque ſe ita putat Atticum, vt viros illos præ ſe pene agreſteis putet. At quid eſt tam fractum? tam minutũ, tam in ipſa, quam tamen conſequitur, concinnitate puerile?

91 Et quoniam plura de numeroſa oratione diximus, quàm quiſquã ante nos: nũc de eius generis vtilitate dicemus. Nihil enim eſt aliud Brute (quod quidem tu minime omnium ignoras) pulchre, & oratorie dicere, niſi optimis ſententiis, verbiſque lectiſſimis dicere. Et nec ſententia vlla eſt, quæ fructum oratori ferat, niſi apte expoſita, atque abſolute: nec verborum lumen apparet, niſi diligẽter collocatorum: & horũ vtrũque numerus illuſtrat. numerus autem (ſæpe enim hoc teſtãdũ eſt) non modo non poetice iunctus, verum etiam fugiens illum, eíque omnium diſſimillimus: non quin iidem ſunt numeri non modo oratorum, & poetarum, verum omnino loquentium, denique etiam ſonantium omnium, quæ metiri auribus poſſumus: ſed ordo pedum

dum facit, vt id quod pronunciatur, aut orationis, aut poēmatis ſimile videatur. Hanc igitur ſiue compoſitionem, ſiue perfectionem, ſiue numerum vocari placet: & adhibere neceſſe eſt, ſi ornate velis dicere: nō ſolum, quod ait Ariſtoteles, & Theophraſtus, ne infinite feratur vt flumen oratio, quæ non aut ſpiritu pronunciantis, aut interductu librarii, ſed numero coacta debet inſiſtere: verumetiam quòd multo maiorem habent apta vim, quàm ſoluta. Vt enī athletas, nec multò ſecus gladiatores videmus nihil nec vitando facere caute, nec petendo vehementer, in quo non motus hic habeat palæſtram quandam: vt quicquid in his rebus fiat vtiliter ad pugnam, idem ad aſpectum etiam ſit venuſtum: ſic oratio nec plagam grauem facit, niſi petitio fuerit apta: nec ſatis tecte declinat impetum, niſi etiam in cedēdo, quid deceat, intelligit. Itaque qualis eorum motus, quos ἀπαλαίστρους Græci vocāt, talis horum mihi videtur oratio, qui non claudunt numeris ſententias.

Quæ generis huius eſſet vtilitas antè quæſierat. hic conſtituit, & ſententias, & verba numeris illuſtrari, Oratoris eſſe munus optimis ſententijs verbiſque lectiſſimis vti, Sententias neque vtilitatis, neque gloriæ fructum afferre dicenti, niſi apte exponantur atque abſolute, abſolutionem à numero petendam, deinde verba diligenter collocanda, vt eorum lumen appareat, eo numerum pertinere. Numerum oratorium, numero poëtico diſſimillimum eſſe oportere, ſæpe teſtatus eſt. Numerus ſiue ordo pedum facit, vt id quod proūnciatur, aut orationis, aut poēmatis ſimile videatur. Numeri ſiue pedes ijdem ſunt oratorum & poëtarum, vt antè dictum eſt, ijdem more cotidiano loquentium, quia non poſſunt enunciari duæ ſyllabæ quin efficiant pedem, ijdem ſonantium omnium, id eſt voces indiſtinctas edentium, vt ſi cantites, nullum verbum proferas, erunt tamen percuſſiones aut pares, aut breuiores, aut longiores quæ cadent in pedem. Ergo varietas eſt omnis in collocatione. Collocatio vel eſt compoſitio quædam, vel perfectio & ornatus,

vel numerus oratorius, cuius eſt vſus ne infinite feratur, vt flumen oratio, ne ſit inornata, ne viribus deſtituta. Flumen veluti quodam filo perpetuo continuari perſpicuum eſt. Is tractus continuus infinite ferri dicitur. Diſſimilis eſt periodus quę breui demenſo ſpacio quieſcit, de quo Ariſtoteles rhetoricorum tertio. λέγω δὲ εἰρομένην ἣ οὐδὲν ἔχει τέλος καθ' αὑτήν, ἂν μὴ τὸ πρᾶγμα λεγόμενον τελειωθῇ, ἔστι δὲ ἀηδὴς διὰ τὸ ἄπειρον, τὸ γὰρ τέλος πάντες βούλονται καθορᾶν, διόπερ ἐπὶ τοῖς καμπτῆρσιν ἐκπνέουσι καὶ ἐκλύονται, προορῶντες γὰρ τὸ πέρας οὐ κάμνουσι πρότερον. Tractam periodon dico, quæ per ſe nullum cōſequitur finem, ſed tum demum terminatur, quum ſubiecta res ad exitum peruenit. Eſt hæc inſuauis quoniam infinita, omnes enim finem videre cupiunt. Quamobrem in inclinationibus reſpirant, ac reſoluuntur. Et prouidentes finem in prioribus non laborant. Periodus non ſpiritu pronunciãtis, qui in alijs hominibus breuiſſimus, in alijs productiſſimus eſt, ſed numero collecta debet inſiſtere. Quod ſi ad ſpiritum nōnunquam refertur, tum agitur de mediocritate, non de cuiuſque pronunciantis pulmonibus. Eadem non inſiſtit interductu librarij, id eſt virgula aut puncto, quod figit is qui libros manu ſcribit, nō enim quia punctum eſt, quieſcit ambitus, ſed quia definit comprehenſio, ſignum interducitur. Quod autem numerus orationi ſit ornamento, nemo eſt credo qui dubitet. Quod vires addat, teſtimonio ſunt, qui ferunt aliquando ſententiam tanquam fulmen numero vibrari. Cicero confirmat hac ſimilitudine. Quemadmodum athletarum & gladiatorum palæſtra decenti motu venuſta, & fortius petit, & cautius euitat, Sic oratio inſtituta numero tanquā palæſtra, vehementius accuſat, tectiúſque defendit. Athletas Romæ fuiſſe, qui ſpectaculis & maxime ludis publicis adhiberentur, ſatis eſt notum. Hi aut in ſtadio currunt, aut ſaltu contendunt, aut diſcum iaciunt, aut luctantur, aut cæſtu feriunt. Qui cæſtu pugnóque feriunt, pugiles appellantur. Hi ſicuti gladiatores & impetum declinant aduerſarij, & ictu petunt aduerſarium. Quod vt cōmodius & venuſtius facere poſſint, à campi magiſtris & laniſtis, flexum palæſtrámque diſcunt, flexus ille corporis venuſtus & motus membrorum decens, numerorum pedibus confertur, quia numeri motu, grauior aduerſario plaga incutitur, & eodem, ſi quando aduerſario cedit, tectius ac munitius ſe tuetur orator. Ex contrario oratio numero carens inepte mouetur, & ruſtice veluti imperiti palæſtræ, quorum ſubagreſtis & ineptus eſt geſtus. ἀπαλαίστρους Græci vocant, nulla palæſtra exercitatos. παλαῖστρα græcum eſt, vnde melius deflexeris ἀπαλαίστρους quam quod alij ſcribunt ἀπαλαίστους. Nec ſi intelliges originem verborum, deriuabis à vocabulo παλαιστής, non magis quàm ἀμούσους ἀπὸ τοῦ μουσικοῦ. Reperimus & apud Fabium ἀπαλαίστρους.

92 Tantúmque abeſt, ne quod ii qui hoc aut magiſtrorum inopia, aut ingenii tarditate, aut laboris fuga non

ſunt aſſecuti, ſolent dicere, eneruetur oratio compoſitione verborum: vt aliter in ea nec impetus vllus, nec vis eſſe poſſit. Sed magnam exercitationem res flagitat, ne quid eorum qui genus hoc ſecuti non tenuerũt, ſimile faciamus: ne aut verba traiiciamus aperte, quo melius aut cadat, aut voluatur oratio. quod ſe L. Cælius Antipater in prooemio belli Punici, niſi neceſſario, facturum negat. O virum ſimplicem, qui nos nihil cælat: ſapientem, qui ſeruiendũ neceſſitati putet. ſed hic omnino rudis. Nobis autem in ſcribendo, atque in dicendo neceſſitatis excuſatio non probatur. nihil eſt enim neceſſe: & ſi quid eſſet, id neceſſe tamen non erat confiteri. Et hic quidem, qui hanc à Lælio, ad quem ſcripſit, cui ſe purgat, veniam petit: & vtitur ea traiectione verborum, & nihilo tamen aptius explet, concludítq; ſententias. Apud alios autẽ, & Aſiaticos maxime numero ſeruientes, inculcata reperias inania quædã verba quaſi complementa numerorum. Sunt etiam qui illo vitio, quod ab Heſeſia maxime fluxit, infringendis, cõcidendíſque numeris in quoddam genus abiectum incidant Siculorum ſimillimum. Tertium eſt, in quo fuerũt fratres illi Aſiaticorũ Rhetorum principes Hierocles, & Menecles, minime mea ſententia contemnendi. Etſi enim à forma veritatis, & ab Atticorum regula abſunt, tamen hoc vitium compenſant vel facultate, vel copia. ſed apud eos varietas non erat, quòd omnia fere cõcludebantur vno modo. Quæ vitia qui fugerit, vt neq; verbum ita traiiciat, vt id de induſtria factum intelligatur,

neque inſerciens verba quaſi rimas expleat, nec minutos numeros ſequens concîdat, delumbétq; ſententias, nec ſine vlla commutatione in eodem ſemper verſetur genere numerorum: is omnia fere vitia vitauerit. Nam de laudibus multa diximus, quibus ſunt alia perſpicua vitia contraria.

Poſteaquam numeri virtutes expoſuit, conuerſus ad vitia, caſtigat inſcitiā eorum, qui totam hanc artem repudiāt, & eorum qui numeri cauſſa inepte verba traijciunt, & eorum qui inſerunt inania quædam verba quaſi cōplementa numerorum, & eorum qui minute infringunt numeros, & eorū qui omnia concludunt eodem modo. Hæc vitia quinque ſiquis vitauerit, omnia fere vitia vitauerit. Primi qui cupiebant attici nominari, numerum prorſus ignorarunt, aut magiſtrorum inopia, quod hanc artem Romæ nemo profiteretur, aut ingenij tarditate, quod neq; obſeruare ipſi, neq; è ſcriptis eruere poſſent, aut laboris fuga, q magnam dicendo ſcribendoq; adhibere diligētiam nollent. Ignorantiæ velum prætendūt, dictitantes eneruari orationem cōpoſitione verborū, in quos facit vtilitas illa numerorū, quā ſupra demonſtrauit Secundi numerū ſequuntur, ſed illum neq; tenent, neq; apprehēdunt, quaſi poſteriores rotæ. Quid ergo? Verba traijciunt, id eſt de loco in locū transferūt aperte, quo melius aut cadat, aut voluat oratio, vt ſi dicas, Multa cōmiſit in rempublicā, quam C. Cæſar abrepta libertate vexarat, Antonius. In quo turpius admiſit ille Cœlius antipater in hiſtoria de bello punico, qui vltrò Lęlio pollicetur, id ſe niſi neceſſariò non eſſe facturū: quod quum facit explendæ ſentētiæ cauſſa, ne hoc quidem modo explere poteſt. Ille ſimplex & ſapiens videtur: Simplex, qui nihil cælet: Sapiens, qui ſeruiendum neceſſitati putet. Sed neq; ſimplex eſt, qui quæ caueat enunciando vult à lectoribus cautus videri, neq; ſapiens, qui putet id eſſe neceſſariū, quod omnino ſit liberum, quiq; fateatur id quod nihil ſit neceſſe. Tertij inculcant, id eſt inſerciūt inania quædā verba, quæ nihil omnino ſenſum iuuant, quemadmodū poëtæ Græci interijciunt explementa verſuum γὶ, δὴ, πȣ̃, κὲν, πὼ, μὴν, & id genus multa. Sunt & oratorū expletiuæ particulæ, de quibus non ſolum loquitur, ſed etiā de omni verbo q ad numerū facit, ad ſenſum nihil facit. Quo genere redundantes illi & præpingues Aſiatici abutebātur. Quarti infringūt & cōcidunt numeros, vt Hegeſias ille, de quo paulò antè mētionē fecit. Hij cęſim membratimq; perpetuo dicunt, nulla interpoſita numeroſa comprehenſione. Hoc genus Siculorum ſimillimū dicit, propter eos qui Gorgiā Leontinū ſecuti in minutas particulas ſecuerunt orationem. Quinti ſunt Aſiani fere in quodam tertio loci illius vitio, vt Hierocles & Menecles fratres, non in-

doɫti,quos Cicero vidit & audiuit,in alijs quidem laudandi,in hoc vitupe-
randi, ꝙ omnia concludebant vno modo,vt dichoreo. adde ꝙ recedebant à
forma veritatis,id eſt vero & polito & Attico genere dicẽdi ad luxurioſum
illud & adipale & illiberale genus Aſianorum Epilogo ſuperiora vitia cõ-
prehendit,non ita eſſe traijcienda verba,vt id de induſtria factum intelliga-
tur,non infercienda & inſerenda verba inania ad rimas inanéſque numeros
explendos,non ita concidendas eſſe ſententias vt delumbari, hoc eſt ener-
uari decurtarique videantur,non dènique ſine commutatione pedũ in eodẽ
ſemper genere verſandum.

Quantum autem ſit apte dicere,experiri licet, ſi aut 93
compoſiti oratoris bene ſtructam collocationem diſſol-
uas permutatione verborum : corrumpatur enim tota
res vt & hæc noſtra in Corneliana, & deinceps omnia,
Neque me diuitiæ mouent, quibus omneis Africanos
& Lælios multi venalitii, mercatoréſque ſuperarunt.
Immuta paulùm, vt ſit, Multi ſuperarunt mercatores,
venalitiíque:perierit tota res,& quæ ſequuntur,Neque
veſtis aut cælatum aurum & argentum, quo noſtros
veteres Marcellos, Maximóſque multi Eunuchi è
Syria, AEgyptóque vicerunt. Verba permuta ſic, vt
ſit, Vicerunt Eunuchi è Syria, AEgyptóque. Adde
tertium,Neque vero ornamenta iſta villarum, quibus
L.Paulum & L. Mummium, qui rebus his vrbem, Ita-
liámque omnem referſerunt,ab aliquo video perfacile
Deliaco, aut Syro potuiſſe ſuperari. Fac ita, potuiſſe ſu-
perari ab aliquo Syro, aut Deliaco. vidéſne vt ordine
verborum paulùm commutato, iiſdem verbis ſtante
ſententia,ad nihilum omnia récidant,cum ſint ex aptis
diſſoluta? aut ſi alicuius inconditi arripias diſſipatam
aliquam ſentétiam,eámque ordine verborum paulùm
commutato in quadrũ redigas:efficiatur aptum illud,

quod fuerat antea defluens, ac ſolutum. Age ſume de Gracchi apud cenſores illud, Abeſſe non poteſt, quin eiuſdem hominis ſit probos improbare, qui improbos probet. Quanto aptius, ſi ita dixiſſet, Quin eiuſdem hominis ſit, qui improbos probet, probos improbare?

Si quanta ſit numeri vis, experiri velis, expedict nõ cuiuſque Oratoris, ſed compoſiti numeroſique bene ſtructam collocationem diſſoluere permutatione verborum. Hoc modo intelliges ea quæ numeri dignitate ſunt optima, ſublato numero corrumpi, omnémque ſuam amittere dignitatem. Quod autem nemo veterum fere ſit compoſitus orator, ſua quædam ipſe experiundi gratia diſſoluit. Eligit autem, vt par eſt, ea quę ſententijs & verbis & compoſitione numerorum pulcherrima videntur. Neque me diuitiæ mouẽt, quibus omnes Africanos & Lælios, multi venalitij mercatoréſque ſuperarunt. Neque veſtis aut cælatum aurum & argẽtum, quo noſtros veteres Marcellos maximóſque multi Eunuchi è Syria Aegyptóque vicerunt. Neque vero ornamenta iſta villarum, quibus L. Paulum & Lucium Mummium, qui rebus his vrbem Italiámque omnem referſerũt, ab aliquo video perfacile Deliaco, aut Syro potuiſſe ſuperari. Valent hæc & bonitate ſententiarum, & ſuauitate numerorum. Sed ſi numerum tolles & ſententiæ & verba ad nihilum recident hoc modo, Neque me diuitiæ mouent, quibus omneis Africanos & Lęlios multi ſuperarunt mercatores venalitiique. Neq; veſtis, aut cælatum aurum & argentum, quo noſtros veteres Marcellos Maximoſque multi vicerunt è Syria Aegyptóque. Neque vero ornamenta iſta villarum, quibus L. Paulum, L. Mummium, qui rebus his vrbem Italiãq; omnem referſerunt, video perfacile potuiſſe ſuperari ab aliquo Syro aut Deliaco. Quid ſi reſoluat vniuerſam compoſitionem? omnémque verborum permutet ordinem? quum finibus mutatis decor omnis abſceſſerit? Nõ eſt opus in hac parte proſequi verbis duos Scipiones Africanos ab Africa deuicta nominatos fuiſſe, Lælium ſapientem eſſe dictum, Marcellũ cœpiſſe Syracuſas, Q. Maximum cunctando reſtituiſſe rem, L Paulum in triumphũ duxiſſe Perſeu Macedonum regem, Mummium Corynthum diruiſſe, Summos viros omneis hos fuiſſe, diuitias contempſiſſe, diuitijs honores antepoſuiſſe, hęc oĩb⁹ fere nota ſunt, nec obſcurũ Venalitios appellari vẽditores illos maxime, qui corpora mãcipiorũ reuẽdũt. Eunuchos eſſe euiratos & emaſculatos homines, quos diuites cuſtodiæ cauſſa emere ſolebant, Deliacos & Syros ſeruos emptos è Delo atq; Syria, qui liberti facti perſępe diteſcũt. Nihil iſta faciunt ad numerum, ſed vel bene contextorum diſſolutio, vel male col-

locatorum compoſitio. Vt ſi alicuius inconditi & indigeſti Oratoris arripias diſſipatam nullóque numero contextam ſententiam, eámque ordine verborum paulùm commutato, in quadrum & veluti ſeſſile corp⁹ redigas, efficiatur aptum illud numeroſúmque quod fuerat antè diffluens ac ſolutū. Age ſume ſententiam Gracchi ex oratione, quam habuit apud cenſores. Abeſſe non poteſt, quin eiuſdem hominis ſit probos improbare, qui improbos probet. Redige in quadrum, abeſſe non poteſt quin eiuſdem hominis ſit qui improbos probet, probos improbare. Sentiunt aures, quanto ſit fortior, hoc ordine conſtituta ſententia.

Hoc modo dicere nemo vnquam noluit, nemóque 94 potuit, quin dixerit. Qui autem aliter dixerũt, hoc aſſequi non potuerunt. Ita facti ſunt repente Attici. quaſi vero Trallianus fuerit Demoſthenes, cuius non tam vibrarent fulmina illa, niſi numeris contorta ferrentur. Sed ſi quos magis delectant ſoluta: ſequantur ea. Sane modo ſi quis Phidiæ clypeum diſſoluerit, collocationis vniuerſam ſpeciem ſuſtulerit, non ſingulorum operum venuſtatem: vt in Thucydide, orbem modo orationis deſydero, ornamenta compárent. Iſti autem cum diſſoluunt orationem, in qua nec res, nec verbum vllum eſt, niſi abiectum: non clypeum, ſed vt in prouerbio eſt (etſi humilius dictum eſt, tamen conſimile eſt) ſcopas, vt ita dicam: mihi vidétur diſſoluere. atque vt plane genus hoc, quod ego laudo, contempſiſſe videantur: aut ſcribant aliquid vel Iſocrateo more, vel quo AEſchines, aut Demoſthenes vtitur: tum illos exiſtimabo non deſperatione reformidauiſſe genus hoc, ſed iudicio refugiſſe: aut reperiam, ipſa eadem conditione qui vti velit, vt aut dicat, aut ſcribat, vtra voles lingua eo genere quo illi volunt. Facilius eſt enim apta diſſoluere, quàm diſſipata connectere. Res autem ſe ſic

habet(vt breuiſſime dicam quod ſentio)compoſite, & apte ſine ſententiis dicere inſania eſt: ſententioſe autem ſine verborum & ordine,& modo,infantia.ſed eiuſmodi tamen infantia,vt ea qui vtantur,non ſtulti homines haberi poſſint,etiam plerunque prudentes: quo qui eſt contentus,vtatur.Eloquens vero, qui non approbationes ſolum,ſed admirationes,clamores,plauſus, ſi liceat, mouere debet:omnibus oportet ita rebus excellat,vt ei turpe ſit quicquam aut ſpectari, aut audiri libentius. Habes meum de Oratore Brute iudicium:quod aut ſequêre,ſi probaueris:aut tuo ſtabis,ſi aliud quoddam eſt tuum.in quo neque pugnabo tecum, neque hoc meũ, de quo tantopere hoc libro aſſeueraui, vnquam affirmabo eſſe verius,quàm tuum.Poteſt enim non ſolum aliud mihi,ac tibi,ſed mihi ipſi aliud aliâs videri. Nec in hac modo re, quæ ad vulgi aſſenſum ſpectat, & ad aurium voluptatem, quæ duo ſunt ad iudicandum leuiſſima: ſed ne in maximis quidem rebus quicquam adhuc inueni firmius quod tenerem,aut quo iudicium meum dirigerem, quàm illud quodcũque mihi quã ſimillimum veri videretur, cum ipſum illud verũ in occulto lateret. Tu autem velim ſi tibi ea, quæ diſputata ſunt, minus probabuntur: vt aut maius opus inſtitutum putes,quàm effici potuerit:aut dum tibi roganti voluerim obſequi,verecundia negandi, ſcribendi me impudentiam ſuſcepiſſe.

Digreditur in eos qui mẽtiuntur ſe quidem numerum tenere, ſed illum collocare nolle:ij fuerunt,vt antè diximus,inepti quidam oratores tempore Ciceronis,qui quum ornatum contemnerent, & Lyſiæ imitatores videri &

attici vellent appellitari, Ciceronem vt nimis ornatum leuiter abijcerent, mouerũt hominũ ſtomachum, adeò vt eorum inſcitiam exagitauerit hoc libro ſæpius, & in Bruto, & de optimo genere oratorum. Numeroſe dicere, inquit, nemo vnquam noluit, hoc eſt omnis homo voluit, etiamſi non potuit. Et nemo potuit hoc modo dicere, quin dixerit. Mentiuntur ergo qui ſe nolle dicunt, ſe poſſe gloriantur. Qui aliter, id eſt diſſolute ſparſeque dicunt, hoc numerorum genus aſſequi non potuerunt, Ita facti ſunt repente attici, id eſt attici non potuerunt effici, ironice dixit, vt accipiamus ſenſum contrarium, non repente factos atticos, hoc eſt aptiſſimos, qui fuiſſent ineptiſſimi. Quibus opponit Demoſthenem, qui quum ſit atticorum facile primus, numeroſa tamen compoſitione fere ſemper vtitur. vnde efficitur illud, non eſſe atticorum, numero carere, ſed omnia aptare quæcunque bona, vtilia, venuſta ſunt in oratione, de quo plura ſuprà diximus. Si non mouentur authoritate Demoſthenis, quid afferent, cur nõ ſit ille atticus? an Trallianum dicẽt, id eſt barbarum, redundantem, affectatorem, pinguem, ineptũ, quales Aſiani illi fuerunt, quos Tralleis oppidum Cariæ & vrbes barbaræ tulerunt? Non eſt neque Trallianus, neque Myſius, neque Phryx, ſed vt natali ſolo, ſic & dicendi genere verus atticus, cuius ſententiæ quaſi fulmina vibrantur, quia numeris contortæ feruntur. Non vult intelligi Fabius, orationis fulmina torqueri numeris, qui certum non habeant finem, quo velut ſagitta perueniant, ſed orationis impetum numero, ſicut equum pedibus, ferri. Sed ſi quis magis delectant ſoluta, ſequãtur ea. Nam tolerabile videtur non abſolutam periodon conficere, ſi modo cætera omnia cõpareant ornamenta. Vt ſi quis modo, hoc eſt tantum diſſoluerit clypeum, quem Phidias excellens artifex Mineruæ fecit, de quo antè ſcribimus, collocationis eius ſimulachri vniuerſam ſpeciem formãmque ſuſtulerit, non ſingulorum operum, vt membrorum venuſtatem, vt Thucydides in hiſtoria clypeum diſſoluit, qui non conficit orbem illum comprehenſionis, cæterum in eo reliqua ornamenta comparent, hoc eſt adſunt, ſuámque tuentur dignitatem. Iſti autem non clypeũ modo orbẽmque diſſoluunt, ſed vt eſt in prouerbio (humili verbo, humilia dicenda ſunt) ſcopas habẽt ſolutas, id eſt res perquam viles & minutas, prætera inutiles, vt quibus ne ſolum quidẽ verrere queãt. Infinitos propè ſimiles tulit hæc ætas, qui quod aſſequi non poſſunt, non ignorare ſe quidem, ſed contemnere mẽtiuntur. Si quid aut Iſocratis, aut Demoſthenis, aut Aeſchynis more ſcriberent, & eorum numeris vterentur, plane genus hoc dicendi noſſe, non deſperatione aſſequendi reformidare, ſed contemnere iudicióque refugere dicerentur. Quod autem nihil vnquam apte numeroſeq; ſcribunt, numeros neſcire ſe tacito quodã indicio confitentur. Ne vero putẽt iniquam ſibi conditionem poni, ſi numeroſe ſcribere cogãtur, lege pari certent, vt aut numeros aptent more doctorum, aut admittant eum qui dicat, aut ſcribat diſſolute & diſſipate, græce aut latine, tum facilius erit inuenire, qui more imperitorum loquatur, quàm qui recte componat orationem.

Quo propoſito certamine, planum fiet vtrum ſit præſtantius vti ſermone triuiali, an oratione compoſita, quæ deceat oratorem. Hiſce de rebus ne lõga controuerſia agitetur, hanc ſuam pronunciat ſentẽtiam, Inſanire qui numeros quærat, ſententiarũ pondus negligat. Nam qui viliora præponit, meliora poſtponit, is non ſapit, qui nõ ſapit, is eſt inſipiens, inſipiens autẽ ſtultus eſt, ſtultus inſanit, πάντες δὲ μωροὶ μαίνονται. opponit contrariũ, Sententioſe dicere ſine verborum ordine & modo, id eſt compoſitione, & numero infantiam videri. Infantia balbutire quidem, ſed plane loqui no poteſt. Infantis eſt multa etiam præclare concipere, verbis & elocutione exprimere non poſſe. Quod autem maior eſt rerum quàm verborum dignitas, infantes aliquando prudentes haberi poſſunt. Infantes non ætate dico, ſed elocutione. Neſcio quomodo excuſamus eos quos recta concipere putamus, recte loqui nõ poſſe cognoſcimus. Ex duobus imperfectis vnum vult cõſtitui perficique tertium, quod perfecto ſummòque ſit oratore dignum, quia ſumm⁹ Orator ſi approbari velit, nec approbari modo, ſed etiã admiratiõe, clamore, plauſúque concionis accipi, omnibus in rebus vt excellat, neceſſe eſt. Sententia mens eſt orationis: Verba quaſi corpus, Numerus, vt ornatus. Hæc optimo cuiq; coniungenda, ne clamitent imperiti alios eſſe inuentionis, alios dictionis artifices. De Oratore perfecto lata ſententia eſt, quæ vt ab iudice modeſto lata eſſe videatur, contradicendi poteſtas relinquitur. Hic enim iudex aperte nouit aut natura, aut moribus comparatum, vt homo frequẽter alijs, interdum ſibi ipſe diſſentiat. Hanc opinionum turbã ſcriptores omneis ſuſtinere eſt neceſſe, ſed eos maxime, qui leges numerorum poſteritati tulerunt, propterea ꝙ numerus ad vulgi aſſenſum ſpectat, & ad aurium voluptatem, quæ duo ſunt ad iudicandum leuiſſima. Nam ſi dicit Orator in conuentu, frequenter accidit, vt imperita multitudo ſubaudiat, eúmque primum probet Oratorem, cuius oratione ſenſus animúſque delinitur. Alijs alia placent. Incertum & inſtabile iudicium vulgi. Aures veritati frequentiſſime repugnant, vnde fit vt de ratione numerorum magna poſſit ſuboriri controuerſia. Ne miremur autem hanc minoribus in rebus eſſe opinionum varietatem, qui videamus in maximis rebus, vt philoſophicis, in quibus tot tantique viri contriuerunt omne tempus ætatis, nihil adhuc ſtatim firmũ, quia veritas ſic latet in occulto, vt Socrates, vt Plato, vt Academici omnes in quibus Cicero nomen profitetur ſuum, nihil habeant certi, pro certo ſequãtur, id quod eſt ſimillimum veri. Tandem quo res veluti in orbem reuoluatur, deſinit in illam, vnde ſumebat initium, dificultatem.

FINIS.

IACOBI LODOICI STREBAEI DEfenſio aduerſus quendam ludimagiſtrum.

QVum ſtudia rudiorum ſcriptis adiuuare decreuiſſem, vnum mihi vehemẽter exoptabã,vt id quiete & trãquille ſine cuiuſquam mordaci calumnia facere poſſem. Quod vtinam Deus Opt. Max. qui ſolus immoderatã linguæ petulantiam reprimere poteſt,optãti dediſſet. Non abuterer eo tempore, quod anguſtiæ vitæ mihi reliquerunt, nec deuenirem in id genus certaminis, quo qui laceſſiti vexatique ſunt,omne fere tẽpus ætatis in apologiis altercationibúſque cõtriuerunt. Cogebãtur enim miſeri per ſummam iniuriam aduerſariorum, cœptum opus intermittere,in certamen iniquũ impiúmque deſcendere,vt ab inimicorum impetu nefario poſſent nomen tueri ſuũ. Quos qui ab honeſto ſtudio retraxerũt,quoniam Reip. ſtudiorum fructum ſuſtulerunt,flagitioſi depeculatores ſunt habendi. Fuerunt impedimento, quominus viri boni patriæ ſuiſque ciuibus vtiles eſſent. Oſtentarunt ingenium prauum. Natura,diſciplina, facultate ſunt abuſi in optimi cuiuſq; perniciem. Contaminarunt ſacra literarũ, Stylo confoderunt alienã famam, ſuam ipſi inquinarũt ſycophãtæ,maledici,calumniatores,exemplúmque fœdum poſteritati reliquerunt literis & opera abutendi. Quoniam ſciebam permultos hiſce rebus non dicam nomen,ſed ignominiam aucupari,iccirco frequenter hanc deprecabar à me peſtem, ac omnibus in ſcriptis, vt aliquãdo fuerã pollicitus, moderatione ſeruata nemini dabam occaſionem maledicendi. Exiſtimabã eſſe parcendum nominibus viuorum,& ſi quid in libellis humano more peccatũ fuiſſet(quod omnibus accidere certum eſt) id eſſe domi apud familiares corrigendũ,non autem editis libris ad infamiã notandum. Itaq; meã, ſiqua mea eſſet,de rebus ipſe ferre ſententiã,quàm alienam reprehendere malebam. Quæ modeſtiæ temperantia nihil aut parum mihi profuit,nec obtinuit id quod maxime ſemper efflagitaram. Me ſcripto laceſſit homo gallus,id eſt ciuis meus,nouus,iuuenis, mihi ignotus,nulla appetitus cõtumelia, nullo meo deductus errore. Is ex quo vulgauimus cõmentarios in Tullii Partitiones,nõ

deſtitit neſcio quid auide vellicare, ſi quid opinabatur improbandum ad diſcipulos ſuos, alióſq; deferre. Quod quum mihi certum conſtitiſſet, nihil omnino ſum animo cõmotus. Intelligebam me nec ingenio, nec arte multum valere, Neminem vnquã hominem paulò maius opus edidiſſe, quin aliqua in parte vitiũ, ſed illud dignum venia, cõmiſiſſet. Nec me fugiebat, nihil eſſe tam recte verèque dictũ, quod non aut opinionum ſectæ, aut æmulorum inſania, aut imperitorũ turba damnaret. Deinde mihi certũ erat commentario tam breui nihil annotatũ, quod optimo iure defendere non poſſem. Itaq; ſi modo nihil in me literarũ monumento traderetur, ſecurus erã varietatis opinionũ. Sed vt inſtituerã dicere, ſubſcribit in me meus cenſor. Emittit in lucem cõmentariolum, defertur ad me, Percurro celeriter, reperio emendatũ quendã iuriſperitum, Hengendorphinũ nominatim reprehenſum, Scholiaſtæ nomine caſtigatũ Melanchthonem, per quos duos corrector iſte noſter nõnihil profecit, Georgiũ Vallam notatum, Laurentiũ vulneratum, Multis nominibus damnatum Agricolam, cuius inuecta ſi iſtius cõmentario detraxeris, dimidiũ libelli ſuſtuleris, Ab eiuſdẽ foro ſeueriſſimo ſtigmoſum diſceſſiſſe non modo Boetiũ, qui in omnibus tenebris noſtro caſtigatori lucem præferebat, ſed etiam M. Tullium, quem ſummi viri tanto honore dignantur, vt quiduis dicere, quàm diuinũ animũ arguere malint. Quiduis (inquit Budæus noſter) potius cõminiſci par eſt, quàm vt inter reos eius nomen authoris à nobis recipiatur, qui extra omnem ingenii aleam, & omne diſcrimen iudiciorum, Plinii ſententia poſitus eſt iudicis ingeniorũ ſummi. Quid? damnat illum Nigidiũ ſententia Gellii doctiſſimũ, eiq; coniungit diuinum Platonem. Dicant, inquit, quod volent, Nigidius & Plato. Nomina ſane ſunt arbitraria, quaſi Socrates & Plato aliquid affirment, qui ſe nihil ſcire fateantur, & ſiquid affirment, non vtiq; verum loquantur, nomina multa non caſu, ſed cõſilio nata: hoc enim maxime diſputatur in Cratylo Platonis. Nec illud eſt falſum in omni genere linguæ pleraque verba eſſe natiua, quæ natura agitante naſcuntur, qualia Cicero confirmat eſſe nata cum rebus ipſis. Hos tot & tantos literarum principes errore lapſos in viam reducit dux optimus viarũq; certiſſimus. Hoc tamen inuenio mali, iuuenis æquo citius redu-

cit. Expectaret annos & authoritatem, non dicam eruditioné, quæ quanta ſit, audiet, ſi me poſtea laceſſet. Bonus eſt vir, rationem ſui vult haberi. Nam ſcribit hæc in quadã epiſtola, Ego me liberis ho minum ſententiis lubens cómitto, neq; diffido quin æquus lector omnia æqui boni conſulat. Confidit innocés, quæſo vos æqui bo niq; omnia conſulamus. Nemo iam credo miratur, ſi qui tã multos Heroas ſcripta ſententia damnarit, Me mea opinione, nullum illius autem, tenuem & abiectũ non probauit. Vnde quiſpiã forte putet, illi non eſſe reſpondendum. Etenim ſi viuerent heroes illi, contemnerent iſtius immaturũ iudicium, nec vnũ quidem verbũ contra referrent, ne ſuam reſpondendo minuerent authoritatem. Sed alia mihi ratio propoſita eſt. In me tela cótorquet, ſic ille perſæpe vocat aduerſarius, viuo, loquor, ſcribédi certamen ineo, Tuédæ mihi meæ partes in cauſſa iuſtiſſima. Impius eſt, vt antè dixi, quicunq; genus hoc contentionis à ſchola cótentioſa perducit ad viros. Ignauus & iniuſtus, qui quã poteſt & debet iniuriã propulſare, non propellit. Occurramus igitur laceſſiti, ſed in præſens tépus agamus modeſte, & ſine vlla contumelia. Omnis cótrouerſia poſita eſt in vno, Quî definiri oporteat ea quæ Cicero dicit affecta ad id de quo quæritur? Ea de re ſic verba noſtra ſunt in cómen tario, Affecta Boeti⁹ finit, quæ quodãmodo ad aliquid referri poſſunt, vt ad id cui natura cohærent, vt genus eſt formarũ, formæ generis, antecedentia conſequentiũ, conſequentia antecedétium, cætera eodé modo. Cæterũ, quod notauit Gellius, affecta Cicero dicit, quæ non ad finem ipſum, ſed proxime finem progreſſa deductáve ſunt, vt de prouinciis cóſularibus. Bellũ affectũ videmus, & (vere vt dicã) propè confectum. Quem ſi capiamus intellectũ, dicentur affecta ad id de quo quæritur, quæ totũ non conficiunt, ſed ex parte faciunt, nec ſunt ipſa per ſe cóſecta, ſed affecta, quæ rebus aliis adiuncta plenã recipiũt abſolutionem, vt nec animal hominem, nec rationale conſtituit, ſed vtrunq; animal rationale. Quod eo firmius eſt, quòd hic author frequéter in hunc ſenſum affectorũ nomen vſurpauit, & quòd in Topicis, relatiua quæ dicũtur à Boetio non affecta dicit, ſed ea quæ cum aliquo cóferuntur. Habes integra verba, quæ iſte gloriatur eleuare ſe poſſe. In hac parte Boetium verbo non improbo. Sententiã modo tranſſcribo, quã cuiq;

libere per me ſequi licet. Me pudet aperte diſſentire viro, quem multis palam vulneribus confodere voluiſti. Animo tacite diſſentio, propterea quòd affecta ſi referũtur ad aliquid, & amica inter ſe, vt ille vult, aut diffidentia conferuntur, certe aut in ſubſtantia conferuntur, aut in qualitate, aut in quantitate. hæc enim tria ſolum referendi genera facit. Si in ſubſtantia conferuntur, non minus definitio, & id quod definitur, non minus totũ ac partes eius, quàm genus & ſpecies conferuntur. amica certe quidem ſunt hæc omnia, & inter ſe conferenda. Si vero in qualitate collatio eſt, ad ſimilitudinem: ſi in quantitate, ad cõparationem pertinebũt. Ergo ſi referes ad ſubſtãtiã, cõmunis erit illa Boetii definitio. Si ad qualitatem & quantitatẽ anguſtius cõtrahetur, in definitione, vtrunq; vitioſum. At, inquit, definitio & definitũ eadem ſunt, & partes omnes eædem cũ toto ſunt, quàobrem non ſunt hæc ad aliquid, vt ſpecies & genus. Non eſt hoc illi ſatis firmũ præſidium. Quicquid adhibetur ad probandũ, non ad ſe quidem vnquam, ad aliud ſemper adhibetur. Omne enim argumentũ aliud per aliud oſtendit. Definitio & enumeratio partium adhibẽtur ad totum probandũ, fateare igitur neceſſe in Topica ratione aliud haberi quod definitur, aliud quod definit, aliud totum, alias partes. Nam quia in definitione, genera, differentias, proprietatẽſq; rerũm ſingulatim cõſideramus, quẽadmodum ſingulas partes in enumeratione partiũ: concedendum eſt aliud eſſe totum in vniuerſum cõprehendere, aliud per ſingulas partes explicare, aliud ſeorſim diſpicere ædium materiã, lapides, aurum, argentũ, lateres, aliud vniuerſam domum vno obtuitu conſpicere. Hæc quidẽ coniuncta tantundem capiũt, ſed in notione & argumenti ratione eadem non ſunt, quẽadmodum ſpecies vniuerſæ tantum amplectuntur quantum genus, ſed alia ratio generis, alia formarũ. Sicut igitur genus ad ſpeciẽ, & ſpecies ad genus refertur, ita quoque definitio ad id quod finitur, ita partes ad totum referri debẽt. Me adiutat iſte, Definitio, inquit, & definitum ſunt ad aliquid, vt hodie volũt omnes. Magna profecto omnium eſt authoritas, an vero reprehendit omnes? Sic opinor. Scribit epiſtolam in altero cõmentario, vnde facile quid de cæteris, quid ipſe de ſe iudicet, quiuis intelligat. Eam nemo verecũdus vnquam leget, quin admiratione & pudore confundatur. Breuiter

expoſui qua ratione ductus à Boëtio diſſentiebam,tametſi animo comprimebam meã de tanto viro ſententiã. Quem quum de rela tis ageres, multo ſeuerius neſcio qua ratione damnaſti. Sic enim pronuncias, Relata ſunt quæ cum aliquo cõferuntur, ea vulgus ad aliquid vocat, ex hoc loco manifeſtũ euadit, quàm male Boëtius res affectas,ad id de quo quæritur definiuerit,quum eas ad aliquid eſſe diceret. Hoc tuum iudicium eſt. Ergo tua confeſſione aliam affectorum definitionem quæri oportuit. Quæro equidem, anceps & ambiguũ eſt affectorum vocabulum, Quid igitur vetat id me facere,quod Varro fecit,quod Cicero,quod Virgilius, quod Ouidius in Faſtis,quod Donatus,quod Acron,quod Porphirio,quod pleriq; omnes,vt in ambiguis verbis coniectura vterentur? Quin refutas Ariſtotelem & Plutarchum,qui problemate poſito multas rationes afferunt,quarum ſæpius vna vera ſit? Affecta Cicero dicit prope abſoluta,nondum tamen confecta, id ſatis conſtat exẽplis. Placuit experiri, poſſetne ſeruari ea ratio verbi tum quũ de argumentorum ſedibus ageretur. fac non poſſe procedere, Ideóne tamen ages in me ſcrutantẽ verborũ ſignificationes? nec vllum ferentem de cauſſa iudiciũ? argues & meã & Boëtii interpretationẽ, qui nullam potes inuenire tuam? Quæ porro tua ſententia eſt? Res affectæ inquis,ſunt in toto,& tamen circa totum,& velut in veſtibulo miſſæ,ſic vt nec omnino ſint intus, nec plane foris. Dii immortales,quæ portenta verborum? quæ philoſophandi ratio? hoc modo affecta dici videntur,iuxta veſtibulum facta,vt tanquã ſportulam,nobis argumenta largiantur. Sunt in toto,nec ſunt intus, Circa totum,nec plane foris. Sic tibi genus eſt in toto,& circa totum, & in veſtibulo miſſum, nec omnino intus, nec plane foris. Ergo virtus eſt in tota iuſtitia, nec tamen eſt in ædibus iuſtitiæ, circa iuſtitiã eſt, atq; in iuſtitiæ veſtibulo miſſa, quũmq; veſtibulũ ſit foris,nõ eſt illa plane foris. Hæcine præclara ſentẽtia,quæ me, quæ Boëtium obruebat? Cicero multo aliter, In eo ipſo,inquit,de quo agitur,hærent loci,tum ex toto,tum ex partibus eius,tum ex nota, tum ex iis rebus quæ quodãmodo affectæ ſunt ad id de quo quæritur. Inſpice quæſo propius interpretationem meam atq; cõiecturam. Scriptum reperies, Quem ſi capiamus intellectum dicẽtur affecta ad id de quo quæritur, ea quæ totum non conficiunt,

ſed ex parte faciunt, nec ſunt ipſa per ſe confecta ſed affecta. Cur hoc modo loquor, quem ſi capiamus intellectum? Suſpendo meã ſententiam, nec illud vocabulum ſic accipiendum confirmo. Poſſum dicere quod Marcus Cicero, erit hoc fortaſſe durius, ſed tentemus & luſiſſe putemur ſi nil ſit. Nec video cur ſic accipi nõ poſſit. Quæ Cicero dixit affecta quoties adhibentur ad aliud probandum, non eius omnem vim naturámque demonſtrant. Id tute fateris. Non igitur conficiunt totum, ſed ex parte faciũt, hoc eſt adhibita probandi gratia, non totum confirmant, aut remouent vti definitio, ſed aliquam vim rei de qua agitur oſtendunt, id quoque fateris. Iam ſi natura talia faciunt, talia ſunt ipſa, & quatenus adhibentur ad aliud, neque perfecta, neque abſoluta. Nec eſt alia cauſſa cur vniuerſam rem adhibita non efficiant, niſi quòd in hoc vſu, ipſa affecta non perfecta abſolutáque ſunt. Sumamus definitionẽ & genus & inter ſe comparemus. Genus vt ſubſeruit argumento, ad aliud adhibetur, Idem ad aliquid refertur, idẽ afficitur & quodammodo ſe habet ad aliquid, Idem in eo ipſo de quo agitur, inhæret, Idem in media ſubſtantia eſt. Non aliter definitio ad aliud adhibetur, ad aliquid refertur, ſe habet quodammodo ad aliquid, in re inhæret, in media ſubſtantia eſt, quid ergo reperies cur genus affectum dicatur, ad id de quo quæritur, non autem definitio? Quoniam vt Cicero indicat, definitio non autem genus adhibetur ad vniuerſam vim rei de qua agitur explicandam. Agedum apta ne ratio nominis? Recténe affectum dici poteſt, id quod non totam rei vim, ſed aliquam probat? Non video nominis cauſſam, neque Ciceronianum diſcrimen, niſi dicamus affectum ad id de quo quæritur, id eſſe quod aſſumptum collatúmque, ad id de quo quæritur, illud ipſum afficit, & ex parte demonſtrat. Sunt igitur res affectæ ad aliquid, quæ ad probationem eius aſſumptæ & adhibitæ non complectuntur vniuerſum. Quod ſi forte diſſentis, Eſt mihi illud Perſianum. Tam nil nulla tibi vendo Iliade.
Venio ad illam egregiam diſputationem, quæ aduerſum me, ſi diis placet, eſt inſtituta. audiamus hominem.

SVNT HODIE quidam viri non mediocriter eruditi, qui Boëtii expoſitionem reprehendunt.) Nihil horum verum eſt, nec enim ſunt multi ſed vnus, nec ille vel mediocriter eruditus,

tus, quod forte vis accipi, nec Boëtium verbo redarguit, ſed animo premit ſententiam, cui ſi coiungis illos qui tecum familiariter diſputant, tollis omnem humanitatem, ſi autem numerum & figurā mutas, id facis contra artem, intolerabilius eſt multos quā vnum reprehendi. Si laudas ex animo, cur eos ad infamiam notare voluiſti, qui in eadē ciuitate viuunt tua opinione eruditi? Si diſſimulas, cuius eſt hominis altera manu ferre lapidē, altera oſtētare panem? Si mea ſcripta legiſti, vide quale ſit affirmare falſò quod tute ſcias aliter eſſe? Si ne legiſti quidē, & de re ignota iudicaſti, vide rurſum quāti faciamus tuū iudiciū? trāſeamus ad cætera.

NON SOLVS BOETIVS res affectas ita definiuit, ſed & Quintilianus, qui genus & formam iis quæ ad aliquid ſunt ſubiicit.) Recitat in me verba Quitiliani, quaſi dixerim affecta non eſſe ad aliquid, Ego vero confirmo eſſe ad aliquid, ſicuti definitionem & partitionē, ſed aliud præterea Ciceronē & Quintilianū vidiſſe contendo, neque in re communi locorum feciſſe diſcrimē. Quid opus erat proferre Quintiliani ſententiā? quæ cōfirmaret id quod tu poſtea loquens de contrariis, quia falſò putaſti omnia quæ ſunt ad aliquid, eſſe cōtraria, maxime negaſti. Scribiſne dicere nos definitionem & partitionē eſſe ad aliquid ſicut & affecta? Itaque nō ego, ſed tu Quintilianum redarguis, cuius authoritatem ſi valere vis, valeat in te, non in me: ſi nihili facis, affers iniuriam Quintiliano ſicuti Boëtio. Si putas, quod certe putas, intelligi oppoſita quæ dicuntur à Cicerone cōtraria, male accipis, Si capis omnia quæ conferūtur ad aliquid, etiā male. Quintilianus intelligit ea quæ quū ſint in aliquo ad illud ipſum probādum quod afficiunt aſſumuntur atque referuntur. Sed prætercurrens, locum modo notauit, non explicauit.

QVI BOETIVM arguūt, hac ratione nitūtur.) Qui ſunt illi? Ego neque in ea parte commētarii Boëtium arguo, neque illā rationē refero, nec ipſe vnquā reddidiſſes, niſi optimam eſſe apud te iudicaſſes. At ab aliis audio, nec de te vno loquor, hē bone vir, ſentiſne rem omnem in me recidere? Si tui ſodales illi tecum diſputāt, cēſēſne familiares amicorum ſermones ad ignominiā in vulgus edēdos, & quod alias acerbe feciſti, re culinaria aſpergēdos?

QVORVM MEHERCVLE poſſumus interpretatione labefactare prorſus & eleuare.) Iurat Herculẽ homo Chriſtianus, etſi reclamat decorum & religio, nec dicet, opinor, quod poëtæ Chriſtiani velint, nomina deorum pro rebus accipi ſolere. Labefactat & deorſum in ruinã trahit interpretationẽ, ſimul eãdẽ ad minuendum preciũ quaſi trutina eleuat, ſurſumque tollit, aptæ profecto cõiũctæ trãſlationes. Ne vero tibi placeas quod aliquid meum putes eleuare te poſſe, Habeto certum, prope ducentos in percurrendo vno tuo cõmentario me notaſſe locos, in quibus errorum tuorum ſunt impreſſa veſtigia. Nõ augeo numerũ, Dii me ament, plures inueniã diligentia, quos, deũ volo mihi propitium, cognoſces ex me, ſi vnquam poſtea res meas aut eleuabis, aut ex contrario labefactabis. Ex vna pagina, quam modo reprehendo, poſſis capere coniecturam.

CONTRARIVM ET repugnãs affecta ſunt, at prope finem deducta nõ ſunt, non enim ea quibus repugnant cõtraria ve ſunt prope conficiunt. Sane tantũ abeſt vt aliqua ex parte conficiant, vt omnino perimit. Sed fallor, cõficiũt & enecãt atque euertunt.) Argute colligit, vt ſibi videtur, ſed quid hoc argumenti? Contraria & repugnantia minimum duo ſunt, alterum inhæret in eo ipſo de quo agitur, hoc aſſumimus vt alterum abeſſe monſtremus, aut cõtrà. quod inhæret affectũ eſt, ſuámque vim ac partẽ colligit. Affecta quidem Cicero dicit inhærere in eo ipſo de quo agitur, vnde manifeſtũ eſt, differẽtia, ſimilia, repugnantia, cõtraria, comparata ex altera parte inhærere, ex altera ſummoueri, quod aperte demonſtrat Agricola. Ridiculus igitur ille tuus paralogiſmus. Quod addis, ex aliqua parte cõficiunt, impropriè tuo more loqueris. Nec vnquã repugnantia quæ inhærẽt in eo de quo ambigitur, illud ipſum perimunt, ſed pugnãt in aduerſa. Tu vero pronuncias in vniuerſum Ciceronémque dãnas, qui ſcribit eodẽ modo argumẽtum colligi poſſe, ab antecedentibus, à conſequentibus à repugnantibus. Quod ſi fit, à repugnantibus confirmatur propoſitio, ſicut ab antecedentibus. Et in errore tanto vis haberi dicax & facetus, fallor, inquis, conficiunt & enecant. Num meminiſti omnino quod toties Cicero inculcat? quod ipſe toties obtrudis, affecta inhærere in eo ipſo de quo ambigitur? po-

tuiſtine colligere ea,quæ opponuntur ex aduerſo non eſſe affecta, ſed affectis oppoſita?coniũgi tamen,quia contrariorum ſimilis eſt diſciplina?

SED ESTO conficiant. Ergo Tullius res afficientes non affectas vocare debuit.) Adde ſis, Aqua refrigerat,ergo refrigerantẽ,non autem frigidã vocare debemus. Lucet ign is, Ne lucidũ igitur at lucẽtẽ vocemus. Affecta ſunt ipſa natura,& in quo inhærent illud afficiunt. Sic miſericordiæ & indignationis eſt affectus & is animum afficit.

ADDE,QVO Dimedia tantũ ex parte factũ eſt affectum dici nõ poſſe,ſicuti affectaGellius accepit, Nam affectum vt interpretatur,propè confectum eſt,atqui genus vel differens ſeorſum ſpeciẽ dimidia ex parte tantũ faciunt.) Hoc authore capiamus medimnũ,& ex æquo metiamur. Ex tranſlatione rerum ducũtur affecta,Collationes hoſtorio nõ æquamus. Homerus Vlyſſis orationẽ niuibus hybernis copia verborũ parẽ tribuit. Tractabis hominẽ ſeuere?contendes acriter multo plures eſſe niuiũ hybernarum floculos,quã in Vlyſſis oratione elementa verborum?Genus & differens quaſi duæ partes ſpeciẽ cõſtituũt. Iubes vt decempeda experiamur,vtra maior earum ſit?Non, inquies,Cur ita?quia rebus animi hanc adhibere menſurã non poſſumus. Quid eſt ergo vitii conferre,imperfecta cum rebus imperfectis non obſeruata pari quantitate?Cur ipſe poſtea confers?Hæc verba tua ſunt, Sicut Gelliana affecta nõ ſunt ad finẽ vſque deducta,ita res affectæ Ciceronis ad totum vſque non perueniunt,& alibi, Res affectas finiuimus hoc modo,quæ proxime totum deductæ ſunt & progreſſæ, quippe quæ fines totius propè contingant.

QVARE CICERO res affectas,aliter quã volunt, accepit,Melius ergo ad aliquid eſſe dicuntur.) Et aliter atque vis accepit,vt oſtendi, & hic admittis & probas,quod alibi memoria lapſus aperte damnas. Locum antè ſignauimus.

ILLIS EGO ſatiſfacio) accipiamus ſatiſfactionem.

DEFINITIO ET definitum re vera eadẽ ſunt.) Negamus,& ſupra cauſſam diximus. Præterea, Sicut generis & formarũ variæ ſunt notiones,ita quoque definitionis & rei quæ de-

finitur, ita totius, & partiū. Nec in his, vt arbitraris, diuerſa nomina pariunt argumentum, Quis hoc omnium putet? ſed aliarū rerum diuerſa notio. Nam in definitione ducitur animus per genera, per differentias, per propria, Hæc mens recenſet, vt ſummam tandē cōficiat. eodē modo ſe habet in enumeratione partium. Sic à multis ad vnum ducit argumentum. Quoniam autē relationes animorū ſunt, & notiones ab illis conferuntur, nihil te iuuet duo ad eandem ſummam peruenire, ſi aliæ & aliæ viæ atque rationes erunt. Nonne referimus idem argumētum ad alios aliósque fontes, propterea quòd ratio non vno ſe habet modo? Quid ergo mihi canis definitionem & definitū idem eſſe? quid ſemel vnā ſummam contueris? quin euoluis rerum notiones ad inueniendā locorū diſcrimina? Inuenias definitionis & eius rei quæ definitione explicatur, rationes & notiones eſſe diuerſas, nec idem poſſe definiri & definire ratione eadē, Et quemadmodū pater qua ratione pater eſt, non eſt idē filius, ita definitionem non eſſe id quod oratione finitur. Ergo ad aliquid eſſe volunt omnes, & recte. Vnus ab omnibus improbe diſſentis. Non eſt alia vis definitionis atque definiti, & definitio nō ſumitur in eius argumentū, definitio autē ſumitur ad illud probandum, alia vis igitur & ratio definitionis, alia definiti.

DEINDE RELATA ſimul natura ſunt, partes vero ſingulæ toto priores.) Crediderā te plus ſapere, Pater & filius ſunt ad aliquid, & pater natura prior eſt. & ſimplū ante duplū, & antecedens ante conſequens. Tēne pudet? Auſus es talia mittere ad treis fratres ampliſſimos & Galliæ noſtræ doctiſſimos?

NOTA CVM eo cuius eſt nota nihil prorſus niſi voce differt.) Notione differt quemadmodum definitio. Eſt enim notatio ſpecies vna definitionis, quod ſi nota nullā aliā vim haberet, in animis noſtris, non probaret vnquā quod ante dubium fuiſſet. Deſine igitur colligere ſummas, ne tu vnum modo facias locum, néve recidas in antiquam nominalium ſectam. Semper oblitus ſceris tui & repugnātia loqueris. Scribis enī paulò poſt, de rebus, nō de vocibus modo loquimur. Nihilominus ceſes totū & parteis omneis ſolo noīe differre, quod ſi eſt quū partes adhibeantur ad totū, nō vt aliæ res, ſed vt alia noīa adhibebūtur, quod eſt abſurdū.

ERGO BOETII definitionem tueris? Sane nec oppugno ſicuti cóſtat, nec tueri velim.) Diximus te oblitū dicti de Boëtio aperte pronunciare in ſermone de cōtrariis. Id oppugnare nó eſt? Vter eſt grauior, an is qui victoriæ dubius oppugnat ciuitatem, an is qui victor inſultat, eam que morte dinat? Nó peccat Boëtius qui affecta referat ad aliquid, ſed qui propriam non expleat definitionem. In quo ſæpenumero miratus ſum aliis te lucem afferre uelle, qui Topicā rationem non intelligas. Boëtium damnas, qui dicat affecta eſſe ad aliquid, quia putas omnia quæ ſunt ad aliquid ad contraria pertinere, falleris. Nihil eorum quæ ſunt ad aliquid, ad contraria & oppoſita refertur, niſi quod mente tanquam repugnans opponitur. Hoc tibi, quia neſcis, aperiemus exemplo, Non tibi committam meum negocium, pater es, filium iuuabis. Vnde ducitur argumentū? ab adiunctis. At pater & filius ſunt ad aliquid. Sane. Sed hic alia vis eſt arguméti. Petit aliquis ius trium liberorum vt Martialis, Contradicitur. Nullum tibi ius eſt trium liberorum. Non es enim pater qui nullos habes liberos. Argumentū eſt ab oppoſitis relatis, quia tum pugnantia confert animus. Vidéſne te falſum fuiſſe, & doctos homines recte ſentientes iniuria damnaſſe? Sunt argumenta omnia ad aliquid, quia neceſſario conferuntur ad aliud, ſed non vtique pertinent ad ſpecies contrariorum. Hoc nimirum vidit Boëtius, qui ſcribit inter ſe conferri & amica & diffidentia.

VT IGITVR quod ſentio dicam, tres locorum gradus Cicero facit, alios in toto penitus fixos, alios velut in veſtibulo niſſos, alios foras excludit.) Piget me referre toties te tibi ipſi repugnare. antè reprehendebas hominem doctiſſimū Melanchtonem, qui Themiſtium perdoctum, ignorante te, ſecutus, locos ſtatuiſſet alios internos, alios externos, alios medios: nunc in eoſdé reuolueris gradus, niſi quod illi medios dicunt, quorum pars inhæret in eo de quo ambigitur, pars ſummota eſt, qualia ſunt differentia, ſimilia repugnantia. Nihil eſt cur iraſcare cuique eorum qui iam te perſequentur, tute ipſe prior aperte damnaſti. Ad hæc, conſtituis mihi genus & ſpeciem & differentiam in veſtibulo? facis illa conſidere iuxta totum tanquam ſimulachra in veſtibulo templi? dicis animal genus eſſe in hominis veſtibulo, non in ho-

mine toto, quum totus homo ſentiat, vtroque moueatur, quod animalium propriũ eſt? Ohe, iam ſatis eſt. Alia delata ſunt ad me, quæ more tuo in ſchola reprehendebas, vtinã ſcripſiſſes, cognouiſſes me de rebus non tam leuiter ac putaſti, iudicare. Sed finis ſit, Malo indoctus, quam immodeſtus videri. Suppreſſi nomen & in præſentia moderate reſpõdi. Si quid grauiter feras, non equidem laboro, Ne læderes prior. Si pergis male dicere, male audies.

Typis imprimebat Michael Vaſcoſanus Lutetiæ, anno M.D.XXXVI. tertio Idus Iulii.

✠ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z. AA BB CC DD EE FF GG HH II omnes ſunt duerni, ✠ verò ternus.

BIBLIOTECA • R. BONGHI